


CAVANILLES

BOTANICA


1

A  
47  
183












2  
5-12.93

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33







2  
5-12.93



91

260

2-5-1289

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	047
Numero:	483



R. 2237  
Nº 582.9

AR: 8 T-6

# ANT. IOSEPHI CAVANILLES

ICONES

ET DESCRIPTIONES PLANTARUM,

QUÆ AUT SPONTE IN HISPANIA CRESCUNT,

AUT IN HORTIS HOSPITANTUR.

VOLUMEN I.



MATRITI

EX REGIA TYPOGRAPHIA

EIUS OPERAS DIRIGENTE LAZARO GATGUER.

1791.







## PRÆFATIO.

**I**NTER Botanicos, quos plantarum amore Hispaniam peragrasse novimus, eminent Clusius et Barrelierius, qui stirpes in ea sponte nascentes orbi literato cognoscendas præbuere sat magno numero, descriptionibus et iconibus illustratas. Sed parum admodum in scientiæ profectum contulere. Figuræ neque fructificationis systemata exhibent, et adeo minutæ sunt ut vix illis adiuvari possis nisi divinando. Descriptiones parum accuratæ, quarum ope paucas agnoscas plantas, pauciores revoce ad propria genera. Fuit hæc culpa non tam auctorum quam temporis. Loëflingius postea, Botanica iam in gradu reposita, Hispaniam vidit in eaque uberrimam collegit plantarum segetem, quas in Cl. Linnæi operibus ordinatas videmus: ceterum et icones desiderantur et uberiores descriptiones: prætereo alios benemultos tum defectus, tum etiam errores, quibus supplendis corrigendisque multum temporis et diligentia conferatur necesse est, idque ab hominibus qui plantas suis oculis in natali solo vivas examinent.

Sunt quidem hodieque in Hispania complures qui ei perficiendo operi non contemnendam operam impenderint impendantque in dies. Nihil dicam de Antonio Palau indefessi laboris viro, qui vitam viresque in Botanica promovenda consumsit. Michaël Barnades Patris laboribus perficiendis complendisque intentus repetitis excursionibus universam Hispaniam peragravit, eiusque Floram composuit. Plantas Hispalenses magna sollertia colligit et illustrat Petrus Abat, Gaditanas Iosephus Sanchez, Carthaginenses Gregorius Bacas. Eidem labori vacant in Bæturia Matthæus Villalobos, in Aragonia Iosephus Antonius Mañas, Gregorius Echandia et Franciscus Otano, Ignatii de Asso diligentiam æmulantes, in Valentia Thomas Villanueva. Montis-serrati in Cathalaunia Floram adornarunt Ioannes Amellé et Franciscus Sala hortatu Francisci Zamoræ Prætorii Barcinonensis Senatoris, qui eam edere parat simul cum plenissima eius montis historia. Mitto alios. Sed silentio præterire nequeo illustres Botanicos, qui nostris temporibus ad insigniorum novi orbis regionum Floras digerendas Regio iussu sumtuque conducti sunt. Eorum facile princeps Cælestinus Mutis incredibile dictu est quanta sollertia quantoque successu Bogotani regni plantas illustret, adeo ut Trewium Millerumque iconum nitore atque præstantia superet. Prodeant utinam quamprimum plusquam sexcentæ illius tabulæ accuratissime delineatæ cum suis descriptionibus, quæ luci publicæ paratæ iam sunt. Pavonius et Ruizius decem annorum spatio maximam imperii Peruvianam partem lustrarunt, et tria fere plantarum millia collegerunt, earumque mille et amplius possident tabulas, amissis octingentis deplorando naufragio. Illas in præsentia probant iterato examine ut Peruvianam Floram foras emittant. Cui operi lucem foenerari poterit Ioannes Tafalla, qui agri Limani stirpes observare pergit. In nova Hispania Vincentius Cervantes et Iosephus Longinos una cum Iosepho Antonio Alzate plantarum indagini continenter vacant, rariorumque semina mittunt ad nos; ut adeo ipsorum diligentia debeantur plantæ præstantiores, quibus Hortus Regius Matritensis ornatur. In Philippicis insulis quinque iam anni sunt ex quo Ioannes Cuellar vegetabilibus colligendis, describendis et delineandis insudat. Nuper cum nostris argonautis ad orbem circumeundum destinatis missi sunt viri philosophi qui Forsteris Banksii que incepta perficiant. Omnino ut in spem erigar brevi futurum, ut Hispani homines nec exteris cedant in hac parte et ora præcludant Massoni aliisque eiusdem levitatis et audaciæ censoribus. Eveniet, modo coeptis annuat clementissimus Deus, vota que et conatus sapientium eius Ministrorum secundet.

Ego vero qui per decennium doctissimos Gallia Botanicos audivi, hortos et herbarios ditissimos perlustravi, præcipuosque rei herbariæ auctores diligenter evolvi, redux tandem in patriam in id vel maxime incubui, ut Hispaniæ plantas, et quæ sponte proveniunt, et quæ ex orbe novo, insulive Canariis advectæ in nostris hortis, præcipue tamen in Regio



Matritensi hospitantur summa diligentia observarem, delinearem, describerem. Atque eas in primis plantas mihi dilucidandas proposui, quæ ab aliis prætermissæ sunt, aut incuriose descriptæ; tum illas quarum nullæ habeantur icones, aut certe infideles et parum accuratæ, partibusque fructificationis destitutæ. Meas autem lucubrationes edere constitui per volumina. Unumquodque volumen centum constabit tabulis, quas ementium commodo et eruditorum curiositati consulens tribus edam fasciculis, primo nimirum quadraginta, altero triginta, totidem tertio. Plantas describam ea methodo, quam in monadelphia adhibui: vitam natale solum, tempusque inflorescentiæ notabo, adiunctis observationibus, quibus congenere illustrentur. Quum illas ad nullum cognitum genus revocare poterò, nova constituam, quæ si Botanicis minus arrideant, quod ipsis rectius videatur fiet, nihil enim impedio, quinimo illorum observationibus in posterum utar. In id vero omni ope nitar ut accuratas descriptiones exhibeam, iconesque fideles; neque ulli parcam labori quo nostrum opus et studio proficiat, et a sapientibus probetur.

Matriti Calendis Ianuarii anni 1791.



## PRÆFATIO.

**H**ISPANIÆ plantas et quæ sponte proveniunt et quæ ex novo orbe advectæ in nostris hortis hospitantur elucidandas assumsi. Lente id factum iri, immo difficulter, vel a principio novi, nisi peregrinationes accederent, quarum ope magna haberetur plantarum copia, plantæque hucusque tanquam varietates confusæ, suis distinctæ speciebus describerentur, observatis in proprio solo characteribus. Quare operæ pretium duxi, Hispaniæ provincias attentè ac sedulo perscrutari, ut inceptum opus novis plantis, novisque observationibus auctum darem. Placuit id piissimo nostro Regi, cuius iussu et impensis biennium consumsi in Valentini regni montibus, agris, lacubus, atque maritimis. Magnam inde supellectilem reportavi, plantas scilicet Botanicis ignotas, aut incuriose descriptas, alias etiam, quarum nullæ habebantur icones, aut certe infideles, et parum accuratæ; ex quibus hoc volumen composui, nonnullis adiectis ex Mexicano imperio.

Ferax est ubique solum Valentini regni, mira licet montium frequentia exasperatum: fontes passim hique copiosi fluunt, si Idubedæ finitima excipias. Montium natura fere calcaria est, quorum strata horizonti ut plurimum parallela, mari olim immersa fuisse, in eisque fundo efformata luculenter ostendunt; eo maxime, quod magna eorum pars ostreis abundat per quadraginta et amplius pedum profunditatem, nunc integris nitidisque, nunc frequentius trituratione ac sæculorum lapsu deformatis: piscium etiam formæ insculptæ intra lapides reperiuntur omnino similes archetypis quæ hodie in Mediterraneo vivunt. Existunt etiam gypso colles, iique passim vel sub terris diversorum colorum reconditi, vel marmora nigra ut plurimum sustinentes. Arenacei lapides montes efformant, et varios colles versus septentrionem in quorum stratis crassioribus aut tenuioribus, nunquam horizonti parallelis, quarzum et spatham ponderosum inveniuntur. Granites rarum est in regno Valentino terque dumtaxat vidi in colle, scilicet *Oriolet*, prope Orcellitanam urbem, angustias occupans quas marmorei montes relinquunt, et iuxta oppida Ayodar et Toras, ibique gypso contiguum. Valles amoenissimæ reperiuntur, quarum solum margaceum, plerumque albicans, interdum rubri coloris. Plantæ pullulant ingenti numero, læte vigent, ornantque totam regni superficiem, cuiusvis naturæ ista sit, saxosa, terrea, arenosa, gypsea. Delectantur autem præ cæteris quædam illarum familiæ, quarum genera et species passim crescunt. Lavendulæ species omnes reperias; Salsolæ, Teucris, Antirrhini, et Cisti plurimas, adeo ut huius generis triginta offenderim in siccis et montosis. Graminum atque umbellatarum magnus ibi numerus; maior etiam illarum, quas Linnæus in *Didynamia*, *Diadelphia*, et *Syngenesia* collocavit. Una *Cryptogamia* infrequens est in Valentino regno, cuius perpauca species vidi, easque in humidis et umbris, nullam novam. Phoenix Linnæi, *Chamærops*, *Ceratonia*, et *Cytinus* sponte vegetant, in quibus characteres reperi ab ipso prætermisissos. *Cytinus* in primis monoica planta est flores mares proferens a feminis distinctos: *Ceratonia* nunc mas, nunc femina, raro hermaphrodita offenditur, cuius stamina semper quinque: Palmæ fructificatione conveniunt, quæ proinde sub eodem genere collocandæ sunt in *Hexandria* triginia. De his ergo dissertationes adiunxi, in quibus naturam, usum, atque culturam explicavi. Ad singularum descriptionum calcem plantas indicavi, quæ cum descripta vivunt, quo Valentini Floræ index magna ex parte habebitur.

Gratas denique reputans lectoribus montium et tractuum descriptiones physicas, nonnullas sparsi, illorum præcipue, qui novas plantas alunt; reliquas prætermisissas ne volumen in immensum excresceret. Innumera sunt enim, eaque scitu digna, quæ Valentini regnum offert, sive natura inspiciatur, sive hominum industria, atque indefessus labor: quæ omnia complectar alio opere, quod iam paro, scilicet *Regni Valentini historiæ naturalis, atque rei agrariæ observationes*, in quibus Floram eiusdem regni dabo; montium omnium si-



tum et naturam, ibique de marmoribus reliquisque lapidibus tractatum; terrarum species; fontium originem; fluminum cursum; agriculturam tandem et reliqua, quæ pretiosissimam hanc provinciam commendant. Hæc soli et cæli amoenitate optimas Europæ adæquat, ne dicam superat. Collium pulchritudo, agrorum foecunditas, perpetui fructus, limpidissimi fontes, aëris salubritas, rerum omnium ad vitam et oblectamentum copia advenas ita afficit, ut summis laudibus laude dignam provinciam extollant. Nominare unum sufficiat Ioannem Talbot Dillon, qui peragrata Hispania, ut eiusdem iter typis daret, ubi de Valentia verba facit, nullam in terrarum orbe parem ipsi reputans, Miltonis paradiso comparavit his versibus.

*A happy rural seat of various view;  
Groves whose rich trees wept odorous gums and balm,  
Others whose fruit burnish'd with golden rind  
Hung amiable! Hesperian fables true,  
If true, here only, and of delicious taste.*

Matriti Calendis Ianuarii 1793.



## LECTORI BENEVOLO.

IAM iam emissurus in publicum hanc quam vides voluminis nostri partem, incidi in opus tamdiu desideratum recensque editum Floræ Peruvianæ et Chilensis. Eius auctores sunt, ut titulus præ se fert, Hypolitus Ruizius et Iosephus Pavonius: nec dubito quin iis debeatur quidquid bonæ frugis in opere continetur. Sed non nulla insunt quæ nihil aut parum certe ad Botanicæ profectum faciunt, quæque manum alienam hominis impotenti contradicendi spiritu acti luce meridiana clarius ostendunt. Rem altius repetamus. Mense Septembri anni 1788 prodiit Matri epistola civis Limensis anonymi, qui mea opera, præsertim nova genera, convellere conatus est. Ubi ad manus meas pervenit, vix elapso mense respondi, atque nisi me omnia fallunt demonstravi, et mea genera recte constituta fuisse, et exiguam in re botanica Limensis civis cognitionem. Ferebatur in vulgus adversarium illum meum esse D. Casimirum Ortegam, quod ut crederem induci nullo modo potui, quippe qui frequentes per id tempus ab Ortega literas haberem, quibus et labores mei laudabantur, et ego prædicabar laudatus vir a quo ipse laudari vehementer optaret. Ac tametsi quædam deinde acciderint in illius rumoris comprobationem, nihilominus assensum continui, neque in hominem mediocriter literis intinctum cadere posse existimavi, ut altera manu leniter attrectaret quem altera ferro aggredereetur. Nunc vero quum veterem de generibus a me constitutis crambem recoctam videam in Flora Peruviana; quum huius auctores dum per se quisque agit dissentientes videam, prout inferius patebit, dum vero collatis operis scribunt, mire consentientes; quum eos constet Ortegæ auditores esse, alterum etiam affinitate coniunctum, dictoque obsequentissimum; quum præterea constet Ortegam et operi præfuisse, et stylum adhibuisse, adiecissem insuper præfationem; vix dubitare possum quin is sit aut ipsemet ementitus Limensis, aut huius saltem inconcinni fetus consarcinator. Certe quod ad nostra genera spectat unus idemque spiritus sese prodit in veteri atque in novo opere, eadem utrobique rationum vacuitas. Sed his missis rem ipsam videamus. Genera autem de quibus agitur sunt Molina, Ruizia, Pavonia, Dombeia et Palaua.

Percrebuerat in republica literaria Ioannis Ignatii Molina hispani Chilensis fama ob præclara eiusdem in historiam naturalem merita: quapropter genus ipsi dicavi affine Banisteriæ, a qua recedit stylo unico, filamentis novem æqualibus, et decimo duplo longiore, calice eglanduloso, et pericarpio tetraptero. His rationibus palam feci Sonneratium et Lamárckam errasse, qui reluctantem naturam arborem ad Banisteriam reducerant. Auctores vero nostri, qui in patriam reduces per quinquennium operi suo incumbunt, idem Molina nomen generi diverso imponunt, quod confusionem parit et Linnæi dogmatibus adversatur, cuius systema mordicus retinere professi sunt in præfatione. Hospites in Botanica videntur alto silentio quod de meo genere atque doctrina servant. Quodnam, rogo, retinendum erit, an hoc novum, an quod ante quinque annos impositum est, a Botanicis receptum, laudatumque ab Haënkio? At fortasse factum nesciebant, quippe qui de eo ne verbum quidem faciant, tantum abest ut genus nostrum convellant.

Parisiis commoranti mihi renunciavit Dombeius peregrinationum suarum comites fuisse Hypolitum Ruizium et Iosephum Pavonium hispanos, quorum nomina tunc primum novi, et illustrare decrevi novorum generum appellatione. Feci in Monadelphia, Ruizias nominans plantas Malvæ affines, a qua differunt filamentis non in columnam sed in urceolum dispositis, stylis decem, calice exteriori deciduo. Expunctum video in Flora Peruviana meum genus his verbis: „Genus in honorem D. Hypoliti Ruiz, Botanici Regii, consecravit D. Iosephus Pavonius amicissimus peregrinationum comes, Ruizias Cl. Cavanilles Malvæ potius quam novi generis species esse reputans.” Plæclara inscriptio! Iure dubito num a Pavonio composita. Sed quisquis eius auctor fuerit nullum existimationis suæ fundamentum affert. Credatne simplex dictum in his rebus sufficere?



Payonias dixi plantas Urenæ affines a qua differunt calice exteriori polyphylo, interiore semiquinque partito, et fructu inermi aut spinis quindecim armato; qui in Urena spinulis numerosis numero indeterminato vestitur, eiusque calix exterior monophyllus est, interior vero quinque constat foliolis lanceolatis, interne glandulosis. Quis nesciat huiusmodi differentias plusquam satis esse ad novi generis constitutionem? At nostri auctores neque illas animadvertunt, nec censuræ causas attulerunt ulla. En ipsorum verba: „Genus in honorem „D. Iosephi Pavon Botanici Regii, consecravit D. Hypolitus Ruiz amicissimus peregrinationum comes, pro certo habens Pavonias D. Cavanilles ad Urenæ genus indubitanter re- „vocari debere.”

Veniamus ad Dombeiam, genus a me conditum anno 1785, quod probarunt Academia Regia Parisiensis et postea Iussieus et Haenkus. Probe noveram præcedente anno plantam evulgasse D. L'heritier Dombeie nomine: sciebam etiam eandem omnino esse quam Cl. Dombeyus Tourretio dicaverat, quamque D. Fougeroux descripserat in actis laudatæ Academiæ Tourretie nomine. Quapropter Lamarck in Dictionario Encyclopedico L'heritierii genus suppressit et Iussieus postea in plantarum generibus. Tantorum hominum auctoritate, et quod potius est re ita postulante, genus condidi, quod nostri auctores expungere se posse credunt his verbis: „Genus a nobis et a cl. peregrinationum Socio D. Iosepho Dombeyo „detectum, dum simul Limæ propinquos colles explorabamus, atque in eius debitum honorem a D. L'heritier evulgatum libenter retinemus, et sæpius iterata plantæ observatione in „loco natali adiuti characterem reformamus, atque icone illustramus. Plures plantas eiusdem „Dombeyi nomini nuncupatas in Europam reduces offendimus: sed Dombeiam D. de Lamarck, quæ *Pinus Molina*, Pino de Chile vulgo, Araucaria Iussiei *gen. pl. pag. 413*, inter pinorum species collocandam esse censemus, quamvis eam dioicam in montibus Chilibus constanter observavimus. Inter eas vero Dombeiam L'heritier ad memoriam cl. viri „posteris commendandam prætulimus, et quod ceteris præcessit, et quod illam novum vere „genus esse propriis observationibus pro comperto habemus.” Nihil hic de meis plantis, nihil de historia literaria Tourretie, superius exposita, nihil de Academiæ atque auctorum consensu; at quædam quæ Ruizii oscitantiam produunt. Araucaria enim illa, quam Ruizius inter pinorum species collocandam credidit, genus vere novum est, quod evincunt characteres a Lamarck et Iussieo producti; quodque Pavonius probavit superiore anno in Regia Academia Medico-Matritensi, quin Ruizius et Ortega præsentibus quidquam auderent contra hiscere.

Quantum in Botanica promovenda insudaverit Palaus noster, constat inter Hispanos et externos: ergo in eius honorem genus evulgavi Palauæ nomine Malopis affine. Separavit Linnæus Malvam a Malope, quarum eadem est fructificatio si arillos excipias, qui verticillati sunt in Malva, in Malope conglomerati. Calice Linnæus usus in Monadelphia genera construxit dicens: „Nos genera distinguimus a calice qui magni momenti est, et limites absolutos „ponit.” Huius ego vestigia premens, genus novum constitui ex illis plantis quæ a Malope recedunt calice unico, qui duplex est in Malope. Atqui et hoc genus displicet Peruvianæ Floræ auctoribus, perinde ac Limensi anonymo, adeoque expungendum nulla ratione allata tanquam ex tripode decernunt. Addunt in inscriptione: „Palau plantarum suo nomine antehac a D. Cavanilles consecratarum speciminibus siccis accurate recognitis easdem Malopes „species esse asseverat, et hoc novum genus a nobis grati animi et obsequii pignus levidense „humaniter accepit.” His ego reponam fragmentum epistolæ, quam honestissimus Palau ad me missit Matrito die 7 Iunii anni 1785. „He leido con la mayor complacencia la Diser- „tacion de la Sida que Vm. se ha servido regalarme por medio de mi compañero, y trato „do con verdad, de cuyo caracter me precio á imitacion de Vm. no puedo ménos de manifi- „festarle que en los primeros renglones de su introduccion he reparado la firmeza de los fun- „damentos en que estriba para poder juzgar desde luego que son utilísimas á los Botánicos „sus observaciones, que contribuyen en gran manera al honor de la nacion Española, y que „acreditan el distinguido mérito de la aplicacion y talento de Vm.: por todo lo qual le repito „mil parabienes, dándole al mismo tiempo muchísimas gracias por el favor con que me honra „en ella.” Iudicet lector.



Ex planta quam Milleriam nominavi in primo Iconum volumine, Vermifugam genus condidere Floræ auctores asserentes, „non est Milleriæ species, ut minus recte sibi persuasit „D. Cavanilles,” at more suo sine probatione relinquunt assertum. Characteres exhibent qui in mea descriptione reperiuntur, illo excepto quem contra Botanicorum consensum calicem communem nominant, de quo postea. Qui fieri potest ut a me recedant? Iurarunt scilicet isti homines in verba Magistri Limensem sequentes. Vivam vidimus in regio horto Botanico Milleriam quinquefloram Linnæi, et in ea necessitatem generis recudendi, quod feci loco citato. In meliorem formam restitutum genus species a me descriptas complectitur. Contrarium pro bent adversarii necesse est; nisi si auctores nostri et Botánicos et lectores omnes totidem putent Pythagoræos, quos ipsis dicentibus oporteat credere ob id unum quod ipsi dixerint.

Milleria hæc, aut reformata Vermifuga ad Syngenesiam pertinet, cuius proinde calix communis ille erit, qui flosculorum receptaculum. Floræ auctores nova methodo virgulam aut receptaculum squammularum calicem communem nominant, et partialem illum qui vere communis est. Pari modo possent in Tournefortia, Heliotropio et aliis calicem communem nominare ramulorum extremitates, ubi veri sedent calices; quod neque tirones auderent pronunciare. Calices communes in nostra planta sunt squammulæ flosculos continentes, qui proprio carent calice. Quare falsa sunt quæ de Vermifugæ calicibus auctores tradiderunt.

Et hæc pro nostris generibus. De iis quæ auctores Floræ condidere possem equidem non pauca dicere, et dicam fortasse alias. Nunc suffecerit monere, criterium in characterum electione sæpe desiderari. Ex. gr. in *Gilibertia stigmata* dicunt *septem*. „Unica specie constat „genus in qua fructificationis partium numerus aliquando octonarius, rarior novenarius.” Pari modo in *Tovaria*, cuius unicum speciem detexerunt, „stigma peltatum septemfidum „dicunt auctores, addentes in prima observatione; in stigmate numerus tam septenarius quam „senarius.” Si in his generibus variat stigmatum numerus, inconsulte pro characterem assumitur. Agnovit hoc D. Iosephus Pavonius, et *Tovariæ* stigma multifidum dixit in altera dissertatione Regiæ Academiæ Medico-Matritensis censura subiecta.

Foveolaria genus nonnulla offert castiganda. Et quidem inconsulte in decandria collocatur genus, cui filamenta sunt in unum corpus coalita. Character enim iste adeo proprius Monadelphiciæ est ut eo *Geranium*, *Maherniam* et alia huiusmodi genera Monadelpica dixerit Linnæus. Si ergo Foveolariæ filamenta inferne usque ad medium connata sunt, superne distincta, ut fatentur auctores nostri, ad Monadelphiam pertinet hoc novum genus. Novum dixi ex auctorum sententia, quæ tamen haud firma videtur, cum in observatione scribant „an ad hoc genus referri debeat *Strigilia Cavanilles*?” Si *Strigilia* et *Foveolaria* fructu differunt, per errorem putant unum ad alterum referri unquam posse: si conveniunt, *Foveolariam* expungant necesse est „quia nomen genericum unius generis nisi supervacaneum, in aliud transferri non debet, licet eidem aptius competeret.” (*Lin. in Phil. Bot.* §. 248.) Plantam observavi siccam quam e Peruvia attulit Iosephus de Iussieu, quamque ulterius in patria examinandam dixi quia fructibus orbatam conspexi. Viderunt eam postea nostri auctores floribus et fructibus onustam, atque in ea characteres omnes a me descriptos; nihilominus spreto meo nomine aliud novum contra regulas artis confixerunt. Verosimile assertum suum reddere conantur characterem differentiali his verbis „Calix campanulatus inferus. Petala revoluta, punctata. Nectarium tubulosum. Drupa obovata.” Hæc omnia *Styraci* conveniunt, unde novus error emergit, quem spero Floræ auctores castigaturos quando species describant. Vellem etiam in scientiæ profectum nectarium nomen quod ambiguum et indeterminatum est, quoque illi sæpe in Flora abutuntur, a Botanica propulsari. Errorem agnovit et insectatus fuit Pavonius in dissertationibus supra laudatis. Faciet idem proculdubio Ruizius, et quod nunc appellat nectarium, staminum tubum aut urceolum nuncupabit. Fieri etiam poterit ut huius plantæ corollam aliter enuntiet, si animo libero flores iterum observet. Non enim ex quinque petalis illa componitur ut ego quidem arbitror, sed ex laciniis quinque profundis<sup>(a)</sup> quæ cum staminum tubo unum idemque corpus efformant. Observa-

(a) Tot petala numeramus in quot resolvitur flos deciduus. *Lin. Phil. Bot. edit. Mat. pag. 58. et 72.*



tur hoc in Styrace et in Strigilia ad quorum alterum Foveolaria pertinet. Nec Ruizium terreat amantissimi præceptoris observationes, logicæ atque botanicæ fundamentis destitutæ. Legat precor quæ in 2.<sup>o</sup> Iconum volumine conscripsi, ubi professoris huius oscitantiam et errores patefeci.

In Rhyncotheca parum sibi constant auctores nostri. Unicam huius generis viderunt speciem et in ea stamina decem; quibus ad Decandriam revocare ipsam debuere secundum Linnæi systema, quod mordicus se retinere dixerunt in præfatione. Nihilominus inter Polyandras eam ponunt quia „staminum ceterarumque partium insertio figura et dispositio et cum Thalictro affinitas potius ad hanc classem quam ad Decandriam eam referre ipsos cogunt. Perutilis quidem observatio his qui naturale systema sustinent, quique Linnæi classes spernunt; minime vero Floræ auctoribus, qui plantas ad classes revocare debent secundum staminum numerum, et cetera a Linnæo præscripta.

Illud quoque admonebo non nulla genera pro novis venditari, quæ iam pridem erant a Botanicis cognita et divulgata, plura etiam, quæ ut ut vetera agnoscant, edunt iterum inventorum suorum numerum specie tenus aucturi. En utrorumque catalogum.

1. POURRETIA Floræ Peruvianæ est Pitcairnia L'heritier Serti Anglici pag. 7. tab. 11. ut ex tabularum et characterum collatione constat. Iuxta L'heritier calix est tripartitus<sup>(a)</sup>; petala tria linearia convoluta, ad quorum basim squama nectarifera: filamenta sex receptaculo inserta; germen trigonum: stylus trisulcus: stigma trifidum, spirale: capsula trigona, trifariam dehiscens: semina numerosissima. Secundum auctores vero nostros Cal. Perianthium triphyllum: foliolis ovato-lanceolatis, marginibus convolutis, concavis, rigidis; inferum, persistens. Cor. Petala tria, lanceolata, erecta, superne patentia, spiraliter marcescentia. Stam. Filamenta sex, subulata, erecta, corolla paulo breviora. Antheræ sagittatæ, erectæ, petalorum altitudine. Pist. Germen ovatum, obtuse trigonum. Stylus filiformis triquetrus, sulcatus longitudine staminum. Stigmata tria subspiralia acuta. Per. Capsula ovata, obtuse trigona, trilocularis, trivalvis. Semina numerosa, oblonga, utrinque acutissima.

2. COSMIBUENA Fl. P. est Hirtella Iacchini tabulæ 11. stirpium Americanarum; quod nullus inficiabitur qui tabulas et characteres observet. Cl. Iacquinus dixit calicem quinquepartitum: corollæ petala quinque subrotunda: filamenta tria longissima: antheras subrotundas: germen subrotundum, villosum, compressum in latere, cui stamen nullum adponitur, sed e quo ipso erigitur stylus filiformis inferne hirsutus, longitudine fere staminum, cuius stigma simplex: pericarpium baccam: semen unicum. In flora vero Peruviana legitur: Cal. Perianthium pentaphyllum: foliolis ovatis, concavis; inferum, persistens. Cor. Petala quinque obovata, emarginata. Discus nectariferus annularis germen ambiens. Stam. Filamenta tria, subulata, patentia, petalis longiora, inter petala et discum receptaculo inserta. Antheræ subrotundæ bifidæ. Pist. Germen obovatum, hirsutum. Stylus subulatus, longitudine staminum, e basi germinis ortus, hirsutus. Stigma capitatum. Per. Drupa? cuneiformis, subplicata, unilocularis, monosperma. Sem. solitarium, obovatum, acuminatum, uncinatum.

Nomen genericum in eodem genere unicum erit, dixit apposite Linnæus in *Phil. Bot.* §. 218. ergo expungendum *Cosmibuena* inconsulte introductum. In honorem tamen dignissimi D. Cosimi Bueno aliud novum genus invenient auctores nostri, tuncque recte facient, si per simplicem vocem, *Buena* scilicet, illud evulgent. Generica enim nomina ex duobus vocabulis composita e Republica botanica releganda sunt. Quare Iuanulloa, Gonzalagunia et Gomortega contra artis præcepta constructa in digniorem formam recudenda videntur, eo maxime quia Ortega genus habetur in Linnæi operibus, et Laguna in mea Monadelphia. Consulatur. *Phil. Bot. Lin.* §. 228, 230, 231.

3. STEREOXYLON Fl. Per. est Escallonia Cl. Smith, qui duas species descripsit serratam et myrtilloidem, quas nitidissimis expressit tabulis, 30. scilicet et 31.

4. SARACHA Fl. Per. ad Atropam pertinet, cuius speciem unam descripsi atque delineavi tab. 72.

(a) In Tabulis eadem omnino calicis figura, profunde scilicet tripartiti: antheræ etiam sagittatæ, erectæ.



5. CAMPOMANESIA Fl. Per. est Cl. Forsterii Decaspermum *tab.* 37., quod ipsimet auctores nostri suspicantur.

6. ACUNNA Fl. Per. est Befaria D. de Lamarck *dict. Encycl.*

7. QUADRIA Fl. Per. est Gevuina laudati Lamarck et de Iussieu.

8. GUATTERIA Fl. Per. est Uvaria D. de Lamarck, quæ vulgo nominatur *Canang*, quamque Aubletius et Iussieus *Cananga* dixerunt.

9. GIMBERNATIA Fl. Per. est Chuncoa D. de Iussieu, quod nomen suppresserunt nostri auctores lepida ex causa, scilicet quia barbarum<sup>(a)</sup>.

Quam quæro utilitatem ex prædictis septem nominibus Botanica reportabit? Scientiæ cultores haud quærunt nova nomina; sed genera quæ vere nova sint; neque bonæ frugis quidquam in sequentibus invenient, quia

10. NERTERIAM dedit Smith *Icone* 28.

11. TALINUM ego in primo Iconum volumine *tab.* 1.

12. CUPHEAM Cl. Iacquinus in horto botanico *tab.* 177.

13. ARISTOTELIAM L'heritierius *tab.* 16. tanta cura ut supervacaneum sit de ipsa quidquam dicere.

14. DOMBEIAM, quæ Tourrea est, idem L'heritierius icone pulcherrima.

15. EMBOTHRIUM Forsterius *tab.* 8., cuius generis speciem in vulgus edidi *tab.* 65.

16. MUTISLÆ characteres evulgarunt Linnæus et de Iussieus, qui perfectissimam possidet iconem.

17. TERNSTROMIÆ Mutisius, Linnæus et de Iussieus, qui ex sententia D. L'heritierii idem genus esse asserit atque Tonabea.

18. VALLEÆ laudati tres auctores.

19. KRAMERIÆ Loëflingius Iussieus aliique.

20. VISMIÆ Cl. Vandellius.

21. MENDOZIÆ idem.

22. EPIDENDRI Linnæus de Iussieus et inter alios Cl. Iacquinus qui plures species vivis coloribus expressit.

Reliquum erat ut quam maximas auctoribus Floræ gratias agerem ob peculiare genus nomini meo dicatum; sed quum eo me honore prius ornasset Cl. Thunbergius<sup>(b)</sup>, voluntatem non rem accipere iubent botanicæ disciplinæ canones. Idem fortasse dicent Humboltius et Desfontaines. Illi enim genus dicavit Haenke, huic L'heritierius.

De generum nominibus id unice dicam quod Linnæus in *Philosophia Botanica* §. 239. „nomina generica non abutenda sunt ad sanctorum, hominumve in alia arte illustrium favorem captandum aut memoriam conservandam. Unicum botanicorum præmium.” Et alibi „hoc unicum et summum præmium laboris sancte servandum et caste dispensandum ad incitamentum et ornamentum Botanicæ.”

Matriti die 10 Ianuarii 1795.

(a) Nomen genericum dignum alio, licet aptiore, permutare non licet. Dogma clarissimi Linnæi

in *Philosophia Botanica* §. 246.

(b) Nova plantarum genera. *Upsaliæ* 1792.



tur hoc in Styrace et in Strigilia ad quorum alterum Foveolaria pertinet. Nec Ruizium terreat amantissimi præceptoris observationes, logicæ atque botanicæ fundamentis destitutæ. Legat precor quæ in 2<sup>o</sup> Iconum volumine conscripsi, ubi professoris huius oscitantiam et errores patefeci.

In Rhyncotheca parum sibi constant auctores nostri. Unicam huius generis viderunt speciem et in ea stamina decem; quibus ad Decandriam revocare ipsam debuere secundum Linnæi systema, quod mordicus se retinere dixerunt in præfatione. Nihilominus inter Polyandras eam ponunt quia „staminum ceterarumque partium insertio figura et dispositio et cum Thalictro affinitas potius ad hanc classem quam ad Decandriam eam refferre ipsos cogunt. Perutilis quidem observatio his qui naturale systema sustinent, quique Linnæi classes spernunt; minime vero Floræ auctoribus, qui plantas ad classes revocare debent secundum staminum numerum, et cetera a Linnæo præscripta.

Illud quoque admonebo non nulla genera pro novis venditari, quæ iam pridem erant a Botanicis cognita et divulgata, plura etiam, quæ ut ut vetera agnoscant, edunt iterum inventorum suorum numerum specie tenus aucturi. En utrorumque catalogum.

1. POURRETIA Floræ Peruvianæ est Pitcairnia L'heritier Serti Anglici pag. 7. tab. 11. ut ex tabularum et characterum collatione constat. Iuxta L'heritier calix est tripartitus<sup>(a)</sup>; petala tria linearia convoluta, ad quorum basim squama nectarifera: filamenta sex receptaculo inserta; germen trigonum: stylus trisulcus: stigma trifidum, spirale: capsula trigona, trifariam dehiscens: semina numerosissima. Secundum auctores vero nostros Cal. Perianthium triphyllum: foliolis ovato-lanceolatis, marginibus convolutis, concavis, rigidis; inferum, persistens. Cor. Petala tria, lanceolata, erecta, superne patentia, spiraliter marcescentia. Stam. Filamenta sex, subulata, erecta, corolla paulo breviora. Antheræ sagittatæ, erectæ, petalorum altitudine. Pist. Germen ovatum, obtuse trigonum. Stylus filiformis triquetrus, sulcatus longitudine staminum. Stigmata tria subspiralia acuta. Per. Capsula ovata, obtuse trigona, trilocularis, trivalvis. Semina numerosa, oblonga, utrinque acutissima.

2. COSMIBUENA Fl. P. est Hirtella Iacchini tabulæ 11. stirpium Americanarum; quod nullus inficiabitur qui tabulas et characteres observet. Cl. Iacquinus dixit calicem quinquepartitum: corollæ petala quinque subrotunda: filamenta tria longissima: antheras subrotundas: germen subrotundum, villosum, compressum in latere, cui stamen nullum adponitur, sed e quo ipso erigitur stylus filiformis inferne hirsutus, longitudine fere staminum, cuius stigma simplex: pericarpium baccam: semen unicum. In flora vero Peruviana legitur: Cal. Perianthium pentaphyllum: foliolis ovatis, concavis; inferum, persistens. Cor. Petala quinque obovata, emarginata. Discus nectariferus annularis germen ambiens. Stam. Filamenta tria, subulata, patentia, petalis longiora, inter petala et discum receptaculo inserta. Antheræ subrotundæ bifidæ. Pist. Germen obovatum, hirsutum. Stylus subulatus, longitudine staminum, e basi germinis ortus, hirsutus. Stigma capitatum. Per. Drupa? cuneiformis, subplicata, unilocularis, monosperma. Sem. solitarium, obovatum, acuminatum, uncinatum.

Nomen genericum in eodem genere unicum erit, dixit apposite Linnæus in *Phil. Bot.* §. 218. ergo expungendum *Cosmibuena* inconsulte introductum. In honorem tamen dignissimi D. Cosimi Bueno aliud novum genus invenient auctores nostri, tuncque recte facient, si per simplicem vocem, *Buena* scilicet, illud evulgent. Generica enim nomina ex duobus vocabulis composita e Republica botanica releganda sunt. Quare Iuanulloa, Gonzalagunia et Gomortega contra artis præcepta constructa in digniorem formam recudenda videntur, eo maxime quia Ortega genus habetur in Linnæi operibus, et Laguna in mea Monadelphia. Consulatur. *Phil. Bot. Lin.* §. 228, 230, 231.

3. STEREOXYLON Fl. Per. est Escallonia Cl. Smith, qui duas species descripsit serratam et myrtilloidem, quas nitidissimis expressit tabulis, 30. scilicet et 31.

4. SARACHA Fl. Per. ad Atropam pertinet, cuius speciem unam descripsi atque delineavi tab. 72.

(a) In Tabulis eadem omnino calicis figura, profunde scilicet tripartiti: antheræ etiam sagittatæ, erectæ.



5. CAMPOMANESIA Fl. Per. est Cl. Forsterii Decaspermum *tab.* 37., quod ipsimet auctores nostri suspicantur.

6. ACUNNA Fl. Per. est Befaria D. de Lamarck *dict. Encycl.*

7. QUADRIA Fl. Per. est Gevuina laudati Lamarck et de Iussieu.

8. GUATTERIA Fl. Per. est Uvaria D. de Lamarck, quæ vulgo nominatur *Canang*, quamque Aubletius et Iussieus *Cananga* dixerunt.

9. GIMBERNATIA Fl. Per. est Chuncoa D. de Iussieu, quod nomen suppresserunt nostri auctores lepida ex causa, scilicet quia barbarum<sup>(a)</sup>.

Quam quæso utilitatem ex prædictis septem nominibus Botanica reportabit? Scientiæ cultores haud quærunt nova nomina; sed genera quæ vere nova sint; neque bonæ frugis quidquam in sequentibus invenient, quia

10. NERTERIAM dedit Smith *Icone* 28.

11. TALINUM ego in primo Iconum volumine *tab.* 1.

12. CUPHEAM Cl. Iacquinus in horto botanico *tab.* 177.

13. ARISTOTELIAM L'heritierius *tab.* 16. tanta cura ut supervacaneum sit de ipsa quidquam dicere.

14. DOMBEIAM, quæ Tourrea est, idem L'heritierius icone pulcherrima.

15. EMBOTHRIUM Forsterius *tab.* 8., cuius generis speciem in vulgus edidi *tab.* 65.

16. MUTISIÆ characteres evulgarunt Linnæus et de Iussieus, qui perfectissimam possidet iconem.

17. TERNSTROMIÆ Mutisius, Linnæus et de Iussieus, qui ex sententia D. L'heritierii idem genus esse asserit atque Tonabea.

18. VALLEÆ laudati tres auctores.

19. KRAMERIÆ Loëflingius Iussieus aliique.

20. VISMIÆ Cl. Vandellius.

21. MENDOZIÆ idem.

22. EPIDENDRI Linnæus de Iussieus et inter alios Cl. Iacquinus qui plures species vivis coloribus expressit.

Reliquum erat ut quam maximas auctoribus Floræ gratias agerem ob peculiare genus nomini meo dicatum; sed quum eo me honore prius ornasset Cl. Thunbergius<sup>(b)</sup>, voluntatem non rem accipere iubent botanicæ disciplinæ canones. Idem fortasse dicent Humboltius et Desfontaines. Illi enim genus dicavit Haenke, huic L'heritierius.

De generum nominibus id unice dicam quod Linnæus in *Philosophia Botanica* §. 239. „nomina generica non abutenda sunt ad sanctorum, hominumve in alia arte illustrium favorem captandum aut memoriam conservandam. Unicum botanicorum præmium.” Et alibi „hoc unicum et summum præmium laboris sancte servandum et caste dispensandum ad incitamentum et ornamentum Botanicæ.”

Matriti die 10 Ianuarii 1795.

(a) Nomen genericum dignum alio, licet aptiore, permutare non licet. Dogma clarissimi Linnæi

in *Philosophia Botanica* §. 246.

(b) Nova plantarum genera. *Upsaliæ* 1792.



*Carta de un vecino de Lima á los Autores del Memorial Literario acerca de las  
Disertaciones Botánicas de D. Antonio Joseph Cavanilles.*

Muy Señores míos: Por este último correo acaban de recibir los Botánicos de esta expedición una carta de D. Antonio Joseph Cavanilles, Abad de Ampudia, escrita desde Paris, juntamente con un extracto de los nuevos géneros dedicados que ha descubierto de la clase de las *Malvaceas*, ó *Monadelphias*, diciéndoles haberse tomado la libertad de llamar y honrar á dos de ellos con sus nombres; y que espera aprueben su determinación, á la qual dió motivo el derecho de paisano, y el distinguido mérito que tienen contraído entre los Botánicos. Asegura que su obra abraza toda la *Monadelphia*, y que la tiene casi concluida, aumentada de muchos géneros nuevos, y enriquecida de observaciones hechas con prolixo exámen; por lo qual, y por hallarse estos profesores en un país nuevo y fecundo, se lisonjea que quieran enviarle algunas producciones del Reyno vegetal &c.

El extracto, que se compone de cinco hojas útiles, está escrito en Frances, exceptuando las definiciones específicas que pone en Latin, sin mencionar las descripciones de las plantas.

Estos Botánicos se han quedado sumamente maravillados de un descubrimiento de tantos géneros en una clase como la *Monadelphia*; quando tan solamente han hallado ellos un género nuevo de sola una especie en un país tan ameno y nuevo.

Los géneros son los siguientes: *Anoda*, *Palaua*, *Laguna*, *Dombeia*, *Assonia*, *Ruizia*, *Pavonia*, *Cienfuegosia*, y *Senra*.

No acaban de concebir los pocos fundamentos que expone para separar estas especies de los nuevos géneros establecidos por Lineo, y formar de ellas los mencionados nuevos géneros:

Aunque suspenden por ahora su juicio, no pueden ménos de extrañar que este laborioso y loable aficionado por sola la *cápsula multilocular* con sola una semilla, establezca el género de la *Anoda*, y separe las tres especies que trae del género *Sida*. La *Ruizia*, segun su descripción, es una *Sida*. La *Pavonia* por sus caracteres genéricos es un *Hibiscus*. La *Cienfuegosia* es igualmente un *Hibiscus*. Las descripciones de los demas no dan suficiente idea para determinar que género sean por la mezcla que hace de unos con otros; y así es necesario para acabar de formar concepto ver las láminas con las mismas plantas.

Olvida sin duda las inconcusas doctrinas de Lineo, y se desentiende de que este famoso Botánico distingue los géneros de la *Monadelphia* por el cáliz. Tambien se persuaden que no tiene presente que las mas especies de un género (generalmente hablando) varian por lo comun en algunos caracteres, bien sea de la flor ú del fruto, como sucede en el *Rhamnus*, *Valeriana*, *Margravia*, *Campanula*, *Antirrhinum*, *Commelina*, *Verbena*, *Fussia*, *Lythrum*, *Portulaca*, *Triunfetta*, *Euphorbia*, *Croton*, *Spiraea*, *Laurus*, *Geranium*, *Fumaria*, y casi en todos quantos géneros hay hasta hoy descubiertos. Pero no dudan que si viajara, y practicara con su acostumbrada afición esta ciencia, se arrepintiera de la formación de tales nuevos géneros; pues observaria la genuina analogía que entre sí tienen las especies de un mismo género, y la variación en alguna de sus partes genéricas.

Finalmente en vista de las grandes dificultades que han encontrado en la formación de tales nuevos géneros, han suspendido en algun modo el juicio, como asimismo la contestación de la carta, y la dedicación que han pensado hacerle de un género nuevo hasta su llegada á esa Corte, que esperan se verifique en Agosto ó Septiembre próximo. = Dios guarde á Vms. &c. = Lima y Noviembre 11 de 1787.



*Carta de D. Antonio Cavanilles en respuesta de la que se insertó en la segunda parte del Memorial Literario del mes de Setiembre de 1788, donde se hace crítica de sus Disertaciones Botánicas por uno que se titula vecino de Lima.*

Muy Señor mio: Conozco que Vm. vió el extracto que de mis tres primeras Disertaciones hizo el Redactor del Diario de Física de esta Corte en el mes de Febrero de 1787 tocante á mis nuevos géneros, y siento que la grande distancia que nos separa le haya privado de ver las seis Disertaciones, y las doscientas láminas que tengo publicadas, como tambien de saber los elogios que por ellas he debido á la Real Academia de Ciencias de Paris, á los papeles públicos de esta Capital, Pisa, Zurick, Gottinga, y á los sugetos distinguidos en la Botánica, como Thunberg, De Jussieu, Lamarck, Willdenow, Usteri y otros, que ciertamente suponen mas que un anónimo de Lima. Tal vez entónces hubiera Vm. medido sus expresiones, y entendido si tuve fundamentos para publicar mis géneros. Tambien siento que se le haya escapado á Vm. en su carta el asegurar que los Botánicos que estaban en la expedicion habian suspendido el contestarme, porque cabalmente con la misma fecha de 11 de Noviembre con que Vm. escribia, el Señor Pavon me honró con una carta desde Huanuco dándome gracias, y elogiando mis trabajos botánicos, á no ser que su compañero le haya comunicado á Vm. la carta que le escribí, y á éste se deba atribuir quanto Vm. dice baxo la máscara de Anónimo, lo que no puedo creer.

Pero supongamos por un instante que Vm. me escribió desde Lima con dicha fecha, y que continúa aun allí su residencia, para distinguirle de los que hoy dia se hallan en España. Añadamos mas, y convengamos de buena fe, que Vm. está tan enamorado de las opiniones del célebre Lineo, que por ningun título ni evidencia se quiera apartar de ellas: docilidad y entusiasmo que es laudable en un principiante; pero que impediría el adquirir y descubrir nuevas verdades, si por desgracia todos padeciesen la misma enfermedad que Vm. Porque en tal caso nadie se atrevería á publicar que el famoso Sueco erró como hombre en formar los caracteres de un gran número de géneros; que otros deben ser corregidos, y otros suprimidos. Yo tuve la desgracia de publicar y demostrar esto en mis Disertaciones, y Vm. no acaba de concebir los fundamentos que tuve para hacerlo; añadiendo que olvido las *inconcu-* *sas* doctrinas de Lineo, quien distingue los géneros de la *Monadelpbia* por el caliz. No, no me desentiendo, como Vm. supone, de que este famoso botánico distingue los géneros de esta clase por el caliz; ántes publiqué y afirmo de nuevo, que no es siempre cierta su doctrina, y que de ella dependen muchas de las contradicciones de sus obras en este asunto. Ella le obligó á separar la *Althæa* de la *Alcea* contra el órden natural de estas plantas, en cuyas especies el número de las divisiones del caliz exterior varía desde cinco hasta nueve: y yo á vista de esto he reunido los dos géneros en uno, y la Academia de las Ciencias de Paris publicó que tuve razon en ello. Vm. sostendrá sin duda lo contrario; pero desde un Anónimo Limeño hasta una Academia de las Ciencias creo que hay alguna distancia.

Y si por el caliz se han de formar los géneros en esta clase, 1.º ¿por que separó Lineo del *Sida* el *Napæa*, teniendo ambos el mismo caliz y la misma fructificacion? Si Vm. señala por causa el que una especie de *Napæa* es dioica, sepa que esto no ha servido de inconveniente en otras ocasiones para reunir plantas, y que hoy dia aun los que defienden el sistema sexúal, le quitan las clases *Gynandria*, *Monœcia*, *Diœcia* y *Polygamia*, como lo han hecho Thunberg y Willdenow en sus Floras del Japon y de Berlin. Tambien reuní yo el *Napæa* al *Sida* sin su permiso de Vm., y esta Real Academia aprobó mi opinion. 2.º ¿Por que separó el *Hermannia* del *Mahernia* poniendo diez clases entre ellos, y asegurando falsamente que este último no era de la *Monadelpbia*? ¿Por que no reunió en un solo género el *Trichilia Turræa* y *Melia*, cuyos cálices son de la misma forma, los pétalos y estambres del mismo modo? 3.º ¿Por que apartó de esta clase el *Swietenia*, *Ticoræa*, *Turræa*, *Guarea*, *Melia*, *Siponima*, *Aquilicia*, *Averrhoa*, *Erythroxyton*, *Malpighia*, *Sandoricum*, *Strigilia*, *Qui-*



*visia*, *Portesia*, y otros que tienen los estambres reunidos en un solo cuerpo, y un caliz partido hasta la mitad en cinco partes, sin que este mismo Lineo haya hecho de ellos un *Sida*, en medio de tener muchos el fruto parecido al de este género? ¿No halla Vm. en su Maestro culpable esta inconsequencia? Vaya Vm. creyendo, Señor Anónimo, que aunque el Plinio del Norte hizo mucho, nos dexa aun mucho mas que trabajar; que se equivocó muchas veces ya arrastrado de sus maximas, para sostener la hermosura y verdad en gran parte ideal de su sistema, ya por faltarle plantas y observaciones.

Vm. se maravilla al ver tantos géneros nuevos en la Monadelphia, quando los Botánicos de la expedicion han hallado uno solo de una sola especie<sup>(a)</sup> en un pais tan ameno y nuevo. ¿Con que fuera del Perú y Chile no se pueden descubrir nuevas plantas? ¿Con que Forster no pudo encontrar en su viage los nuevos géneros que ha publicado? ¿Con que Comerson en las Islas de Francia, Borbon, Madagascar, en el Brasil, y Estrecho de Magallanes; Adanson en el Senegal; Joseph de Jussieu, Sonnerat y otros en varios climas no han podido ver sino cosas conocidas? Pues sepa Vm. Señor Anónimo, que se engaña, y que yo sin haber salido de Europa he hallado nuevos géneros, como lo demostraré muy pronto. Vm. me exhorta á viajar y practicar la botánica, y entónces (me asegura Vm. con su grande experiencia y profundos conocimientos) me arrepentiré de haber publicado mis géneros. ¿Cree Vm. que yo publico mis obras como Vm. escribe sus Cartas? ¿Le parece á Vm. que hallará en aquellas una opinion solamente que no esté fundada en la observacion mas atenta? ¿Ó que yo osaría hablar contra el modo de pensar de algun autor sin demostrar con evidencia que se equivocó? Lea, lea Vm. Señor Anónimo, mis obras, y aprenda á criticar: sepa tambien que para descubrir géneros y especies nuevas no es menester visitar la América, ni la India Oriental, como lo prueban los exemplos de Lineo, y de su hijo, de los Señores L'heritier, de Antonio de Jussieu y Lamarck, que nunca salieron de la Europa: porque solamente se necesitan plantas y conocimientos botánicos: aquellas nos las recogen y traen los que viajan, instruidos, ó ignorantes, con tal que las sequen y conserven bien con flor y fruto: estos se aprenden consultando con hombres sabios y buenos libros. En quanto á la práctica de la ciencia, solo diré, que ya he publicado varias obras, y que han merecido elogios de los literatos. Pásemos ahora á demostrar la exístencia de mis géneros.

Vm. cree á pies juntillas que Lineo hizo bien en separar los géneros *Malva* y *Malope*, porque el fruto de aquel se compone de muchas caxitas puestas en rodaja, y el de este de muchas semillas amontonadas en forma globulosa, sin que le sirva de embarazo el que convengan en el resto de la fructificacion: ¿pues por que no me he de valer yo del mismo derecho y separar el *Palaua* del *Sida* por las mismas razones? Sea Vm. consiguiente en sus opiniones, y sin hacer traicion á su querido Lineo, hallará un nuevo género: porque no hay remedio, ó reunir aquellos, que seria un crimen *lesæ paternitatis*, ó separar estos.

El *Ruizia*, segun mi descripcion, es un *Sida*, segun lo asegura Vm. sin presentar prueba, y este debe ser sin duda el modo de criticar en Lima. ¿Pero, Señor Anónimo, no ve Vm. que mi *Ruizia* tiene dos cálices, los que segun su Padre Lineo, siendo el exterior *trifilo*, denotan una *Malva*? Vaya que tal vez se habrá equivocado Vm. ó el Impresor poniendo *Sida* en lugar de *Malva*. Pero escoja Vm. entre estos géneros: siempre será cierto que mi *Ruizia* por tener los estambres reunidos en una como copa, y dos cálices, de los quales el exterior es deciduo, no podrá pertenecer á los géneros *Sida* ó *Malva*; y si Vm. los violenta, habrá de hacer un *Sida* del *Geranio*, y un *Malva* del *Gordonia*, en quien se halla el exterior deciduo, resultando de esto la mayor confusion en la Botánica, efecto indispensable del cúmulo de luces que brillan en su crítica.

En quanto al *Dombeia* guarda Vm. un profundo silencio, y aunque dicen que quien calla otorga, yo he creido siempre, que el que calla no habla. Este género tiene dos cálices, un fruto en rodaja y estambres unidos; pero no puede ser malva por ser deciduo su caliz

(a) Sé que entre las Plantas nuevamente descubiertas en el Perú se contaba como nuevo género el *D'Aub-*

*tania tomentosa*, la qual pertenece al *Waltberia* que yo he publicado en mi sexta Disertacion Tab. 171.



exterior, y tener cinco estambres estériles, ó cinco excrecencias en forma de lengua interpuestas entre los estambres. Lea Vm. en el prólogo de mi tercera Disertacion el uso de aquellos estériles, y el grosero error en que cayó el Caballero Lineo al mezclar entre las especies del *Pentapetes* la planta que él llamaba *Pentapetes phoenicea*, que es una especie de mi género *Dombeya*.

El *Pavonia* segun sus caractéres genéricos es un *Hibiscus*, afirma Vm. igualmente suponiendo que le crearán sin probarlo; pero repare Vm. que se engaña, y que se olvidó de las reglas de su director Lineo, quien dixo en su *Genera plantarum*, que el *Hibiscus* tiene un solo estilo partido en cinco hilitos, y que su fruto es una caxita con cinco celdas; cuyos caractéres no se hallan en mi *Pavonia*, que tiene diez estilos y cinco caxitas por fruto. Debiera Vm. leer con cuidado las obras de Lineo, y exâminar atentamente por ahora las especies de *Hibiscus* y *Urena*, y entónces hallaria entre las primeras el *Hibiscus Spinifex*, y entre las *Urenas* la *Ur. Typhalæa*: dos plantas, cuyos caractéres genéricos son los mismos, y que separa el Sueco sin saber la causa, añadiendo á este error otro de la misma gravedad; porque forma un *Hibiscus* de la primera, y una *Urena* de la segunda, de cuyos géneros deben salir para formar mi *Pavonia* que abraza sus caractéres, como he demostrado en mi tercera y sexta Disertacion.

¿Que tal, Señor Anónimo, tengo suficientes motivos para formar nuevos géneros y para no seguir á ciegas á Lineo? Vm. convendrá en que vale mas ver los autores y exâminar las plantas de que hablaron, ántes de declararse en favor ó contra ellos, que ser autor Anónimo ó erudito á la *Violeta*.

Si hubiéramos de seguir hasta los defectos de un hombre de mucha reputacion como lo es Lineo, diriamos con él, que el *Samyda* y *Casearia* forman un género, y el *Stewartia* y *Malacodendron* otro: error imperdonable, como hice ver en mi quinta Disertacion. Tambien diriamos que el *Hibiscus populneus* tiene el caliz exterior de una pieza; pues ignoró Lineo lo que ya publiqué en mi tercera Disertacion, en donde probé que se componia de tres hojitas. Vm. lleno de aforismos hubiera gritado: luego el tal *Hibiscus* es una *Malva*; y pasando luego al *Hibiscus Tiliaceus*, despues de conocer que su caliz exterior era de una pieza con diez dientes, diria: luego tenemos aquí una *Althæa*. Vea Vm. Señor Anónimo, las malas conseqüencias de mirar el caliz como piedra de toque, y decir con su Maestro: *Nos genera distinguimus à calice, qui magni momenti est, et límites absolutos ponit!* Lin. gen. plant. p. 346.

Del número de estilos y celdas del fruto, que puso Lineo entre los caractéres del *Hibiscus*, se infiere que mi *Cienfuegosia* forma un nuevo género, por tener un solo estilo, y tres celdas en su fruto; asimismo por carecer de caliz exterior mi *Laguna* se ve excluida de aquel género. Yo no sé si á Vm. le parecen suficientes estos caractéres despues de saber que los aprobó esta Academia, y que van bien con los principios del mismo Lineo; pero quando Vm. vea que el *Conarus* se distingue del *Averrhoa* por solo el fruto, conviniendo en el caliz, número, figura y posicion de los estambres; quando Vm. sepa que el *Aquilicia* y el *Sida* parecidos en fruto, caliz y reunion de estambres, los separa Lineo por otras circunstancias: entónces no extrañará mis géneros *Laguna* y *Cienfuegosia* distintos del *Hibiscus*.

Extraña Vm. que la cápsula multilocular me dé fundamento para formar el género *Anoda*, y separarle del *Sida*: ¿pero ignora Vm. que esto mismo separa el *Hibiscus* de la *Althæa*? porque si se concede á esta una cápsula multilocular, en vez de las muchas que tiene en rodaja, ya será *Hibiscus*; pues entónces ambos tendrán un doble caliz, de los quales el exterior multifido; los estambres insertos á un tubo; y el mismo fruto. No olvide Vm. los fundamentos poderosos con que Lineo separó el *Andrómeda* del *Erica*, quedando la pobre especie (*Daboecia*) fluctuando hoy dia: aquellos con que separó el *Convolvulus* del *Ipomæa*, la *Trichilia* del *Turraea*, y otros muchos, y le parecerán mas sólidos los míos. En mi *Asonia* hallará Vm. un doble caliz persistente, y veinte filamentos, de los quales cinco son estériles. Tómese el tiempo que le parezca para consultar Amigos, y revolver Autores, y favorézcame con nombrar el género á quien convengan estos caractéres: lo mismo digo en orden al género *Senrra* atendidos los suyos.



Se queja Vm. en su carta de que mis descripciones no le presentan idea suficiente; pero acuérdesese, Señor Anónimo, que muchas veces la idea que es clara y distinta para uno, es obscura y confusa para otro. Creo que con unas quantas cartas anónimas que Vm. espete, si halla quien le responda, é instruya con sus respuestas, se irán aclarando sus ideas, pasarán á distintas, completas y adecuadas; pero, Señor Limense, le prevengo, que el tiempo me es muy precioso, y no le perderé mas en refutar anónimos de su calibre.

En fin, me persuado que le he demostrado la verdadera exístencia de mis nuevos géneros, y le suplico que no dude de la sinceridad de mis expresiones, como yo quedo altamente persuadido de la sinceridad con que Vm. escribió su carta. Dios le guarde muchos años. Paris á 28 de Noviembre de 1788.

B. L. M. de Vm.  
su servidor y capellan

*Antonio Joseph Cavanilles.*



## PRÆFATIO.

Edita Valentini regni descriptione <sup>(a)</sup>, ad opus tantisper ea de causa intermissum redeo. Dedi tribus voluminibus plantas hispanicas, peregrinas etiam in Hispaniæ hortis cultas. Nunc vero rariores alias adiungam per totum orbem conquisitas, quasque recens siccas examina- vi quanta maxima potui diligentia. Harum complures ad Epacrim, Eucalyptum, Metro- siderum atque Leptospermum pertinent, nota quidem genera, sed quorum characteres haud parum novis observationibus illustravi: aliæ nova genera constituunt partim Epacri affinia, partim ab hoc multum dissidentia. In omnium tabulis fructificationis systema expressi, quod in primis utile, immo Botanicæ studiosis necessarium. Utinam eadem qua nos ratione et alii Botanici omnia inventa ederent quæ clarissimis peregrinatoribus Commersonio, Bank- sio, Thunbergio, utriusque Forsterio innotuere. Utinam iis generibus quæ Forsterii, Gärt- neri, et de Jussieu scriptis traduntur, quorumque nonnulla reformata vidimus a Lamarck, Schreberio, aliisque, specierum icones et descriptiones adiungerentur. Fortasse vota nostra non exiguam partem impleverint Banksius et Reichardus; nec dum tamen eorum lucu- brationes nobis perlustrare licuit, neque novimus an prelo commissæ fuerint. Interea vero dum huiusmodi thesauris caremus, operæ pretium facturum me putavi si quæ ad manum habeo cum omnibus communicem.

Dabam Matriti die 1 Septembris anni 1797.

(a) Observaciones sobre la historia natural, geografia, agricultura, poblacion y frutos del Reyno de Valencia.









## LECTORI BENEVOLO.

Inceptum opus intermittere decreveram, ut aliquam requiem oculis concederem iugi plantarum examine ac delineatione fatigatis: attamen novarum stirpium et in Regio horto crescentium, et maxime in herbariis conservatarum conspectus sic animum affecit, ut contineri nullo modo potuerim, quin earum observationi diligenter incumberem. Atque ut id facerem imprimis impulit bonorum virorum opinio qui benigne præcedentia volumina recepere, eaque Botanicæ utilissima fuisse edixere scriptis editis Viennæ, Berolini, Upsali, Parisiis aliisque locis. Nihil certe iucundius auctori, ei præsertim cui scientiæ profectus unice cordi est, quam publicum ab eruditis exhibitum utilitatis testimonium, neque amicitia quæsitum, neque assentionibus extortum. Gratias nunc ipsis ago, agamque dum vivam; quorum officiis non aliter mihi videor respondere posse, quam posthabitis meis commodis, imo et valetudine inceptum opus proseguendo.

Edidimus hucusque quattuor volumina et in eis plantas aut Hispaniæ nostræ indigenas, aut ex Americanis seminibus in hortis natas, aut in variis terrarum orbis provinciis lectas. Et quamquam harum plures non nisi exsiccatae ad manus meas pervenerint, non ideo mihi contemnendæ visæ fuerunt, eo præsertim quod plura ex ipsis commoda Botanicæ accedant, ut alibi demonstravi. Lumine enim novo perfunduntur quæ alii tradiderunt; firmantur iudicia novis generibus et speciebus; et quod potissimum est, errores sæpe corriguntur auctorum qui vivas primum in loco natali examinarunt. Prætermitto alia in eius propositi confirmationem, unicum exemplum addidisse contentus. D. D. Pavonius et Ruizius MALESHERBIAM in Peruvia observantes, characteres ipsi tribuerunt, quos ego postea in sicco adeo discrepantes inveni, ut nullatenus animum inducere potuerim ad credendum, eandem ipsos plantam descripsisse, quam in quarto huius operis volumine GYNOPLEURAM nominavi; quousque nuperrime in Systemate vegetabilium Floræ Peruvianæ et Chilensis pag. 79 id ultro confitentur. Vidit apud me Pavonius novi mei generis fructificationis systema in tabula depictum, quod postea in ramis siccis comprobavit. Nihil certe memorati auctores de seminum figura, ipsorumque receptaculis dixerunt: stylos basi germinis affixos prædicarunt, quorum vera insertio paulo infra germinis apicem existit; et squamulas tandem sex tridentatas, quarum numerus denarius est. Hos ergo defectus non imperitiæ auctorum tribuo, a cuius suspitione longe absom, sed aliis causis, quas declinare non semper possumus qui scientiam promovere nitimur. Eisdem causistribuendum puto haud spernendum discrimen inter meas CERVANTESIÆ ac MUTISIÆ descriptiones, et Prodromi generum characteres.

Probata ergo siccarum stirpium utilitate, earum maxime quæ secundum regulas artis conservatæ integram fructificationem retinent, pauca de hoc volumine proloquar in quo 130 plantas descripsi, fere omnes ex ditissimo herbario indefessi peregrinatoris Ludovici Née. Qui per quinquenium lustrato Orbe, Novam Hispaniam perscrutatus est ab Acapulco ad Mexicanam urbem; Peruvianum imperium atque Chilense, altissimosque montes, qui perpetuis iugis numquam intermisso cursu versus Magellanicum fretum feruntur: Novam-Hollandiam; Philippicas insulas, Marianas, Maclovianas, illasque maris pacifici Americorum dictas; tum et etiam Chiloensem Sancti Caroli Botanicis ignotam. Investigavit etiam pari diligentia immensam planitiem, vulgo *Pampas de Buenos Ayres*, quæ a Montevideo ultra Mendozam protrahitur; hincque superatis chilensibus Alpibus, examinato Chimborazo monte, illoque non minus celebri Tunguragua dicto, cuius vicinia miserrimo, recentique



terræmotu (a) deformata iacent, Guayaquilium venit, tum Panamaidem, et inde versus Septemtrionem Sancti Blasii portum atque adiacentes silvas. Hinc retrogrado itinere versus Austrum perrexit, novaque peregrinatione per montes valles, planities discurrens Montevideo tandem venit, atque inceptum iter fauste terminavit. Numerare vix possum quæ secum adsportavit mineralia insecta et præcipue plantas, quarum numerus 10.000 maior, earumque tertia saltem pars Botanicis ignota. Non omnes ille determinavit; utpote qui earum exsiccationi atque conservationi semper intentus, vix otium habebat ad rite explendum munus, quod non nisi libris circumdatus atque animo tranquillo obire posset: nihilominus quamplures accurate descripsit et plusquam tercentum iconibus depingi curavit, quæ mihi utilissimæ fuerunt ad meas delineandas.

In hac ditissima plantarum collectione plures familiæ mirum in modum auctæ conspiciuntur, inter quas eminet illa Filicum, quorum forma elegans, fructificatio varia, multitudo denique specierum, intuentium oculos oblectat, animumque allicit. Sequitur deinde Compositarum cohors, copiosior, pulchriorque præcedente: Graminum postea atque Labiatarum phalanges, quæ novitate, formis, numero multorum Botanicorum vigiliis sufficient. Per-

(a) Quamplures ignivomi montes existunt in Quintensi Regno, quorum viscera perpetuo fervent, unde vapores densi, et sæpe flammæ per foramina prodeunt. Fit etiam sæpissime, quieta terra, in ipsis rumor, mugitusque horribilis, qui terræmotum prænuntiant, cui regio illa obnoxia semper existit. Ab anno 1791 mugitus illi sonitusque frequenter audiebantur in Tunguraguæ viciniis; cuius montis declivia, lava tecta, igne interno potius quam sole usta, examinantibus Antonio de Pineda et Ludovico Née tantus terror incidit, ut toti contremiscerent et horrendo sonitu et intolerabili ardore per rimas et foramina prodeunt. Prædixit Pineda, cuius infaustam mortem dolent amici verique scientiarum cultores, eruptionem parari infestissimam feracissimæ regioni; veraque præsentisse, declaravit eventus. Die enim 4 Februarii anni 1797 hora septima matutina cum tribus quadrantibus, Tunguraguæ culmine præter solitum sereno, commotis montium visceribus, atque horum partibus percussis, concussionem dilaceratis, immensus terræ tractus per quattuor minuta undulatiore tremuit tanta vi, ut numquam terremotus maior existit, numquam durior calamitas, aut dirior clades hominum memoria conservata. Ictu ut dicam oculi multa oppida corruerunt, alia ut Riobamba, Quero, Pelileo, Patate, Pillaro montium ruinis cum viventibus obruta; alia Ditionum Hambato, Latacunga, Guaranda, Riobamba, et Alausi fere funditus eversa; alia terræ desessu, atque fluminum in contrarias partes fluxu varie afflicta; alia demum mirum in modum commota fuere, turribus atque domibus ruinam minitantibus: unde tanta clades orta, ut sexdecim fere mille homines perierint illo primo et sequentibus terræmotibus. Hora etenim decima matutina et quarta vespertina eiusdem diei quartæ Februarii post horribilem sonitum terra iterum tremuit, tremuitque frequenter toto Febuario et Martio miti concussionem. Sed die 5 Aprilis hora secunda matutina cum tribus quadrantibus nova concussionem accidit in destructis oppidis adeo vehemens ut nisi iam prius ista corruerint, funditus proculdubio tunc fuissent eversa.

Hic terræmotus inæquali strage immensum terræ

spatium affecit centum et quadraginta leucis productum ab ortu in ocasum, a mari scilicet usque ad fluminis Napo ripas; et centum et septuaginta ab aquilone in africanum, videlicet a Popayan usque ad Piumram. In huius tractus quasi centro iacet destructa regio, quæ quadraginta leucas complectitur a septentrione ad austrum inter Guarandam nempe et Machache; viginti vero ab ortu in ocasum. Huic luctuosæ terræ quondam feracissimæ, fructuum varietate et copia præ ceteris diviti, hominumque numero ampliori, tamquam non unica terræmotus pestis sufficeret, alia miserrima evenit quæ luctum et stragem complevit. Desederunt terræ, cavernas horridas monstrantes; ruerunt in valles montium cacumina, e quorum visceribus torrentes prodire ex liquefacta et fætidissima materia tanta copia, ut valles plus mille pedes amplas et sexcentum profundas brevi tempore impleverint, domos viventia sepelientes. Hæc materia purissimas aquæ scaturigines aut destruxit aut conspurcavit: paucisque diebus in saxi modum indurata fluminum cursus impedivit, quorum aquæ in opposita refluentes per 87 dies regionem prius siccam in lacum converterunt.

Miranda quædam in hac catastrophe evenerunt phenomena, quorum duo indigitabo, ceteris prætermisissis quæ historiæ auctores elucidabunt. Ubi primum terra tremuit, lacus Quirotoa dictus, haud procul ab Insilve oppido Latacungæ ditionis, inflammatus fuit, eiusque calor armenta quæ in viciniis pascebantur suffocavit. Prope Pelileo urbem mons erat miræ magnitudinis La Moya nuncupatus, qui oculi ictu ruit, eodemque temporis momento flumen ingens vomit conspurcatus ac fetidissimæ aquæ quod urbis vestigia penitus delevit, superstitesque cives volutavit arripuit sepelivit.

Multa in hac deformata regione naturæ investigator inveniet scitu digna. Fragmenta audio inde in Hispaniam transportari examini subicienda. Verumtamen non in iis genuina soli mutatio, veræque fenomenorum causæ investigari debent; sed in loco ubi elementorum pugna existit et ruinæ persistunt. Hoc proculdubio faciet Fredericus Alexander Humboldt, qui Regis nostri veniam obtinuit invisendæ Provinciæ.



paucas invenit umbellatas, paucioresque tetradynamas, quod non peregrinatoris negligentia accidit, sed quod non omnis fert omnia tellus. Felicius fuit in Monadelphia cuius Sidas, Malvas, Pavonias, Hibiscos legit magna copia. Numerat in herbario Sidæ species 71; Passifloræ 37; Malvæ 28; Budleia 17; Banksia 16; Verbenæ 43; Iusticiæ 30; Salviæ 66. Lobelia 27; Solani 52; Loranthe 41; Piperis 52; Peperomia 12. Viola 9; Oxalis 27; Cassia 45; Mimosa 60; Bignonia 13; Polygalæ 32; Hedysari 38; Melastomæ 36; Conyza 41; Gnaphalii 62; Polypodii 119. Mitto reliqua ne videar numerare, quæ connumerari vix possunt. Illud tamen affirmare nullus dubito, peregrinatorum neminem hucusque rariorum stirpium inventarum numero Ludovicum nostrum superasse.

Huius seges amplissima Botanicorum vires atque iudicia longo tempore exercebit; quos ut ego in hac re pro virili adiuvem, plantas aliquas elucidavi hoc volumine, videlicet 17 Calceolarias, 2 Sclerias, 9 Aristidas, 4 Stipas, totidemque Melicas, 6 Convolvulos, 4 Selina, 4 Bauhinas, 5 Passifloras, 6 Sidas, 11 Mutisias, et inter alias selectissimas stirpes undecim nova genera. Horum ordine primum est *COLLADOA* ex graminum familia post *Andropogon* collocandum. Flores sunt illi polygami spicati: calicina gluma monophylla triflora, flosculis duobus rachidi contiguis hermaphroditis, tertio masculino: corolla bivalvis: stamina tria: styli duo: arista denique tortilis, corollæ prope germen inserta.

Tria sequentia pentandra sunt, quorum primum, *CALBOA* scilicet, quasi medium tenet inter *Ipomoeam* et *Azaleam*. Eius calix est inferus, persistens, semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis. Corolla monopetala, infundibuliformis, cuius tubus prope faucem perviam ventricosus est, limbus quinquepartitus laciniis lanceolatis. Staminum filamenta quinque, æqualia, corolla longiora, prope tubi basim inserta: antheræ ovatæ, stantes. Germen ovatum: stylus apice curvus: stigma globosum. Capsula tandem quadrilocularis, quadrivalvis, tetrasperma, in qua dissepimenta valvulis parallela in crucem connexa. Quare ab *Azalea* differt staminum insertione et loculamentorum numero; ab *Ipomoea* stigmate simplici, filamentis æqualibus nudis, calice monophyllo et capsula quadriloculari.

Huius classis secundum est *SELLIERA*, genus *Scævola* affine a quo differt; bacca scilicet ovato-turbinata, calice coronata; uniloculari, polysperma, cuius semina ovato-compresa, sacculis partialibus, membranaceis, marginatis contenta, quadrifariam imbricata circa columellam filiformem cui adfixa sunt. Nullus a *Scævola* distinguet hanc repentem plantulam, si floridam non fructiferam observet, quia eadem est ipsis fructificatio fructu excepto: quapropter floris descriptione silentio pretermissa ad aliud veniam quod est *CARMONA*. In hoc calix est persistens et profundissime partitus in quinque lacinias angustissimas. Corolla monopetala, cuius tubus brevis, et limbus quinquepartitus, laciniis ovatis. Staminum filamenta quinque, tubi basi adfixa, laciniis alterna, totidem sustentia antheras ovato-oblongas, didymas. Germen superum globosum; styli duo capillares; stigmata simplicia. Et fructus drupaceus, globosus, nucem fovens sexlocularem, in cuius loculamentis semina existunt oblonga solitaria.

Quæ ordine post prædicta veniunt, decandra sunt, Leguminosa duo, et tertium ex Malpighiarum familia. Illorum primum est *POMARIA*, cuius calix turbinatus est profunde partitus in quinque lacinias caducas. Corolla pentapetala, petalis breviter unguiculatis, superiore concavo, breviora. Staminum filamenta decem, distincta, calici inserta, declinata, subulata, inferne hirsuta, antheras totidem ovatas sustentia. Germen oblongum, compressum; stylus staminum longitudine, et stigma capitatum. Legumen germinis figuram æmularur, estque uniloculare, dispermum; cuius semina ovata. Differt ergo ab *Hoffmanseggia* calicis laciniis deciduis, et petalorum atque staminum base minime glandulosa. A *Poinciana* staminibus corolla brevioribus et legumine absque dissepimentis. A *Casalpinia* tandem laciniis calicis æqualibus caducis, et petalo superiore concavo breviora.

Alterum *ZUCCAGNIA* est, *Hæmatoxylo* affine, a quo differt petalo superiore ampliori concavo, leguminis forma, atque seminis insertione; quod non basi leguminis, ut frequentes evenit, sed valvularum apici affixum est. Calice constat monophyllo, persistente infero, cuius tubus brevis et turbinatus, limbus vero quinquepartitus, laciniis oblongis obtusis, in-



fima paulo longiore. Corollæ petala sunt quinque, ovata, calici inserta, quorum superius latius, concavum. Stamina filamenta decem, subulata, corollæ subæqualia, inferne pilosa: antheræ totidem ovatæ. Germen ovato-compressum, stylo terminatum capillari, curvo, cuius stigma infundibuliforme. Legumen denique subovatum est, compressum, uniloculare, bivalve, monospermum, crinitum.

GALPHIMIA est ultimum genus huius classis, adeoque simile Malpighiæ ut calicis glandularum defectu ab ipso differat: qua de causa nomen illi dedi quod est anagrama Malpighiæ. Et quoniam apud Botanicos notus est huius generis character, quattuor reliqua perscringamus, quæ monadelphæ sunt, licet ad diversas familias pertineant. Et quidem ex Leguminosarum tribu primum est, quod PAULETIAM dixi a Medici parisiensis nomine, qui Fungosarum plantarum commentarium evulgavit. Habitu, legumine et petalorum numero cum Bauhinia convenit, a qua differt calicis tubo persistente, et filamentis decem antheriferis, monadelphis, stylo subæqualibus.

LOUREIRA <sup>(a)</sup> genus est ex Euphorbiarum familia, Iatrophæ affine. Eius masculi flores constant calice infero, profundissime quinquepartito: Corolla monopetala, tubuloso-campulata, cuius limbus brevis quinquepartitus est et reflexus: Stamina 8-13, monadelphis et circum horum basim quinque glandulis. Feminei flores in diversa planta existunt, quorum corolla masculis simillima est, et calix longior atque persistens. Germen superum, subrotundo compressum, glandulis quinque cinctum. Stylus teres, apice bifidus; et stigmata lamellata emarginata aut bifida. Capsula dicocca, marginata, bivalvis, bilocularis, loculis monospermis. Stylo ergo simplici et fructu dicocco differt a Iatrophæ.

Duo ultima malvacea sunt, quorum BROTERA ex Dombeya phænicea et altera nova specie mexicana in Regio horto matritensi culta componitur; CRISTARIA vero ex Sida multifida et alia item nova specie chilensi. Horum characteres dedi in Monadelphia dum ad tempus dumtaxat. Dombeyæ et Sidæ consociavi memoratas plantas, quarum fructificationes diversa genera constituere iam ibi indigitavi.

Hæc erant de novis generibus dicenda. De reliquis pauca restant quæ binis verbis expediam. Et primo; Cranzii sententiam circa Selinum præfero Linnæi assertis, nihilque de involucris dicendum arbitror in characterе generico. Secundo; Mutisiæ genuinus character adhuc desideratur; illi etiam quos veluti reformatos recentiores tradidere, ad incudem iterum revocandi sunt: nullus enim quod sciam auctor setulas decem capillares ex anthera pendulas notavit, quæ re vera existunt in omnibus Mutisiæ speciebus. Tertio denique supplementum huic volumini addidi, quod fructus complectitur plantarum in hoc opere desideratos Cobœæ præsertim, quos qua potui diligentia delineavi.

Matriti die 20 Maii 1799.

(a) Huius generis atque aliarum plantarum mei operis descriptiones vidi mus in opere inscripto *Bulletin des sciences num. 25 pag. 3*, quas Societati Philomaticæ misseram die 10 Novembris anni 1798,

ut auctores ipsi fatentur his verbis: *la description de ces plantes a été envoyée à la Société Philomatique le 20 Brumaire an. 7 de la République française.*




## LECTORI BENEVOLO.

Quamquam plures adhuc habeam stirpes novas, alio titulo in posterum evulgandas; incepto tamen operi finem faciam hoc sexto volumine, quod ut præcedentia aut plantas complectitur in horto Regio cultas, aut in variis terrarum orbis provinciis lectas. Harum quattuordecim totidem nova genera constituunt; reliquis cognitorum species augmentur, eorumque characteres observationibus illustrantur. Banksiæ atque Goodeniæ genera, spuriis speciebus deformata, secundum genuinas ipsorum fructificationes disposui, Hakeas a Backsiis segregans, Scævolas a Goodeniis. Lobeliam, ditissimum genus, quattuordecim novis speciebus auxi; sex Eryngium; totidem Acalypham et Hedyotidem; Proteam quattuor in Nova Holandia lectis; Weinmanniam denique ut allia mitam tribus; quæ omnes indefesso peregrinatori debentur Ludovico Néé.

Ophioglossa vera ab spuriis seiunxi, atque ex his novum genus composui Ugena nomine, quod et Osmundam ad genuinas Felices pertinere demonstravi ex ipsorum fructificatione dorsali. Ægynetia et Buena genera sunt Ixoræ affinia; Condalia Rhamno; Huana-ca Sisoni; Bomplandia Phloxi; Buginillæ Tricycla. Huic calix est vere triphyllus, liber et uniflorus, a Buginillæ bracteis diversus, quarum quævis florem sessilem sustinet ipsi adnatum, pari fere modo quo in Tiliæ bracteis pedunculi conspiciuntur. Larrea medium quasi tenet inter Zygophyllum et Quassiam; cuius pericarpium nucem dixi, quia durum est et evalve. Cephalophora a Chrysocoma differt foveis receptaculi minime denticulatis, pappo paleaceo non piloso, et semine turbinato hexagono non compresso. Dichroma a Dordartia recedit calice, stigmatate, atque dissepimento valvis contrario. Mitrariæ, a calicis exterioris forma nuncupatæ, character differentialis consistit in calice duplici, et corolla tubuloso-ventricosa staminibus brevior. Casteliæ in nuce duplici, biloculari, loculis monospermis: Rizoæ in calice et corolla tubulosa, huiusque æqualitate labiorum, quorum superius trifidum est, bifidum inferius. Hoc ultimum genus ad Didynamiæ gymnospermia pertinet; tria præcedentia ad angiospermia; Francoa tandem ad Octandriam, ad quod videtur revocanda Feuillei planta *Llaupancke* nomine ab ipso evulgata vol. 2. tab. 31.

Hæc erant, mi lector, per summa capita dicenda de hoc volumine, quod notanda quædam claudunt, et plantarum in universo opere descriptarum tabula systematica. Nunc vero, quamquam totis viribus et qua potui diligentia plantas elucidare curaverim; ut in acceptum contenta referas nihil postulo, multoque minus ut opiniones meas omnes probes et nomina, quibus fortasse me inscio alii auctores usi sunt. Illud unum abs te peto ut errores et menda si forte irrepererint benigne corrigas, et in scientiæ profectum elucubrationes meas polias et illustres.







# DESCRIPTIONES PLANTARUM.

## TALINUM <sup>(a)</sup> REFLEXUM. *Tab. 1.*

1. TALINUM foliis lanceolato-ovatis, sessilibus, oppositis: florum panicula ramosa.

Portulaca paniculata. *Iacq. Amer. pict. p. 73. tab. 136. Hort. Vindob. vol. 2. tab. 151.*

Portulaca patens. *Linn. Syst. veg. edit. 14. p. 446. n. 8.*

Planta tripedalis et amplius herbacea glaberrima, cuius caulis teres ramosus.

Folia opposita, raro alterna, sessilia, lanceolato-ovata, crassa, nervo unico inferne protuberante notata.

Flores paniculati panicula laxa, cuius ramuli alternatim oppositi, aliquando alterni: flos quilibet pedunculatus, pedunculis capillaribus, fructiferis deflexis.

Calix inferus, parvus, membranaceus, pellucidus, profunde bifidus, deciduus.

Corolla lutea vix trium linearum diametri; hora meridiana patens, post meridiem reflexa, dehinc clausa, emarcida: petala quinque integerrima, apice subrotunda basi angustiora, atque germinis immæ parti adfixa.

Staminum filamenta fere sexdecim, corolla paulo breviora, capillaria, flava, erecta, ex imma germinis parte separatim prodeuntia: antheræ parvæ subrotundæ flavescens.

Germen sphæricum viride sulcis tribus subtilissimis notatus: stylus simplex, filiformis staminum longitudinis; stigmata tria divaricata.

Fructus: capsula sphærica unilocularis, duplicato trivalvis, valvulis æqualibus: quarum tres internæ apice cohærent, et dehiscunt basi: externæ vero internis parallelæ apice dehiscunt, basi que cohærent, donec singulæ decidant.

Receptaculum nonnihil elongatum: semina numerosa, subreniformia, nigra, splendentia.

Habitat in America calidiore. Colui in horto Exc. Ducis del Infantado. ♂. Floret Augusto et Septembri.

*Explic. tab. a* Calix magn. naturali. *b* Idem auctus. *c* Idem aliter spectatus. *d* Corolla expansa. *D* Reflexa. *e* Genitalia. *f* Eadem aucta. *g* Germen. *h* Idem auctum.

*F* Fructus. *i* Idem dehiscens. *I* Idem auctus cum valvulis externis, ad cuius latus sunt valvulæ internæ. *s* Semen. *S* Idem auctum.

*Obs.* Plantæ atque foliorum præcipue sapor est insipidus, aquosus, ut in portulaca oleracea.

Cl. Iacquinus plantam vidit orgialem et amplius atque fruticosam in Insulis Martinicæ et Sancti Dominici, cuius flores rubentes dixit et pinxit locis supra citatis; calicesque diphyllus. Ego vero in caldario per triennium ipsam conservavi, caule aliquando pereunte: calicem semper vidi monophyllum, et corollam saturate luteam. Quod vero eadem sit Iacquini planta cum ista supra descripta nullus dubito. Tabulam addidi, quia in Iacquinianis, aliunde optimis, integra desideratur fructificatio.

## HIBISCUS CLANDESTINUS. *Tab. 2.*

2. HIBISCUS caule virgato hirto fruticoso: foliis ovato-acutis subtrilobis: floribus minutis, clausis.

Caules fruticosi, teretes, ramosi, virgati, tripedales, scabri: quorum scabrities provenit ex setulis albis acutis, ubique ternis, divaricatis.

(a) Adansonius et nuperrime Ant. Laur. de Jussieu inspectis plantarum fructibus, quas Linnæus *portulacas* dixit, dissimiles observarunt; in quibusdam scilicet capsulam circumscissam, in aliis trivalvem:

quare quum a fructu potissimum deducenda sint genera, recte ab illis Linnæi *portulacæ* in duo genera partita fuerunt, PORTULACAM, et TALINUM: huius fructus est capsula trivalvis, illius vero capsula circumscissa.



Folia alterna, ovato-acuta, subtriloba, crenato-serrata, ciliata, scabriuscula, petiolis longiora: stipulae subulatae.

Flores hibiscorum minimi, axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis folio longioribus erectis, versus apicem articulatis incrassatis.

Calix exterior ex setulis sex vix semilineam longis: interior paulo longior semiquinque partitus, pilosus.

Corolla albicans villosa vix calice maior; emarcida vero violacea; petalis quinque ovatis: (nunquam expansos vidi flores, quamquam centies observatos in die.)

Staminum tubus, non nisi lente vitrea conspicuus, est brevissimus, antheris luteis ovatis copertus.

Germen minimum globosum: stylus simplex, apice quinquefidus: stigmata globosa.

Fructus est capsula globosa, pisi magnitudine, quinesulcata, sulcis albicantibus, glabra; quinquelocularis, quinquevalvis, polysperma.

Semina reniformia nigricantia, lana candidissima obducta.

Habitat in Senegal. Colui cum praecedente in dicto horto. Floret Augusto et Septembri.

*Explic.* figurae. *a* Calices. *b* Corolla expansa. *c* Genitalia aucta. *d* Corolla item aucta. *e* Fructus dehiscens. *f* Semen.

*Obs.* Fructu, pedunculis et habitu accedit haec species ad *HH. hirtum* Linnæi et *Phoenixicum* a me in monadelphia descriptum, verumtamen ab ipsis inter alia differt floribus inapertis omniumque minimis.

### ATHANASIA LANUGINOSA. *Tab. 3.*

3. *ATHANASIA* caule fruticoso; foliis lineari-lanceolatis, glaucis, lanuginosis, imbricatis. Coma aurea africana fruticans linariae foliis glaucis et lanuginosis? *Commel. hort. tomo 2. p. 91. tab. 46.*

Caulis fruticosus, pedalis, supra dichotomus ad dichotomiam floridus, lanuginoso-albicans ut et tota planta.

Folia sparsa, adproximata, non nihil imbricata, sessilia, lineari-lanceolata glauca.

Flores corymbosi pauci, pedunculis pollicaribus foliosis.

Calix communis imbricatus, ovatus; squamis sublanceolatis adpressis; internis basi cartilagineis.

Corolla composita uniformis, calice paulo longior: corollulae hermaphroditae aequales, numerosae; centrales erectae; reliquae sensim recurvae, omnesque infundibuliformes, luteae; limbo quinquefido, laciniis acutis recurvis.

Stamina: filamenta quinque capillaria, brevia, tubo corollae adfixa: anthera cylindracea tubulosa.

Germen oblongum pentagonum. Stylus filiformis. Stigma bifidum obtusum patens.

Receptaculum paleaceum, paleis lanceolatis semine longioribus.

Semina. . . . .

Habitat in Africa. *h.* Vidi floridam mense Septembri in horto Reg. *Trianon* prope Versailles.

*Explic.* tab. *a* Flos in quo calicis lacinae exteriores apparent revolutae ut internarum basis conspiciatur. *b* Flosculus magnitudine naturali. *d* Idem auctus. *c* Palea. *e* Germinis aucti sectio. *f* Anthera expansa. *g* Germen, stylus, stigmata aucta.

*Obs.* Genus affine *Santolinæ* atque *Tanaceto*: ab hoc differt *Athanasia* receptaculo paleaceo, a *Santolina* vero semine paposo. Semina huius plantae non vidi, qui vero ea conspexere *Athanasiae* propria esse dixerunt.

### MILLERIA CONTRAYERBA. *Tab. 4.*

4. *MILLERIA* caule sulcato: ramis oppositis decusatis: foliis lanceolatis serratis: floribus glomeratis.



Eupatorioides salicis folio trinervi, flore luteo, vulgo Contrayerba. *Fevillé pag. 18. tab. 14.*  
Caulis rubescens, sulcatus, ramosus; ramis oppositis decusatis patulis, subvillosis, tripedalis.  
Folia opposita, amplexicaulia, lanceolata, serrata, serraturis acutis, glabra, trinervia, nervis protuberantibus pagina inferiore quæ glauca est.

Flores corymboso-glomerati terminales.

Calix communis profunde tripartitus, foliolis ovatis concavis, ad quorum basim bractæ sæpe binæ.

Corolla composita lutea basi villosa: corollulæ hermaphroditæ duæ ad quinque monopetalæ, tubulosæ, erectæ, apice quinquepartitæ: femina solitaria, ligulata, erecta, concava, emarginata.

Staminum filamenta quinque capillaria; anthera cylindracea.

In femina nulla.

Germen hermaphroditis oblongum tenue: stylus filiformis, vix exsertus: stigmata duo patentia: femina vero germen maius, oblongo-ovatum, striatum, compressum: stylus filiformis: stigmata reflexa.

Semen glaberrimum longitudinaliter sulcatum, oblongo-ovatum.

Papus nullus. Receptaculum vix ullum.

Habitat in Huanuco imperii Peruani. ☉. Vidi floridam in Regio hortu Matritensi a mense Septembri usque ad Decembrem.

*Explic. tab. a* Flos integer, in quo calix contra naturam patulus ut flosculi conspiciantur.

*b* Calix cui subiectæ sunt bractæ. *c* Flosculus femineus. *e* Hermaphroditus sectus et expansus. *f* Stamina. *g* Semen, omnia aucta. *h* Semen magnitudine naturali.

*Obs.* Flosculus femineus in hac planta et solitarium esse et ligulatum dicent omnes qui ipsam vivam examinaverint: siccam observavit D. de Iussieu, in cuius flosculis valde minutis multitudine etiam et siccitate confussis nullam vidit ligulam. Quam ob rem ex ista et alia congeneri planta genus a MILLERIA diversum ligulæ defectu composuit FLAVERIÆ nomine, quod nunc detecta vera flosculorum forma supprimendum videtur.

Observari oportet calicem quandoque esse diphyllum et biflorum, adeo ut flosculorum alter sit hermaphroditus, femineus alter: aliquando etiam quadripartitum multiflorum, quinque flosculos hermaphroditos sustentem, et unum femineum: flosculus denique offendi solitarium, quamquam raro; quod ceterorum abortui tribui debet.

Ex dictis itaque, tum et etiam ex descriptione quam Linnæus dedit de MILLERIA quinqueflora, MILLERIÆ characteres generici recudendi videntur hoc modo:

Calix simplex multiflorus 2-3-partitus.

Corollæ hermaphroditæ tubulosæ limbo quinquepartito.

Femina unica ligulata, emarginata aut trifida.

Semina striata solitaria in femina, nulla in reliquis.

Papus nullus.

Neque enim calix maximus est ut Linnæus asseruit, neque semper tripartitus. Flosculi item hermaphroditici numerum binarium superant, adeo ut 7, 9 facile reperias in *Milleria* quinqueflora. Linnæus, quamquam Botanicorum facile princeps, plura sæpe in construendis generibus connumeravit, quæ præterire debuisset. *Specierum enim generica consociatio certum exigit inter específicos characteres delectum, non arbitrarium sed solidis innixum principiis, ita ut genus quodlibet species omnes vere congeneres habeat, disparibus nunquam intermixtis.* De Iussieu introd. in hist. natur. pag. XX.

### CALENDULA STELLATA. Tab. 5.

5. CALENDULA seminibus quinque exterioribus cymbiformibus, glabris: quinque alternis cornutis patulis muricatis: reliquis cochleatis.

Caulis herbaceus, striatus, valde ramosus, scaber ut et tota planta, tripedalis.



Folia sessilia, ovato-oblonga, dentato-sinuata, subciliata, crassa, late viridia.

Flores terminales solitarii, pedunculis elongatis.

Calix communis profunde multifidus, laciniis ovato-lanceolatis, persistentibus subæqualibus.

Flores lutei radiati; totque sunt radii quot calicis laciniæ (quamproxime 16.)

Radiatorum corolla ligulata, basi villosa, apice tridentata; cuius germen fertile, cymbiforme, scabrum; stylus filiformis; stigmata duo acuta: anthera nulla.

In centro flosculi sunt numero pauci, hermaphroditi, steriles. Horum corolla est tubulosa, limbo quinquefido patulo: stamina brevia; anthera cylindracea: germen efoetum elongatum: stylus simplex apice globoso, ibique duo cuspides divergentes brevissimi.

Receptaculum nudum.

Fructus maturus ferrugineo-ruber, cuius arilli monospermi sunt, triplicique forma; scilicet, quinque inferiores hemisphærici, quorum carina aculeis orbat; quinque sequentes, præcedentibus alterni, cornuti, dentati, cuspidate pollicari sæpius patente, aliquando recurva, carinaque aculeati; reliqui denique sunt multo minores orbiculato-compressi arcuati, carinaque aculeati. Semina oblonga cinerea.

Colui in horto Exc. Ducis del Infantado ex seminibus acceptis a D. Lemonier. Floret, et fructus gerit mensibus Iunio, Iulio et Augusto. ☉.

*Explic.* tab. *a* Flosculus radii. *b* Idem auctus. *c* Flos centralis. *d* Idem auctus. *e* Stylus et stigma. *f* Anthera expansa. *g* Fructus antice spectatus. *h* Idem postice visus. *i* Arillus cornutus. *k* Arillus exterior. *l* interior, quibus semina lateraliter apposita sunt.

### CROTON DIOICUM. *Tab. 6.*

6. CROTON foliis oblongis obtusis, incanis: floribus terminalibus: in mare spicatis; in femina ternis.

Caulis suffruticosus teres, tomento molli vestitus uti tota planta, ramis divaricatis.

Folia sparsa subsessilia, oblonga, apice obtusa, subtus argentea, integerrima, nonnihil canaliculata, patula.

Flores masculi spicati; spicis terminalibus: flos quilibet pedunculatus, pedicello suffulto bractea subulata.

Calix monophyllus, campanulatus, semiquinquefidus.

Corolla nulla, nisi glandulas dicas quinque luteas in fundo calicis in orbem positas.

Stamina: filamenta 12, 13 subulata, libera, calice paulo longiora, huius fundo implantata, villosa, viridia.

Germen, stylus; nullus.

In feminea planta a mare distincta, omnia ut in isto, quoad folia calicem et glandulas, at flores terni, terminales, breviter pedunculati.

Stamina nulla.

Germen tomentosum, globoso-trigonum: styli tres basi coaliti, semiquinquefidi.

Fructus est capsula globoso-trigona, trilocularis, cicerem magnitudine superans. Semina in loculamentis solitaria, ovata, glaberrima.

Habitat in Mexico. Colui in dicto horto. Floret et fructificat toto Augusto. ♀.

*Explic.* tab. *a* Flos masculus. *b* Calix. *c* Idem expansus, ut appareant glandulæ. *d* Stamina aucta in fundo glandularum. *f g* Stamina antice posticeque spectata. *h* Flos femineus. *i* Germen cum stylis. *k* Styli expansi, aucti. *l* Iidem adproximati. *m* Fructus.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Huius plantæ facies antequam spicæ prodeant est omnino Cheiranti incani.

2.<sup>a</sup> Plures dantur species huius generis, quæ staminibus gaudent liberis: plures etiam petalis orbatæ, ut apposite dixit D. de Lamarck in Diction. Encyclopedico tom. II. pag. 216.

Capsula denique sæpesæpius est calice multo maior.

3.<sup>a</sup> Croton adeo Acalyphæ affine, ut facile possit cum ipsa conjungi: idem enim in utroque fructus; corolla sæpe in illo desideratur: filamentorum atque stylosum numerus omnino idem: quare non nisi calicibus differre poterunt, qui forma et laciniis in Crotonibus variant.



CYNANCHUM PROSTRATUM. *Tab. 7.*

7. CYNANCHUM caule prostrato: foliis cordatis orbiculato-acutis, inferne tomentosis. Caules pedales, teretes, filiformes, ramosi, prostrati, nodosi, tomentosi, subherbacei. Folia opposita ad singulos nodos, petiolis subæqualia, profunde cordata, orbiculato-acuta, integerrima, mollia, supra viridia, inferne glauca, tomentosa, quorum odor ingratus. Flores umbellati, umbellis solitariis; pedunculus communis semipollicaris, inter duos petiolos: radii quatuor uniflori, basi cincti bracteolis tribus. Calix parvus monophyllus, semiquinquepartitus, laciniis ovatis villosis. Corolla saturate viridis monopetala; profunde partita in quinque lacinias patentes, limbo revoluto. In corollæ centro urceolus existit albicans, genitalia cingens, quinquepartitus, laciniis profunde bicornibus; ex cornuum centro lamellæ duæ oriuntur, quarum altera versus genitalia arcuatur, altera minima huicque opposita extrorsum vergit. Genitalia in theca sunt recondita, ita ut huius fundum occupent germina duo subcoalita, in stylos terminata, quorum stigma commune magnum pentagonum fungosum, squamulis quinque cinctum. In pentagoni stigmatis angulis corpuscula quinque observantur fusca minima, quæ radices sunt antherarum: quia scilicet ex unaquaque ipsarum appendices prodeunt bini lutei, squamulis tecti, qui sunt antheræ, quæ proinde sunt decem. Fructus non protulit. Habitat in Mexico, vidique floridum mense Augusto in Reg. horto Matritensi; vidi etiam anno 1789 in Reg. horto Parisiensi. Planta biennis est, et adhuc læte vegetat. *Expl. tab. a a a* Flores situ et magnitudine naturali. *b c* Idem aucti antice et postice spectati. *d* Calix. *e* Urceolus. *f* Idem valde auctus. *g* Theca. *h* Stigma. *i* Germina. *k* Antherarum pars cum radice.

Miranda est equidem genitalium structura in Asclepiadibus et Cynanchis, verumtamen adeo minuta illa sunt, tantoque velaminum apparatu circumdata, ut vel oculatissimos sæpissime fugiant. Insudarunt in illis præcipue Rottbolloius, Iacquinus, Kolreuterius, qui omnes in assignandis structuræ partibus conveniunt, quamquam non omnes unicuique munus, et nomen idem tribuant. Iacquinus in miscellaneorum volumine primo summa industria descripsit atque delineavit plurimum specierum Cynanchi atque Asclepiadis genitalia, quo mea sententia nihil rectius, nihil naturæ magis consentaneum dici potest. Videns vero a Iacquino recedere aliquantum Rottbolloium et Kolreuterium, volui plantas iterum examinare, ut quid quisque veri dixerit meis observationibus comprobarem, quas hic sisto, atque Botanicorum iudicio submitto.

Constant omnes Cynanchi, atque Asclepiadis species germinibus duobus in stylos conicos excurrentibus, tectos corpore fungoso pentagono; quæ omnia si huius superficiem excipias superiorem, vagina prius, aut theca si mavis, sacculis deinde pendulis et adpressis cooperta sunt adeo, ut ne rimulam vel exiguam detexerim, qua in hoc femineum conclave penetrari valeat. In quinque angulis fungosi corporis (quod *corpus truncatum* a Linnæo, *stigma* a Iacquino dicitur) corpuscula existunt totidem minima ovata, inferne acuta, unde duo filamenta oriuntur, quæ aut in clavam augentur, aut terminantur in globulos diaphanos flavescentes. Huiusmodi clavæ atque globulos fere semper excipiunt sacculi apice hiantes, qui versus basim angustantur. Mitto reliqua utpote minus necessaria, corniculos scilicet in Asclepiadibus et squamulas quinque, quæ corporis fungosi latera ornant, exsurgunt deinde ac tandem versus pentagoni centrum inflectuntur in Cynanchis et Asclepiadibus.

Negavit Rottbolloius contra Iacquinum, corpus illud pentagonum fungosum stigma esse in his generibus; interruptionem quamdam dictitans se reperiisse inter stylosum apices et illud corpus. At quo pacto illam ipse potuerit observare nescio: quin potius existimo, tenuissimas Rottbolloium partes dilacerasse incarceratas in theca, quarum summitates postea fractas, lente vitrea examinando pro stigmatibus ille sumpsit. Etenim si attente et iterato ex-



mine quisquam ipsas observet, reperiet proculdubio sinistram longiorem aliquando, aliquando dextera brevior esse, quod fortuitæ fractioni partium tribuendum est: conspiciet utique in cavitate corporis cicatrices, et aliquando etiam rudimenta, quæ stylorum apices reliquerunt: ac tandem si horæ spatio florem a planta separatam servet ut humiditas minuat, tuncque acu sacculos et tegumenta auferat, conspiciet certissime corpus fungosum esse stylorum continuationem, nullamque existere interruptionem inter istos et illud, quod proinde pro stigmate habendum est, ut Iacquinus asseruit.

Kolreuterius vero quamquam cum Iacquino adversus Rottbollium asserat: *stylos cum corpore pentagono vere esse connatos*, nihilominus stigmatis nomen huic corpori negat, *quia ad illam dumtaxat floris partem in stricto sensu pertineat, quæ semen masculum attrahere in se et debeat et valeat* (apud Iacquinum loco citato.) Abunde huic obiectioni satisfecit Iacquinus dicens inter alia, non videri pertinere ad naturam stigmatis ut pollinem attrahat *per solum suum apicem*; munere enim fungetur suo, *si hoc præstet per oras, aut per aliam qualemcumque sui partem*. Hæc ille, quibus addam quæ nuperrime vidi in *Cynancho grandiflora*: in hoc stigma tegitur pellicula viridi, sub qua et in limbo corporis pentagoni iacent horizontaliter decem clavæ, undique incarceratæ, ita ut nihil harum conspiciatur. Quæ ergo via in hac specie aura seminalis ab antheris defertur, ut germina foecundentur? Certe spongiosum illud corpus ipsam suscipit ut natura debitum finem consequatur: in hac ergo superne, in reliquis lateraliter operatur generationis opus.

De antherarum numero in his generibus consentiunt omnino laudati auctores, eaque decandra prædicant; dum Linnæus, Gallique doctissimi non nisi quinque antheras numerant in huiusmodi plantis. Omnes corpuscula quinque vident in totidem pentagoni angulis, quæ ortum præbent filamentis decem capillo tenuioribus in clavam auctis, aut globulo terminatis: illi ergo clavas aut globulos pro antheris usurpant; quum isti antherarum nomine corpuscula dumtaxat intelligunt. Qui rectius? non enim pro lubito aut ex situ partium, sed ex maiori aut minori harum dispositione ad fungendum antherarum munere, solvenda est quæstio de harum numero. Probabilior videtur illorum opinio qui decandra dixerunt dicta genera: nullus etenim inficiabitur antheras in istis, sive corpuscula, sive globuli tali nomine designentur, constructas a natura fuisse forma a reliquis omnino diversa; quia reliquarum plantarum antheræ aut valvulis ornantur, quæ statuto tempore aperiuntur, ut pollini viam præbeant; aut foraminibus instruuntur foecundationis momento patulis: quorum nihil in *Cynanchi* et *Asclepiadis* organo virili, quod nunquam dehiscit, nullo foramine instruitur, sed poris fortasse subtilissimis, quibus aura seminalis ab organo in organum transeat evaporationis modo. Nunc ergo si tali methodo germen foecundari debeat (aliam illi mostrent, quibus hæc minus arideat) pars illa antheræ nomine insigniri oportet, quæ muneri fungendo aptior est, quæque facilius auram exsudare potest: mollior itaque atque pellicula tenuiori tecta præferenda erit cæteris; quod quum decem clavis aut globulis dumtaxat conveniat, qui mollissimi atque transparentes ab omnibus conspiciuntur, isti erunt veræ antheræ in *Cynanchis* et *Asclepiadibus*, minime vero corpuscula quinque quæ fusca et duriora observantur.

### GERANIUM CITRIODORUM. Tab. 8.

8. GERANIUM caule suffruticoso: foliis subcucullatis, quinquelobatis, serratis, citrum redolentibus.

Caulis pedalis, suffruticosus, ramis patulis, teres pilosus, ut et tota planta.

Folia opposita, aliquando alterna, petiolata, rigida, subcucullata in quinque lobos acutos æquales partita, serrata. Stipulæ basi latæ, apice acuminatæ, marcescentes.

Flores umbellati: pedunculus communis solitarius, axillaris aut oppositifolius, pollicaris, crassus: involucrium ex sex foliolis ovato-lanceolatis ciliatis: radii quatuor plus minusve, pollicares.

Calix ovatus, initio viridis, postea ruber, monophyllus, profunde partitus in quinque laci-



nias ovato-acuminatas, quarum superior latior, trinervis; reliquæ uninerviæ. Cuniculus trium linearum.

Corolla papilionacea, subæqualis, dilute purpurea; petalis superioribus latioribus, variegatis lineis plumosis saturatoribus; inferioribus paulo angustioribus, immaculatis.

Staminum urceolus albus, decempartitus, germen cingens; dentes tres steriles, reliqui longiores, fertiles: antheræ violaceæ.

Germen pentagonum: stylus pyramidalis: stigmata rubentia, revoluta.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, basi acutæ: arista pollicaris.

Habitat in promontorio Bonæ Spei. *h.* Colui in horto Exc. Ducis del Infantado. Floret mense Iunio.

*Expl.* tab. *a* Calix cum germine et stylo. *b* Idem aliter spectatus. *c* Stamina.

## LUFFA.

### CARACTER GENERICUS.

#### *Masculi flores.*

Calix ovato-oblongus, quinquefidus, laciniis lanceolatis, deciduis.

Corolla calice longior huicque adnata, profundissime quinquepartita laciniis apice latioribus, rugosis, venosis.

Stamina: filamenta quinque erecta corolla multoties breviora, inserta tuberculis totidem tomentosus, corollæ laciniis alternis.

Germen o. Styli o.

#### *Feminei in eadem planta.*

Calix, corolla et filamenta ut in mare: antheræ o.

Germen inferum oblongum, tenue. Stylus simplex, brevis: stigmata 3-4, clavata.

Fructus: pomum siccum, oblongum, turbinatum, decemsulcatum, angulis acutis prominentibus, triloculare, polyspermum; loculamentis ex fibris intertextis: *apice operculatum? operculo dehiscente?* Semina compressa, ovata; valvulis duabus sculptis inclusa.

*Obs.* Planta quam colui fructum non dedit: attamen quotquot vidi fructus ex Insula Bourbonica adsportatos, perforatos apice reperi. An id in fructibus semper et sponte sua fiat? sic reputo.

*Obs.* Stamina quinque libera uniantherifera diversum genus Pentandriæ constituunt.

## LUFFA FOETIDA. *Tab.* 9. 10.

9. LUFFA caule herbaceo, sulcato, cirrhoso: foliis alternis, cordatis, heptagonis, angulis acutis, serratis.

*Picinna. Hort. Mal. vol. 8. tab. 7. pag. 13.*

*Cucumis indicus striatus, operculo donatus? Pluk. tab. 172. f. 1.*

*Petola bengalensis? Rumph. ambo. vol. 5. pag. 408. tab. 169.*

Caulis herbaceus, glaber ut et tota planta, sulcatus, longissimus, ramosus, scandens.

Folia alterna, cordata, heptagona, lobis acutis serratis: petioli caule crassiores sulcati: cirrhi laterales solitarii, multifidi.

Flores masculi racemosi, racemis solitariis, axillaribus erectis, pedem sæpe longis: flos quilibet pedunculatus, pedunculis pollicaribus, annulatis, basique unibracteatis: feminei ad basim racemi, solitarii, sæpe abortivi.

Calix basi hemisphæricus, intus cavus, extus quinesulcatus, sulcis terminatis gibba; ubi laciniæ quinque incipiunt luteo albicantes, lanceolata, acutæ.

Corolla intus saturate sulphurea, extus dilutior, nervisque protuberantibus ornata.

Antheræ luteæ, sulco albo semispirali notatæ.



Germen viride , tomento brevi albo tectum.

Fructus fere pedalis , tectus cortice flavo. Reliqua ut supra in caractere generico.

Habitat in India Orientali , Insulis Bourbon et Franciæ. ☉. Colui in dicto horto. Floret Julio et Augusto.

*Tabularum explicatio.* Tab. 9.<sup>a</sup> plantæ fragmentum sistit. *a* Flos femineus. *b* Racemus. *c* Filamenta cum calicis segmento. *d* Filamentum auctum. *e* Floris capitulum. *f* Stigmata in centro calicis.

Tab. 10 fructum sistit , in *a* integrum ; in *b* sectum , cuius pars *c* apice est perforata. *d d* Semina. *e* Idem altera valvula avulsa.

*Obs.* In plantis a me cultis quum flos femineus abortum patiebatur tunc masculorum ramus erigebatur , floresque expandebat formosissimos , qui alium femineum foecundabant , abortivo remanente tunc temporis ramulo huic contiguo.

2.<sup>a</sup> Flores vidi aliquando hexandros , in eisque calicem et corollam sexfidam.

3.<sup>a</sup> *Cucumis Ægyptius reticulatus seu Luffa Arabum* Veslingii pag. 48 , congener fortasse erit nostræ plantæ : Linnæus tamen illud ad momordicas revocat , quemadmodum Rumphii *Petolam* et *Cucumerem striatum indicum* Plukenetii ad Cucumeres. Qui plantas observent vivas , comparatis characteribus , pronuntiabunt : ego in hac nostra neque Cucumeris neque Momordicæ characterem præcipuum video , quo Linnæus in monoecia syngenesia collocavit ; sed stamina quinque libera.

### SIDA GLAUCA. Tab. 11.

10. SIDA caule striato ramoso : foliis cordatis , orbiculatis , dentatis , tomentosis , glaucis.

Caulis bipedalis et amplius , inferne teres , versus apicem profunde sulcatus , ramosus , tomento brevi denso candicante coopertus , quemadmodum et tota planta.

Folia alterna , longe petiolata , cordata , orbiculata , acuta , dentata , superne scabriuscula et glauca , inferne tomentoso-argentea : stipulæ lineares , acutæ , deciduæ.

Flores axillares , solitarii , pedunculis erectis unifloris , petiolo brevioribus , articulatis , in quibus squamulæ duæ alternæ.

Calix globosus , semiquinquefidus , persistens.

Corolla sulphurea , petalis calice longioribus , limbo obliquo emarginato.

Staminum tubus brevis , conicus , plurimis filamentis terminatus : antheræ sulphureæ.

Germen ovatum , truncatum , tomentosum : styli numerosi virides : stigmata capitata.

Fructus vix calice maior , ovato-truncatus , tomentosus , ex 20-30 capsulis compositus , quæ sunt muticæ , bivalves , 1-3 spermis.

Semina nigra , reniformia.

Habitat in Senegal. ♀. Colui cum præcedentibus. Floret Septembri.

*Explic. tab.* *a* Flos integer. *b* Germen cum styliis. *c* Stamina. *d* Fructus. *e f* Capsulæ. *g* Semen.

### CONYZA SPICATA. Lamarck Tab. 12.

11. CONYZA caule simplici suffruticoso , foliis decurrentibus ovato-lanceolatis , serrulatis , subtus tomentosis ; spica terminali densa et integra. *Lamarck Dict. vol. 2. pag. 93.*

Caulis suffruticosus erectus , sesquipedalis , alatus , alis sex membranaceis ex foliorum limbi decursu ; quarum pars inferiori foliorum paginæ respondens est tomentosa et flava , quæ vero superiori , glabra et saturate viridis.

Folia alterna , lanceolata , denticulata , sessilia ; limboque et non nervo per caulem decurrente in duas alas ; uninervia , nervo utrinque ramoso , supra glabra , rugosa , viridia , inferne tomentoso-flava.

Flores spicati , sessiles , spicis terminalibus , densis , lanuginosis.



Calix communis imbricatus, lanuginosus, cuius squamulæ numerosæ lanceolato-subulatæ, externis brevioribus.

Flosculi numerosi, minimi: hermaphroditis corolla tubulosa, tubo longo, limbo quinquefido: feminis, hermaphroditis immixtis, corollæ limbus tri-quadrifidus, quibus stigma bifidum, exsertum.

Germen hermaphroditis oblongum, terminatum papo sessili, piloso, corollæ longitudine: stylus simplex: stigma . . .

Stamina ut in congeneribus.

Semen exiguum, oblongum. Receptaculum nudum.

Habitat in America calidiore. V. S. apud D. de Iussieu.

*Expl.* tab. *a* Calix. *b* Calicis squamulæ exteriores auctæ. *c d* Interiores utraque pagina observatæ. *e* Flosculus. *f* Idem valde auctus.

*Obs.* Conyzæ genus adeo Baccharidi simile est, ut in unum coniungi debeant inuentibus id Iussieu et Lamarck: hic enim supra descriptam plantam *Conyzam* dixit quamquam feminæ flores immixti existant hermaphroditis, quod Baccharidis proprium est secundum Linnæi placita: itaque character quo Linnæus plantas natura congeneres separat, scilicet quod feminei flores in periferia existant, aut immixti cæteris, ut insuficiens respuendus.

## BIDENS ODORATA. Tab. 13.

12. BIDENS caule tetragono ramosissimo: foliis connatis, bipinnatis; pinnulis cuneato-trifidis, glabris: seminibus scabris.

Caulis tetragonus, ramosissimus, ramis oppositis, quatuor pedes altus.

Folia opposita, connata, bipinnata, pinnulis cuneato-trifidis, glabra.

Flores terminales et axillares solitarii, pedunculis elongatis, suaveolentes.

Calix communis caliculatus: lacinia profundæ, lanceolatæ, limbo scarioso, nonnihil reflexæ; exteriores breviores, apice ciliatæ.

Corolla radiata: radii quinque ovati apice 3-5-fidi, candidi, inferne venis purpureis, sæpius steriles.

Flosculi centrales numerosi, lutei, tubulosi, limbo quinquefido, in quibus anthera cylindracea fusca, terminata laciniis quinque acutis.

Germen oblongo-acutum, bidentatum: stylus simplex: stigmata duo, lutea, reflexa, exserta.

Receptaculum planum, paleis brevibus.

Semina nigricantia, bidentata: centralia longa, subtetragona; radiorum vero breviora, latiora, omniaque angulis scabra.

Habitat prope Mexico. ☉. Vidi floridam in Regio horto Matritensi die 24 Novembris, quam olim colui in horto Exc. Ducis del Infantado.

*Expl.* tab. *a* Flos radii. *b* Calix. *c* Flosculus centri. *d* Idem auctus et sectus ut genitalia appareant. *e* Antheræ portio aucta. *f* Semen centrale.

*Obs.* Seminum scabrities provenit ex tuberculis minimis longitudinaliter ad angulos dispositis, quæ aculeis terminantur sursum erectis: quæ omnia oculum inermem fugiunt.

## COSMOS.

### CARACTER GENERICUS.

Calix communis duplex, uterque monophyllus, octopartitus, persistens.

Corolla composita, radiata: corollæ hermaphroditæ numerosæ in disco vix hemisphærico, tubulosæ limbo quinquepartito: feminæ octo, ligulatæ, apice tridentatæ, patentes.

Stamina hermaphroditis filamenta quinque; anthera cylindracea: feminis nulla.



Germen hermaphroditis subulatum, subtetragonum: stylus filiformis: stigmata duo reflexa: feminis germen efoetum: stylus fere semper nullus; aliquando simplex, bifidus.  
Semina hermaphroditis solitaria, subulato-tetragona: papus aristæ 2-3-4-hamata, aliquando deciduæ: feminis semina nulla.

Receptaculum paleaceum, paleis carinatis, apice acutissimis.

Herbæ oppositifoliæ, foliis 2-3-pinnatis: flores axillares et terminales longissime pedunculati.

*Obs.* Calix duplex ut in Althæis, et semina subulata sæpe papo aristato, genus videntur constituere diversum a Coreopside et Rudbeckia, quibus Cosmos affinis.

### COSMOS BIPINNATUS. *Tab.* 14.

13. Cosmos foliis connatis bipinnatis; pinnulis lineari-acutis, canaliculatis.

Caulis herbacei, teretes, læte virides, 4-pedales, ramis oppositis.

Folia connata bipinnata, pinnulis lineari-acutis, canaliculatis.

Flores axillares et terminales longissime pedunculati, magni, speciosi.

Calix inferior patulus, laciniis striatis apice acuto reflexo: interior erectus laciniis limbo scariosis.

Radii magni violaceo-rubentes, fere semper neutri, nunquam fertiles: flosculi centrales lutei, erecti, in quibus anthera nigricat, corollæque productior. Palearum apex setaceus.

Seminum papus 2-3-aristatus aristis hamatis, aliquando deciduis.

Habitat in Mexico. ☉. Floruit in Regio horto Matritensi annis 1789 et 1790 mensibus Octob. Novemb. et Decemb.

*Explic. tab.* *a* Radius neuter. *b* Flosculus hermaphroditus. *c* Idem auctus. *d* Palea. *e* Semen. *f* Idem auctum, aristis instructum.

*Obs.* Cosmos sulphureus de quo tabula 79 seminibus gaudet longe subulatis, radiisque ut plurimum femineis.

### ALCINA. (*a*)

#### CARACTER GENERICUS.

Calix communis pentaphyllus, planus, patens: foliolis ovatis, flosculo longioribus.  
Corolla composita radiata. Corollulæ hermaphroditæ plures in disco: feminæ fere undecim in radio.

Propria hermaphroditis infundibuliformis, quinquefida: feminis ovata, concava, emarginata, brevis.

Stamina hermaphroditis filamenta quinque brevia: anthera cylindræa: feminis nulla.

Germen hermaphroditis efoetum, minimum; stylus simplex; stigma clavatum: feminis tetragono-oblongum, corticatum; stylus brevis; stigmata duo revoluta.

Semina hermaphroditis nulla: feminis solitaria in coronam expansa, subreniformia, corticata, apice exasperata tuberculis quatuor minimis, quintoque perforato.

Receptaculum minimum hemisphæricum, paleaceum paleis ovatis, concavis.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Polymniæ et Chrysogono affinis est Alcina, a quibus fructu differt et calice simplici. Polymnia enim iuxta Linnæum calice gaudet exteriore pentaphyllo, et superiore decaphyllo, cui semina sunt obovata gibba, nuda: Chrysogonum item quamquam Alcinae calice gaudeat, dissimilem fructum præbet: semina enim ipsi sunt obcordata, de-

(*a*) In honorem Francisci Ignatii Alcina Valentini Gandiensis, qui lucem vidit ineunte superiore sæculo: admodum adolescens in Iesuitarum ordinem cooptatus, Insulas Philippinas petiit, ibique per multos annos commoratus est naturæ historiæ indefesso studio incumbens, quantum per sacri conciona-

toris munus licebat. Hinc illi enata historia naturalis Bisayarum, præcipuæ maximæque earum Insularum partis, iusto volumine folii forma; cuius exemplum MS. possidet Io. Baptista Mugnozius, strenuus rerum novi orbis investigator, eiusque historiæ scriptor; cuius operis iustum volumen luci publicæ paratum vidimus.



presso-quadrangula, lateribus latiusculis: coronata squamula tridentata, introrsum dehiscen-  
te, versus basim contracta: intra propriam glumam tetraphyllam latet semen singulum &c.  
quæ videri poterunt apud Linnæum *Gen. plant. p. 441.*

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Wedeliæ Iacquini et Iussieu, quam ad Polymniæ genus reduxit Linnæus  
valde affinis est Alcina, utriusque calix est simplex, et radorum corollæ emarginatæ; at  
Wedeliæ sunt semina coronata papo decedentato.

### ALCINA PERFOLIATA. *Tab. 15.*

14. ALCINA caule erecto, ramis superioribus dichotomis: foliis scabris, subhastatis, per-  
foliatis.

Caulis durus, teres aut sulcatus, rubescens, quatuor pedes altus, ramis oppositis, superiori-  
bus dichotomis.

Folia scabra, opposita, denticulata, subhastata, versus basim in petiolum decurrentia, con-  
nata et caulem ut in silphio perfoliato ambientia, bursamque hiantem ibi efformantia.

Flores solitarii in dichotomia, aut terminales.

Calicis foliola ovata, ciliata, striata, quorum duo externa, duo interna, quintum partim ex-  
ternum, partimque internum.

Corollæ luteæ. Antheræ fuscæ.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Imperio Mexicano. ☉. Vidi floridam in Regio horto Matritensi die 26 Novem-  
bris: semina perfecit Decembri.

*Explic. tab. a* Flos integer postice spectatus. *b* Idem antice visus. *c* Radorum cum ger-  
minibus portio. *e* Flosculi centrales. *e* Radius. *f* Flosculus centralis cum squamula.

*F* Idem auctus. *g* Idem sectus. *h* Semen. *i* Eiusdem sectio.

### COBÆA. <sup>(a)</sup>

#### CARACTER GENERICUS.

Calix monophyllus, pentagonus, angulis bassi compresso-alatis, semiquinquepartitus.

Corolla monopetala, calice longior, campanulata, striata, limbo quinquepartito, patulo, la-  
ciniis tricrenatis.

Staminum filamenta quinque corollæ tubo inferne adnata, corolla longiora, arcuato-incurva,  
declinata. Antheræ oblongæ, altera extremitate emarginatæ.

Germen superum ovatum, tri-quinque-sulcatum, cinctum corpore glanduloso, pentagono: sty-  
lus staminibus longior: stigmata 3-5, subulata.

Fructus: capsula ovato-acuminata, 3-5-locularis. Receptaculum seminum prismaticum. Se-  
mina imbricata.

*Obs.* Planta scandens pulcherrima, quæ nondum fructum perfecit in hibernaculo Matri-  
tensi: Bignoniæ familiæ videtur affinis.

### COBÆA SCANDENS. *Tab. 16. 17.*

15. COBÆA caule scandente: foliis abrupte pinnatis cirrhosis: pinnulis ovatis.

Caulis teres, ramosus, scandens, longissimus.

(a) In memoriam Barnabæ Cobo Iesuitæ Gienensis. Hic posteaquam quinquaginta et amplius annos  
in utraque America vixerat, naturalem novi orbis

historiam decem libris magna diligentia scripsit me-  
dio circiter sæculo XVII. MS. vidi apud laudatum  
Mugnozium, qui prælo illud mandare decrevit.



Folia alterna abrupte pinnata; pinnulis sex per paria oppositis, ovatis, uninervis, nervo ramoso: quarum limbus internus brevior: illarum infimæ subhastatæ, omnesque petiolatæ, glaberrimæ: petiolus communis terminatur cirrho dichotomo.

Flores solitarii, magni, longe pedunculati: pedunculus incurvus crassus, prope basim folio instructus.

Calix viridi-albus, venis dilutioribus notatus, magnus, segmentis ovatis, cuspidatis, patulis.

Corolla violacea: limbus subvillosus.

Ad staminum insertionem lana copiosa albicans, germen fornicans.

Reliqua ut supra in caractere generico.

Habitat prope Urbem Mexico, ubi vulgo dicitur *Yedra morada*, hoc est, hêdera violacea.

Læte vigebat atque floribus onusta erat in Regio horto Matritensi toto Novembri et Decembri, postea periit.

Tab. 16 ramum sistit floridum: in 17 vero *a* repræsentat floris capitulum; *b* Florem postice spectatum; *c* Corollam sectam intusque observatam; *d* Calicem cum germine cincto corpore pentagono; *e* Capsulæ lente auctæ sectionem; *f* Fructum valvulis orbatum; *g* Semen limbo cinctum, quale mihi sistebat lens vitrea potentissima.

*Obs.* Quæ de fructu et semine dicta sunt, examinanda ulterius: planta enim non nisi fructus rudimenta dedit in quibus supra dicta mihi visa fuisse videor.

## LOPEZIA. (a)

### CARACTER GENERICUS.

Calix superus tetraphyllus; foliolis oblongis, sublinearibus, deciduis.

Corolla irregularis pentapetala patens: petala duo diametraliter opposita, subfalcata, oblonga unguibus acutis: duo superiora breviora, linearia, geniculata, quorum basis teres, terminata tuberculo: quintum inferne declinatum, ovatum, emarginatum, breve, plicatum, ungue arcuata stylum vaginante.

Stamen unicum basi latum, canaliculatum, apice acutum, germiui insidens; anthera ovata, didyma.

Germen inferum turbinatum: stylus filiformis: stigma fimbriatum.

Fructus: capsula globosa, quadrilocularis, quadrivalvis, loculis polyspermis.

Semina minima, ovata, receptaculo tetragono affixa.

*Obs.* Filamenti atque unguis petali inferioris bases quasi vaginam efformant, qua transit stylus.

## LOPEZIA RACEMOSA. Tab. 18.

16. LOPEZIA caule herbaceo ramoso: foliis alternis ovato-lanceolatis, serratis: floribus racemosis.

Caulis herbaceus, 3-4-pedalis, tetragonus, racemosus, ramis alternis, pilis aliquot brevissimis præsertim tener.

Folia alterna, ovato-lanceolata, mollia, inferne glauca, serrata, uninervia, nervo ramoso: petioli canaliculati, rubescentes, limbo ciliato, folio triplo breviores.

Flores racemosi terminales: pedunculi capillares, semipollicares, rubri, axillares.

Calicis foliola saturate rubra.

Corolla incarnata, petalis superioribus dilutioribus, inferiore albo.

(a) In honorem Licent. Thomæ Lopez Burgensis, qui aliquot annos Regii Senatoris munere functus in America, Carolo V imperante. In patriam reversus

breviarium historiæ naturalis novi orbis scripsit sub titulo De tribus elementis aëre, aqua et terra. MS. apud eundem Mugnozium.



Germen rubrum. Anthera viridis.

Reliqua ut supra in caractere generico.

Habitat prope Mexico. ☉. Vidi floridam in Regio horto Matritensi mensibus Novembri et Decembri.

*Expl.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Calix. *c* Flos integer. *d* Huius petala superiora magnitudine naturali. *e* Unum auctum. *f* Genitalia cum petalo inferiore. *g* Stylus et stigma auctum. *h* Stamen auctum. *i* Petalum inferius auctum et explicatum. *k* Fructus. *l* Huius sectio. *m* Capsula dehiscens. *n* Semen.

### MIRABILIS VISCOSA. *Tab.* 19.

17. MIRABILIS floribus racemosis; foliis cordatis, orbiculato-acutis, tomentosis.

Caules crassi, teretes, geniculis inflatis, ramis oppositis, 3-4-pedales, villosoglutinosi ut et tota planta.

Folia opposita, cordata, orbiculato-acuta, crassa, glauca, integerrima, sæpius limbo undulato, superne tomentosa, tomento brevi, inferne valde villosa, villis terminatis glandula glutinosa minima: petioli folio breviores.

Flores racemosi, racemis oppositis, axillaribus.

Calix campanulatus, inferus, semiquinquepartitus, laciniis adpressis: corolla existente parvus, attamen post huius casum crescit apparetque initio luteus, pentagonus, deinde expanditur in peltam planam, glabram, fuscam, membranaceam, pentagonam, quinquediatam, radiis nervosis in cuius centro locatur fructus.

Corolla supera, violacea, infundibuliformis: tubus brevis, notatus externe lineis quinque subulatis virescentibus: limbus patens, decemcrenatus.

Stamina: filamenta 3-4-violacea, corolla longiora, apice arcuata, inserta germinis apici nonnihil cavo sub squamulis minimis: antheræ didymæ, ovatæ, luteæ.

Germen in fundo calicis et infra corollam, ovatum, quinque striatum, stylo terminatum filiformi, staminibus longiore, arcuato: stigma mamillare, mamillis plurimis pedicellatis.

Fructus: nux monosperma in centro calicis expansi, ovata, pentagona, sulcis longitudinalibus verrucosis.

Habitat in Urbe Huanuco Imperii Peruani. ♀. Vidi floridam in Regio horto Matritensi a mense Augusto usque ad Decemb.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Idem ante perfectam expansionem, in quo calix sectus. *c* Corolla expansa. *d* Genitalia. *e* Eadem aucta. *f* Stamen. *g* Calix fructifer. *h* Fructus. *i* Idem auctus. *k* Huius sectio.

*Obs.* In plantis cultis tria stamina numeravi, quatuor aliquando: numquid idem eveniet in natali solo? Legantur apud Iussieum (genera plantarum pag. 90) Mirabilis characteres generici, a quibus supra dicti non recedunt.

### MALVA VITIFOLIA. *Tab.* 20.

18. MALVA caule erecto, orgiali, ramoso: foliis quinquelobatis, crenatis, villosis: axillis multifloris.

Caulis orgialis, teres, erectus, ramosus, ramis teneris tomentosis, vetustate glabris.

Folia alterna, petiolis tomentosis longiora, quinqueloba, lobis inferioribus brevioribus, medio longiore, crenata, villosa: stipulæ lanceolatæ, reflexæ.

Flores axillares, subramosi; ramulis brevibus.

Calix exterior ex tribus, aliquando duobus setis, quarum altera inferior: interior pentagonus, angulis prominentibus, semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis.

Corolla alba, calice paulo maior, petalis orbiculatis, quorum unguis angustissimi, corpusculo orbiculato albo affixis.



Staminum tubus brevissimus, terminatus filamentis ipso longioribus: antheræ reniformes, albicantes.  
 Germen orbiculatum, compressum, multisulcatum: stylus simplex brevis, partitus in 12-14 laciniis albicantes: stigmata capitata.  
 Fructus orbiculato-compressus ex tot capsulis monospermis in orbem positus, quot sunt stigmata. Semina reniformia.  
 Habitat prope Urbem Mexico.  $\mathcal{N}$ . Vidi floridam in Regio horto Matritensi mense Decembri.  
*Explic.* tab. *a* Capitulum floris. *b c* Flos antice et postice spectatus. *d* Genitalia. *e* Germen. *f* Fructus intra calicem.

### CYNANCHUM GRANDIFLORUM. *Tab. 21.*

19. CYNANCHUM caule volubili: foliis cordatis, ovato-cuspidatis, inferne glaucis, corollis coriaceis.  
 Caulis volubilis, longissimus, teres, ramosus, articulatus ad articulos tomentoso-rufus et incrassatus.  
 Folia opposita, cordata, ovato-acuminata, acumine producto, uninervia, nervo ramoso, petiolo longiora: hic sæpe basi contortus, ibique crassior, subvillosus.  
 Flores racemosi, racemis brevibus: pedunculus communis crassus, solitarius inter foliorum petiolos: flores alternatim bini pedunculis uncialibus.  
 Calix monophyllus, profunde partitus in quinque laciniis acutas.  
 Corolla ante expansionem in spiram convoluta, postea patentissima utrimque saturate viridis et nonnihil coriacea, monopetala, quinquepartita, laciniis fere pollicaribus, lanceolatis, acutissimis.  
 Huius fundum occupat corpus luteum pisi magnitudine, in cuius base foveæ locantur quinque cum totidem unguibus, introrsum arcuatis, ex quarum centro exsurgit prisma brevissimum, terminatum pentagono viridi: huius pentagoni quinque latera ornantur appendiculis totidem ovatis, concavis, luteis; anguli vero antherarum radicibus rubentibus.  
 Stamina: filamenta decem capillo subtilissimo tenuiora, radicibus rubentibus per paria adfixa, divergentia, sensimque in clavam aucta: antheræ decem clavatæ, diaphanæ, luteæ, inter pentagoni latera et appendicula reconditæ situ fere horizontali.  
 Germina duo adproximata in stylos conicos terminata: stigma commune, pentagonum, fungosum, magnum.  
 Fructus.  
 Habitat in America calidiore.  $\mathcal{N}$ . Vidi floridum in Regio horto Matritensi a mense Septembri usque ad anni finem. Planta iam triennis nondum fructifera.  
*Explic.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Calix. *d* Germina. *e* Flos situ et magnitudine naturali. *f* Interiora stigmatis aucti, tegumento superiori detracto. *k* Altera ex radicibus filamentorum, cum filamentis et antheris, omnia aucta. *l* Eadem aliter visa.

### RUMEX POLYGAMUS. *Tab. 22.*

20. RUMEX floribus hermaphroditis et masculis: valvulis graniferis: foliis obovatis, carnosus, integerrimis.  
 Caulis suffruticosus, teres, glaberrimus ut et tota planta, lineatus, ramosus, articulatus, ad articulos stipulatus: stipula vaginante, scariosa, marcescente ad foliorum axillas.  
 Folia alterna, petiolis longiora, obovata, carnosus, integerrima.  
 Flores paniculati, paniculis longis, ramosis, terminalibus: harum quædam floribus constant masculis, hermaphroditis aliæ.  
 Flores locantur alternatim quaterni, pedunculis brevibus ad squamulam axillaribus.



Calix monophyllus, parvus, profunde trifidus laciniis ovato-concavis, quæ adpressæ sunt in masculis, patentis in hermaphroditis; atque in istis penicilli tres filamentosi breves intra lacinias. Corollæ petala tria, lanceolata, basi coalita, viridia, initio minima, germen involventia, postea in hermaphroditis aucta in alam orbiculatam, in cuius basi externa observatur glandula. Stamina filamenta in masculis duodecim, brevia, ex centro corollæ, terminata totidem antheris exsertis, calice quadruplo longioribus: hæ sunt luteæ, tetragonæ, didymæ, bipartibiles: in hermaphroditis vero stamina sex, bina in unoquoque angulo germinis, inter hoc et corollæ petala inserta, verumtamen adeo minima ut visum effugiant nec aliter quam lente vitrea sint conspicua: in his filamenta sunt tenuissima, et antheræ bifidæ, initio luteo-virides, tandem rufæ.

Germen unicum triquetrum, coronatum stigmatibus tribus patulis, stamine brevioribus.

Fructus est figura germinis, inter corollæ petala clausus.

Habitat in Canaria Insula.  $\mathcal{N}$ . Vidi floridum mense Decembri in Regio horto Matritensi.

*Obs.* Flores masculi magno gaudent antherarum numero, multoque polline, quo hermaphroditum foecundantur: in his enim antheræ sunt flaccidæ, et polline videntur destitutæ. Penicillos tres filamentosos in cavitate foliorum calicis locatos in hermaphroditis natura fecit, ut pollen masculorum volitans irretitum ipsi teneant, stigmatibus adproximent, copulamque faciliunt.

*Explic. fig.* *a* Calix externe visus. *b* Idem interne spectatus, cui adiacet penicillus. *c d* Germinis. *e f* Fructus. *A* Flos hermaphroditus auctus et expansus in quo *iii* stamina; *ooo* penicilli. *B* Stamen auctum. *g* Flos masculus. *G* Idem auctus mulctatus staminibus. *h* Stamen. *k* Idem auctum. *l* Huius sectio. *m* Idem anthera dehiscente.

### SALVIA FULGENS. *Tab. 23.*

21. SALVIA foliis ovato-acutis, cordatis, crenatis, rugosis: floribus verticillatis, fulgidis. Caules tripedales, tetragoni, scabriusculi, reclinato-erecti, ramis patulo-erectis, oppositis. Folia opposita, petiolis canaliculatis subæqualia, cordata, acuta, rugosa, crenata, inferiore pagina tomentosa.

Flores spicati, spicis terminalibus, verticillis sexfloris. Stipulæ breves, acutæ, cito deciduæ.

Calix campanulatus, bilabiatus, glaber, striatus; labio superiore integro, ovato-mucronato, inferiore apice bifido.

Corolla monopetala, ringens, sesquipollicaris, saturate coccinea fulgentissima, intus dilutior: tubus superne ampliatus, subcompressus: labium superius elongatum, concavum, integrum, apice villosum: inferius trifidum, laciniis lateralibus brevioribus, revolutis, media lata, plicata, disco orbiculari tricrenato.

Staminum filamenta duo, basi libera et adproximata, corolla dimidio breviora, alba; in media eorum longitudine denticulus brevis, infra quem lacinula transversalis, qua corollæ parieti adhærent: antheræ ovatæ albicantes.

Germina quatuor ovata, implantata receptaculo quadrato, cui antice adhæret membrana longior, acuta, germina duo antica tegens. Stylus simplex, apice latior, compressus, barbatus: stigmata duo revoluta, incarnata, exserta.

Fructus in fundo calicis. Semina quatuor obovata.

Habitat in Mexico.  $\mathcal{N}$ . Vidi floridam in Regio horto Matritensi a mense Octobri usque ad Februarium.

*Explic. tab.* *a* Corolla secta et expansa ut interiora appareant. *b* Germina. *c* Eadem aucta. *d* Membrana.

*Obs.* Species longe diversa a *Salvia speciosa* l' Heritier, quam Linnæi filius Parisiis degens *Salviam leonuroidem* dixit; figuratam etiam et evulgatam ab auctore Germano cuius opus vidi apud D. de Iussieu. Caulis in leonuroide est durus et fruticosus; folia glabra, lucida, et non nihil coriacea, flores denique breviores minusque fulgentes: hanc invenerunt in Imperio Peruano Pavonius, Ruizius, Dombeyus, atque *Salviam pyrifoliam* nominarunt.



SALVIA LEUCANTHA. *Tab. 24.*

22. SALVIA foliis lanceolatis, longis, rugosis, crenulatis: floribus spicatis: calicibus tomentoso-violaceis.

Caulis tetragoni, ramosi, erecti, quinque pedes alti.

Folia angusta, lanceolata, longa, rugosa, crenulata, subtus tomentosa, albicantia, supra saturate viridia: petioli breves subconnati, ad quorum basim glandulæ minimæ, puncta fusca referentes.

Flores terminales in spicis longissimis interruptis; verticillis multifloris, tomento lanuginoso violaceo coopertis.

Calix tomentosus, violaceus, bilabiatus, labio superiore integro, acuto, inferiore breviter bifido.

Corolla alba, calice duplo maior, cuius labium superius fornicatum, plicatum, integrum, villosum: inferius trifidum laciniis rotundatis, subæqualibus, sub quibus gibba brevis.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat in Imperio Mexicano.  $\mathcal{N}$ . Vidi floridam in Regio horto Matritensi mensibus Novembri et Decembri.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Corolla. *c* Eadem longitudinaliter fissa et expansa. *d* Germina cum stylo aucta. *e* Stamina.

SALVIA TUBIFERA. *Tab. 25.*

23. SALVIA foliis ovato-acutis, serratis, mollibus: floribus spicatis erectis, tubo longissimo. Caulis tetragonus, erectus, fere orgialis, ramosus.

Folia opposita, petiolis multo longiora, ovato-acuta, serrata, mollia.

Flores verticillato-spicati, terminales; verticillis sexfloris.

Calix ut in *Salvia fulgente*, at multo brevior.

Corolla coccinea, villosa, cuius tubus cylindricus, gracilis, pollicaris, ore bilabiato: labium superius ut in præcedenti; inferius trifidum, laciniis revolutis, media paulo longiore.

Reliqua ut in præcedenti, at stamina longiora.

Habitat in Imperio Mexicano.  $\mathcal{N}$ . Vidi floridam in Regio horto Matritensi mensibus Novembri et Decembri.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Corolla. *c* Eadem expansa. *d* Stamina aucta. *e* Germina. *f* Eadem super receptaculum quadratum. *g* Huius membrana.

SALVIA MEXICANA. *Lin. Tab. 26.*

24. SALVIA foliis ovatis, utrimque acuminatis, serratis: petiolis basi externe biglandulosi.

*Lin. sp. plant. vol. 1. pag. 67. n. 21.*

*Sclarea mexicana* altissima facie *Heliotropii*. *Dill. elth. 339. tab. 254. f. 330.*

Caulis crassi, orgiales, quadrisulcati, angulis orbiculatis, subpubescentibus, albicantibus.

Folia ovato-acuta, serrulata, mollia, tripollicaria, subtus albicantia: petioli foliis breviores, basi externe biglandulosi, glandulis callosis.

Flores verticillato-spicati: spicis longis, densis, interruptis: verticilli multiflori.

Calix striatus, glaber, bilabiatus, labio superiore integro, inferiore bifido, acuminibus subulatis.

Corolla saturate coerulea, calice multo longior, cuius figura ut in *Salvia fulgente* quemadmodum et reliqua.

Habitat in Imperio Mexicano.  $\mathcal{N}$ . Vidi floridam in Regio horto Matritensi mense Decembri.

*Explic. tab. a* Calix ante corollæ expansionem. *b* Idem perfectiore statu. *c* Corolla. *d* Stamina. *e* Germina cum stylo. *f* Eadem paulo aucta.



SALVIA POLYSTACHIA. *Tab. 27.*

25. SALVIA caule orgiali, tetragono: foliis ovato-acutis, serratis, inferne glaucis: spicis numerosis terminalibus.

Caulis tetragonus, angulis acutis, orgialis, ramosus; ramis teneris subvillosis.

Folia petiolis longiora, opposita, ovato-acuta, serrata, mollia, inferne glauca: petiolorum basis externe biglandulosa.

Flores spicati, spicis pluribus densis, terminalibus, quarum verticilli adproximati et multiflori.

Calix brevis, villosus, striatus, tubuloso-bilabiatus: labiis ut in præcedentibus.

Corolla parva, coerulea, fauce patula: labium superius breve, fornicatum, integrum: inferius trifidum, lacinia media latiore, emarginata.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in Imperio Mexicano.  $\mathcal{Z}$ . Vidi floridam in Regio horto Matritensi Novembri et Decembri.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Flos integer. *c* Corolla expansa. *d* Germina.

*Obs.* Omnes supra descriptæ species labio superiore gaudent subintegro: calix etiam in omnibus bilabiatus est, labio superiore integro, unidentato, quod tridentatum prædicat D. de Iussieu in plantarum generibus pag. 111.

IUSTICIA PERUVIANA. *Lamarck. Tab. 28.*

26. IUSTICIA foliis ovatis acutis: spicis brevibus, axillaribus et terminalibus, floribus tribracteatis.

Carmantine du Peru: Iusticia herbacea, foliis ovatis acutis: spicis brevibus axillaribus et terminalibus, imbricatis squamis apice spinulosis. *Lamarck Dict. Encyclop. tom. 1. pag. 633. qui plantam vidit siccam in herbario Dombeyano, notatam Diantheræ nomine.*

Caules teretes, sesquipedales, ramosi, duri, perenantes, internodis elongatis.

Folia opposita, ovato-acuta, uninervia, nervo utrimque ramoso, citri æmula: petioli semipollicares, folio quadruplo breviores: bracteæ utrimque binæ, foliaceæ, breves, oblongæ, deciduæ.

Flores spicati, spicis brevibus axillaribus: flos quilibet alternatim sessilis, stipatusque bracteis tribus.

Calix oblongus, profundissime quinquepartitus, laciniis subulatis, erectis.

Corolla monopetala, violacea, tubulosa, bilabiata: tubus brevis: labium superius ovatum, concavum, apice bifido revolutum: inferius latissimum limbo trifido, laciniis rotundatis, subæqualibus: in hoc labio prope faucem canalis existit albicantibus lineis variegatus.

Stamina: filamenta duo imo tubo adnata, labio superiore breviora: antheræ duæ in quolibet filamentum virescentes, basi acutæ, quarum altera paulo elevatior et terminalis.

Germe superum turbinatum: stylus longitudine fere staminum: stigma simplex.

Fructus: capsula basi angustata bilocularis, bivalvis; valvulis dissepimento-oppositis: loculamentis mono-dispermis.

Semina obovata dissepimento affixa.

Habitat circa Limam.  $\mathcal{Z}$ . Vidi floridam in Regio horto Matritensi a mense Octobri usque ad Ianuarium.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Flos integer. *c* Huius labium inferius sectum et separatum a superiore *d* expanso. *e* Stamen unicum. *f* Fructus. *g* Idem dehiscens.

*Obs.* Diantheram Linnæi cum eiusdem Iusticia coniunxit D. de Lamarck in Dictionario Encyclopedico, cui annuere videtur D. de Iussieu, quibus character de filamentis uni, aut bianthærifera videtur insufficiens ad conservanda genera in reliquis omnino similia: istorum exemplo idem facio.



CHELONE CAMPANULATA. *Tab. 29.*

27. CHELONE foliis oppositis, sessilibus; ovato-lanceolatis, longissime acuminatis, profunde serratis.

Caulis teretes, glabri ut et tota planta, sesquipedales, purpurascens, virgati.

Folia opposita, sessilia, amplexicaulia, basi ovata et versus apicem semper angustiora, longa, acutissima, profunde serrata, uninervia, superne saturate viridia, inferne dilutiora.

Flores spicati, terminales, spica laxa longissima: pedunculi axillares, solitarii, oppositi; inferiores bifidi, biflori, superiores uniflori, ad bifurcationem foliosi, foliis item oppositis.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis lanceolatis, acutis, reflexis.

Corolla monopetala, campanulata, dilute violacea: tubus basi subcylindricus, postea in semipollicis longitudinem sensim latior: faux patula; limbus bilabiatus, labio superiore erecto, bifido; inferiore paulo longiore, tripartito, laciniis obtusis.

Stamina: filamenta quatuor tubi integri longitudine, viridia, quorum basis callosa, callo ovato, basi internæ tubi adnata: inferiora (filamenta) paulo longiora, omniaque inferne arcuata, et versus labium superius directæ: antheræ fuscae, ovatae, didymæ. Inter duo stamina superiora quintum erigitur filamentum, cuius basis callositate orbatur, recte excurrit quousque eius apex initium lobi mediæ labii inferioris pertingat: apex est latus, truncatus, superne villosus.

Germen ovato-acutum; stylus simplex, staminibus paulo brevior, stigma obtusum, fuscum.

Fructus: capsula ovato-acuminata, bisulcata, bilocularis, bivalvis, valvis non septiferis, dissepimentum valvulis parallelum. Receptaculum conicum, in quo semina numerosa, obovata.

Habitat in Imperio Mexicano. ♂. Vidi floridam in Regio horto Matritensi mense Decembri.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Corolla secta et expansa, ut bases staminum appareant. *c* Germen intra calicem. *d* Fructus. *e* Idem dehiscens. *f* Huius sectio.

*Obs.* An Chelonis Penstemon varietas? Flores certe multum recedunt ab illa culta in Regio horto Parisiensi cuius descriptionem dedit D. de Lamarck tomo 2. Dict. Encyclop. pag. 586. n. 2. Folia ulterius in hac mea sunt omnia sessilia.

HYACINTHUS SEROTINUS. *Linn. Tab. 30.*

28. HYACINTHUS petalis exterioribus subdistinctis, interioribus coadunatis. *Lin. spec. plant. tom. 2. p. 77. n. 3.*

Hyacinthus obsoleti coloris, hispanicus serotinus. *Clus. hist. 1. pag. 177. 178.*

Bulbus ovato-conicus, solidus, tunicis fuscis tectus, basi coronatus, unde prodeunt radices albicantes, filiformes.

Scapus solitarius, pedalis, glaber.

Folia radicalia ex summitate bulbi, canaliculata, basi vaginantia scapum, ipsoque breviora, apice acuta.

Flores racemosi, secundi, subcernui: flos quilibet breviter pedunculatus, bractea suffultus subulata.

Calix 6. Corolla tristis, rubro viridis, basi tubulosa, sexfida, laciniis tribus externis, ovato-linearibus, fere ad basim usque separatis, recurvisque; interioribus in tubum coalitis, apice patulis.

Stamina: filamenta sex subulata, internæ basi corollæ inserta: antheræ oblongæ, luteæ.

Germen trigonum, longiusculum: stylus filiformis: stigma simplex.

Capsula ovata, triquetra, trilocularis, trivalvis, loculis polyspermis.

Habitat in monticulis arenosis contra lacum *Ontigola* prope Aranjuez cum *Lepidio* subulato, *Antirrhino* bipunctato, *Cineraria* minuta &c. Reperi floridum die 20 Aprilis.



*Explic.* tab. *a* Flos naturali situ. *b* Idem laciniis exterioribus depressis ut tubus conspiciatur.  
*c* Tubus sectus ut stamina appareant. *d* Stamen unicum. *e* Germen.

*Obs.* In Clusii opere figuræ adparent minutæ ; quare iterum delineavi plantam magnitudine naturali.

### SCORDIUM SPINOSUM. *Tab.* 31.

29. SCORDIUM caule tetragono ad nodos spinoso : foliis oppositis , radicalibus pinnatifidis , summis ovatis , reliquis crenatis.

*Scordium spinosum odoratum. Cornut. Canad. 123. figura bona. Basr. rar. tab. 202. mala.*

*Teucrium spinosum , calicibus labio superiore ovato , corollis resupinatis , pedunculis geminis. Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 25. n. 35. Loeßl. iter. 147.*

*Chamoedrys multifida , spinosa , odorata. Grisl. lusit. 20. Tournef. init. 208. Ceterique videnti apud Linn.*

Radix albicans , dura , teres , descendens , fibrilis ornata.

Caulis pedalis , tetragonus , pubescens , valde ramosus , ramis oppositis , patulis , nodosus , ad nodos spinosus , spinis acutis , basi sæpius ternatis.

Folia polymorpha , opposita , subcarnosa , villosa ; inferiora pinnatifida in petiolum desinentia , reliqua ovata , partim integra , partimque crenata , sessilia.

Flores verticillati , fere semper quaterni et subsessiles.

Calix bilabiatus : labium superius latius , orbiculato-acutum ; inferius quadridentatum , denticulis subulatis , conniventibus : faux villis obsita , quum fructum fovet : pedunculi non basi calicis , sed huic superne adfixi.

Corolla alba , cuius tubus cylindraceo-incurvus , nonnihil ventricosus , calice longior : labium superius elongatum , deinde reflexum , trifidum , lacinia media longiore , concava , integerima : inferius nullum , cuius neque rudimentum existit.

Stamina quatuor exserta , erecta , distantia , alba , quorum duo breviora : antheræ ovatæ , rubentes.

Germen quadripartitum : stylus longitudine staminum : stigma bifidum , reflexum.

Semina quatuor , parva in fundo calicis.

Habitat in Cerro negro , id est colle nigro a fusco terræ colore sic dicto. ☉. Collis hic prope Matritum iacet ultra torrentem Bregnigal iuxta Manzanarem fluvium. Terra constat pingui , argilla olim , nunc tractu temporis deformata atque vegetationi idonea. Plantis undique abundat pulcherrimis. Illius radices atque vicinos in planitie agros abunde vestit Croton tinctorium , ex quo Monospeliensium exemplo vellem quidquam utilitatis haberi. Adscendendo postea reperitur Convolvulus althæoides , Æchinops strigosus , Queria hispanica , Minuartia dichotoma , Malva scherardiana , Hypocrepis multisiliquosa , Buffonia angustifolia et aliæ benemultæ stirpes. In culmine demum late vigent Cynosurus lima , Atractylis humilis et Scordium spinosum , quod alibi nunquam conspexi.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *c* Corolla. *d* Eadem secta et expansa. *e* Calix sectus.

*Obs.* Calix , staminum longitudo , ac præcipue corolla , labio inferiore destituta , diversum genus a Teucro postulant. Scio D. de Lamarck lepide dixisse flores in hac planta inversos fuisse ut ex ea Teucro speciem constituat ; verumtamen gratis id asseruit , quod posset utique asseverare si de *Hebenstretia* sermonem instituisset. Re autem vera corolla labio superiore dumtaxat constat.

### ANTIRRHINUM SPARTEUM. *Linn. Tab.* 32.

30. ANTIRRHINUM foliis subulatis , canaliculatis , carnosis ; inferioribus ternis ; caule paniculato , corollisque glaberrimis. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 129. n. 12.*



Radix teres, obliqua, ramoso-fibrosa, albicans, ex qua caules adsurgunt pedales et sesquipedales, glabri ut et tota planta, inferne rubescentes, postea virides, paniculati, ramis alternis.

Folia quando caules tenerrimi sunt et nondum erecti terna, brevia, oblonga, reliqua alterna, subulata, subcarnosa, nonnihil canaliculata, pollicaria.

Flores racemosi, terminales.

Calix flavescens, subvillosus, profunde quinquepartitus, laciniis subæqualibus, ovato-acutis, postice notatis macula nigricante oblonga.

Corolla flava, glaberrima: labium superius bifidum erecto revolutum absque striis: inferius tricrenatum, crenula media minima: palatum et gibbarum summitates saturate flava, ad rubicundum accedentia. Calcar longum, subulatum.

Staminum filamenta dilutiora, didyma: antheræ ovatæ, albicantes.

Germen globosum, viride: stylus filiformis: stigma bifidum.

Fructus: capsula brevis, bilocularis, polysperma.

Vulgatissimum prope Matritum, præcipue *en la Casa del Campo*, et *en el arroyo de Cantarranas*. Vidi floridum mensibus Maio et Iunio, cum quo florebant etiam in eodem arroyo Anthylides lotoides et Cornicina, Filago pygmæa, Rottbolliæ monandra, Elymus caput medusæ, innumeræque plantæ pulcherrimæ. Delectatur in aridis arenosis. ☉

*Explic. tab. a* Calix. *b* Corolla. *c* Germen auctum.

### ANTIRRHINUM BIPUNCTATUM. *Linn. Tab. 33. fig. 1.*

31. ANTIRRHINUM caule erecto: foliis linearibus; inferioribus quaternis; floribus in summitate confertis.

Antirrhinum foliis linearibus, glabris; inferioribus quaternis; caule erecto, paniculato: floribus spicato-capitatis. *Linn. spec. plant. tom. 3. p. 129. n. 13.*

Antirrhinum erectum foliis linearibus, imis verticillatis, pauciflorum. *Sawv. monsp. 165.*

Ex eadem radice albicante, fibrosa, descendente, cauliculi plures exsurgunt, in arido loco simplices et quatuor pollices alti, in tuberiori vero ramosi et duplo longiores, glauci ut et tota planta.

Folia sessilia, ovato-oblonga, limbo reflexo, ita ut inferne canaliculata appareant: inferiora terna et quaterna, superiora solitaria.

Flores in summitate conferti sæpe quinque, breviter pedunculati.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis ovatis, superiore longiore, omnibusque pilis brevibus, rubris, glandulosis.

Corolla alba, cuius faux clausa, huiusque interiora flava: labium superius erectum, bifidum; inferius superne bigibbosum, punctisque fuscis variegatum, apice tricrenatum. Calcar longum, dilute purpureum.

Stamina didyma intra faucem corollæ: antheræ ovatæ, luteæ, circumdatæ linea fusca.

Germen ovatum: stylus filiformis, virens: stigma lutescens.

Capsula calicis logitudine, globosa.

Habitat passim in Aranjuez et circa Matritum. ☉. Vidi floridum Maio et Iunio una cum Iberide nudicauli, Avena Loefflingiana &c.

*a* Calix. *b* Idem auctus et expansus. *c* Corolla.

*Obs.* Linnæus huic speciei tribuit corollam flavam, ego semper albam vidi; quare variat colore; nisi forte ille plantam dumtaxat siccam viderit proprio colore destitutam.

### ANTIRRHINUM GLAUCUM. *Linn. Tab. 33. fig. 2.*

32. ANTIRRHINUM foliis quaternis, subulatis, carnosissimis: caulibus erectis: floribus spicatis.

*Lin. spec. plant. tom. 3. pag. 132. n. 21.*



Ex eadem radice albicante, fibrosa, caules adsurgunt teretes, ramosi, numerosiores atque longiores in terra pingui quam in arenosis locis.

Folia linearia, oblonga, crassa, fere subulata, glauca, glabra ut et tota planta: inferiora quaternaria, superiora alterna, internodis subæqualia.

Corolla lutea, calcare dilutiore, at minor quam in *Antirrhino bipunctato*: antheræ luteæ.

Reliqua ut in præcedente, cum quo habitat et floret dicto tempore.

### CINERARIA MINUTA. *Tab. 33. fig. 3.*

33. CINERARIA foliis pinnatifidis: caule unifloro, capillari.

Radix brevis, fibrosa, descendens, ex qua caules adsurgunt sæpe duo, capillares, bipollicares, initio villosi-lanati, vetustate fere glabri, uniflori.

Folia pinnata, alterna, sessilia, supra viridia, inferne violacea.

Flores terminales solitarii.

Calix simplex, polyphyllus, foliolis decem villosis, subcarinatis, conniventibus, apice rubris: fructifer inferne incrassatus, cavus.

Corolla lutea, radiata: radii decem, feminei, ligulati, lineares, apice trifidi: in centro flosculi plures infundibuliformes, limbo quinquefido.

Stamina in centralibus flosculis ut in congeneribus; in radiis nulla.

Germen in omnibus fructiferum, ovato-oblongum: stylus filiformis: stigmata duo, reflexa in feminis, erectiuscula in hermaphroditis.

Semina ovato-oblonga, minima; papus sessilis, plumosus: receptaculum nudum.

Habitat in culmine monticulorum contra lacum *Ontigola* prope Aranjuez. ☉. Floret mense Maio una cum *Lithospermo dispermo*, *Fritilaria meleagri*, *Alyso montano*, *Asphodelo ramoso* &c.

*d* Calix. *e* Idem fructifer. *f* Flosculus hermaphroditus auctus. *g* Radius auctus pariter. *h* Papi filum. *i* Semen auctum.

### EUPHORBIA RUBRA. *Tab. 34. fig. 1.*

34. EUPHORBIA foliis cuneatis, emarginatis, imbricatis: umbellis bifidis: corollis pentapetalis.

Radix perpendicularis, albicans, parce fibrosa: ex qua caules adsurgunt herbacei, sesquipollicares, glaberrimi, atrorubentes ut et tota planta.

Folia sessilia, cuneata, emarginata, imbricata, raro virentia.

Flores terminales umbella bifida: huius involucrium triphyllum, foliolis orbiculatis, mucronatis, triplo maioribus quam caulinis.

Calix turbinatus, minimus.

Corollæ petala quinque rubentia, bicornia.

Staminum filamenta albicantia: antheræ luteæ, didymæ, ovatæ.

Germen pedicellatum, ovatum: styli tres lutei, bifidi.

Fructus glaber, ovatus, estque capsula trisulca, trivalvis, trisperma.

Semina ovata, albicantia, sulcis rubris exarata.

Habitat in monticulis arenosis contra lacum *Ontigola* iuxta Aranjuez. Floret Aprili et Maio. ☉

*Explic. tab. a* Flos auctus et expansus. *b* Corolla cum germine multoties aucta. *c* Fructus. *d* Idem auctus. *e* Semen.

### EUPHORBIA RETUSA. *Tab. 34. fig. 3.*

35. EUPHORBIA foliis linearibus retusis: involucellis lanceolatis.

*Tithymalus*, seu *esula* exigua, foliis obtusis. *Bauh. pinax 291. prodr. 132.*



Radix filiformis, capillis aliquot, ex qua exsurgunt caules herbacei, glabri, 3-5-pollicares. Folia omnia sessilia, linearia, apice truncata et emarginata, inferiora breviora. Cotyledones ovato-rotundati, inferne violacei.

Flores umbellati, umbella quadrifida, dichotoma: involucrum universale tetraphyllum, foliis caulinis simile: involucellis diphyllis, lanceolatis.

Calix turbinatus, viridis.

Corollæ petala quinque colorata, bicornia; cornibus viridi-albicantibus.

Capsula globosa: semina nigricantia, ovata, longitudinaliter sulcata.

Reliqua ut in præcedenti, cum qua habitat, simulque floret. ☉

*f* Fructus. *g* Idem auctus.

*Obs.* Cl. Linnæus et Lamarck hanc plantam varietatem reputant Euphorbiæ exiguæ: quibus assentire nequeo. 1.º quia corolla in Euphorbia exigua est tetrapetala, in retusa vero pentapetala. 2.º Folia sunt semper in hac apice emarginata, in illa acuta. Neque observationibus consentaneum reperi quod Linnæus adiungit, scilicet acutam in collibus, retusam in pratis: hæc enim ut vidimus in collibus arenosis crescit; illa vero inter segetes dicente Mullerio pag. 8. fasciculi X. floræ Danicæ, cuius icon tab. 592.

### CLYPEOLA IONTHLASPI. *Lin. Tab. 34. fig. 2.*

36. CLYPEOLA siliculis orbiculatis, unilocularibus, monospermis. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 238. n. 1.*

Clypeola foliis lineari-spatulatis, sessilibus; siliculis emarginatis. *Lamarck Dict. tomo 2. pag. 55.*

*Thlaspi clypeatum, serpilli folio. Bauh. pinax 107.*

*Ionthlaspi minimum, spicatum, lunatum. Col. ecphr. 1. pag. 281. tab. 284. apud Linn.*

Radix albicans, fibrilis aliquot: ex qua caules prodeunt filiformes, duriusculi, erecti, inferne ramosi, quatuor pollices sæpe alti, rubentes, tectique pilis brevibus albicantibus.

Folia spatulata, alterna, sessilia, glauca, stellulis pilorum minimis cooperta.

Flores terminales, spicati, qui nudos oculos fugiunt.

Calix ex quatuor foliolis ovatis, fuscis, conniventibus, persistentibus.

Corolla lutea, ex petalis quatuor calicis magnitudine.

Stamina sex tetradynama: antheræ luteæ.

Germen orbiculato-compressum: stylus vix lente vitrea conspicuus.

Fructus: silicula orbiculato-compressa, emarginata, periferia membranacea, tomento brevi tecta, bivalvis, monosperma.

Semen orbiculato-compressum, siliculæ centrum occupans.

Habitat cum præcedentibus. Floretque Martio, Aprili et Maio ☉ una cum Geraniis pulverulento, præcoce et malacoide, Cisto salicifolio &c.

*h* Fructus auctus. *i* Folium valde auctum ut stellæ conspiciantur.

*Obs.* *Ionthlaspi minimum, spicatum, lunatum, Garideli hist. plant. pag. 255. tab. 56.*  
a supra descripta planta recedit: 1.º magnitudine; 2.º siliculis non emarginatis; 3.º foliis non spatulatis sed mucronatis.

### MICROPUS SUPINUS. *Linn. Tab. 35.*

37. MICROPUS caule procumbente: foliis geminis. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 942. n. 1. Mill. Dict. n. 1.*

*Filago supina. Lamarck. Flor. Franc. pag. 53. n. IX.*

*Gnaphalodes lusitanica. Tournef. 439.*

*Pseudo-gnaphalium supinum, semine echinato. Moris. hist. 3. pag. 93.*



- Gnaphalium supinum, echinato semine. *Pluk. Alm. 171. tab. 187. fig. 6. mala.*  
 Radix teres, descendens, fusca, fibrilis aliquot, ex qua caules exeunt divaricati, sæpe ramosi, tripollicares, tomento candido obducti, uti tota planta.  
 Folia gemina, subopposita, cuneato-ovata, connata, plicata, trinervia.  
 Flores axillares, sessiles a base usque ad verticem caulium.  
 Calix communis simplex, ex quinque aut pluribus laciniis scariosis, pellucidis, minimis, oculo inermi vix conspicuis.  
 Corolla composita ex hermaphroditis sex in disco et quatuor feminis in ambitu. Hermaphroditum corolla est infundibuliformis, viridis, limbo purpureo, quinquepartito: feminae vero præcedente longior, monophylla, plicata, limbo utrimque adpresso, apice hians, qua stigma prodit, intus viridis et glabra, extus tomentosa, persistens indurata, tuncque muricata dorso duobus ordinibus.  
 Stamina: hermaphroditis filamenta quinque: anthera cylindracea, purpurea: germen efoetum: stylus simplex: stigma clavatum. Feminis vero stamina nulla: germen obovatum, basi acutum: stylus corolla longior, introrsum arcuatus: stigma exsertum, bifidum, supra flores hermaphroditos recubans.  
 Receptaculum minimum, paleolis minimis. Papus nullus.  
 Semina solitaria, fusca, ovata, intra corollam arcte inclusa.  
 Habitat passim in suburbiiis Matriti ad agrorum margines: reperitur etiam in Mentrída, Chámartin et alibi. Floret Maio.  
*Explic.* tab. *a* Calix communis auctus. *b* Flores hermaphroditum et femineum. *c* Hermaphroditum auctus. *d* Femininum. *e* Idem expansus ut germen appareat. *f* Fructus. *g* Idem auctus. *h* Semen.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Quamquam D. de Lamarck contra Linnæum ex hac planta Filaginem fecerit loco citato; tamen in Dictionario Encyclopedico eam haud video pag. 739. et sequentibus in quibus de Gnaphalio diserit, in unum coalitis Gnaphalio et Filagine: omisit fortasse, quia in ea semina destituta sunt papo, quem ipse semper existere in Filaginibus adseverat. <sup>(a)</sup> An id recte, videbimus in sequente.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Si quod corollam dixi in floribus femineis, calicem alii nominare velint, haud repugnabo: tum maxime si ab omnibus reciperetur Scopoli sententia <sup>(b)</sup> dicentis: Involucrum floris, si unicum, tunc dicitur *calix*: si duplex, tunc primum est *calix*, aliud *corolla*: si triplex, tunc primum *calix primus*, aliud *calix secundus*, tertium *corolla*. Nihilominus quum compositi flores gaudeant calice communi, ipsos ambiente, genitalium involucra tam in hermaphroditis quam in feminis corollas dixi.

### FILAGO PYGMÆA. *Linn. Tab. 36.*

38. FILAGO foliis alternis, sessilibus, lineari-ovatis, tomentosis: summis maioribus in coronam expansis.  
 Filago (*acaulis*) floribus acaulibus, sessilibus, foliis floralibus maioribus. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 939. n. 1. ubi citatur Filago pygmæa spec. plant. 2. edit. pag. 1311. Loëff. it. 165. Gouan. monsp. 465.*  
 Gnaphalium pygmæum herbaceum, caulibus subfiliformibus, decumbentibus, capitulo complanato, terminali, bracteis obovatis, in rosulam expansis obvallato. *Lamarck Dict. tom. 2. pag. 761. n. 88.*  
 Gnaphalium asterisciflorum herbaceum, caule brevi simplicissimo, capitulo terminali, bracteis maximis, acutis, et leviter tomentosis radiato, calicibus aureis, glabris et nitidis. *Lamarck Dict. tom. 2. pag. 760. n. 86.*

(a) Les *Filago* de Linné diffèrent très peu, ou même n' en diffèrent point (des Gnaphales); car leurs semences ne sont point nues, comme le dit Lin-

né; mais elles sont couronnées d' une aigrette très remarquable. *Lamarck Dict. tom. 2. pag. 739.*

(b) *Fundamenta botanica* pag. 24.



Gnaphalium roseum, supinum. *Barrel. tab. 127.*

Gnaphalium umbellatum, minimum. *I. Bauh. hist. plant. lib. 26. cap. 56.*

Gnaphalii alpini pulchri aliud genus. *Eiusdem cap. 54.*

Planta vere polymorpha, quæ hucusque in errorem induxit vel oculatissimos botanicos qui in herbariis exiccatam, aut cultam in hortis observarunt.

Radix fusca, fibrôsa, descendens, fere semper acaulis, aliquando caulescens. In primo casu folia profert numerosa, lineari-ovata, in rosam expansa supra terram, exteriora longiora, omniaque tomentoso-albicantia, quorum integrâ periferia est diametri sesquipollicaris (figura B): in centro et prope ipsum incerto ordine flores locantur 6-9.

In secundo caulem profert sæpe simplicem, plures aliquando, eosque ramosos; quorum folia caulina sunt sessilia, numerosa, sublinearia, apice latiora et obtusa; quæ vero flores ambiunt in rosam expansa sunt maiora. Rosa hæc aut potius involucrium, indivisum remanet aliquando; sed sæpius summitas caulis in corymbum partitur, cuius ramuli 6-9 inæquales, numquam pollicem longi, involucri partem sibi vindicant, quæ sensim augetur foliorum numero: adeo ut planta tam acaulis, quam caulescens, dummodo caulis summitas maneat indivisa, rosa aut involucrio gaudeat maiori, utpote composito ex 6-9 involucriis coalitis, quæ totidem floribus compositis respondent (figura A).

Calix ovato-conicus ex innumeris squamulis compositus: istæ sunt imbricatæ, pellucidæ, glabræ, basi ovato-concavæ, apice setosæ, setula divaricata. Huius coni apicem occupant flores quinque hermaphroditi, steriles, nudi: feminæ vero intra squamulam calicinam, solitariæ, omnesque fertiles.

Corolla hermaphroditis infundibuliformis: tubus longus, albicans: limbus ruber, quinquepartitus, laciniis reflexis, acutis: in feminis nulla.

Anthera cylindræa, flava, cuius filamenta numerare non potui, quamquam a corollæ laciniis quinque credo: in feminis nulla.

Germen in hermaphroditis efoetum, pellucidum: stylus filiformis apice obscure bifidus: in feminis germen ovatum, villosum, in fundo squamulæ reconditum: stylus albus, longus: stigma bifidum, divaricatum, sub quo existit setula minima.

Receptaculum acute conicum, nudum. Papus nullus.

Semina ovata, glabra.

Habitat passim in incultis arenosis prope Matritum, præcipue *en la Casa del Campo, altos de San Bernardino* &c. Floret Maio.

*Explic. tab. A* Planta caulescens magnitudine et situ naturali, in qua videntur caules involucrio indiviso, aliisque corymbosi. *B* Eadem acaulis. *a* Flos compositus magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Receptaculum squamulis denudatum, et terminatum flosculis hermaphroditis. *d* Idem auctum in quo omnia clare patent. *e* Flosculus femineus intra squamulam calicinam. *f* Semen, quod auctum videtur in *F*.

*Obs.* Hæc planta diversa est a Gnaphalio leontopodio Iacquini (*Aust. vol. 1. pag. 54. tab. 86*). Conferantur descriptiones.

Magna reverentia maximisque laudibus dignum fuisse Linnæum, nemo dubitaverit. Veritatem ille semper inquirebat: eius opera luce clariora sunt. Quod si errores in istis deprehendantur, eos oportet corrigi in scientiæ profectum sine felle, sine aculeis, immo debita in tantum virum honoris præfatione. Recessit ab hac humanitatis et rationis lege D. de Lamarck in suo opere encyclopedico, idque sæpius, talique modo fecit, ut nec amicitia nostra, nec illustria illius in botanicam merita continere me possint, quin Linnæum male ac sine causa vulneratum defendam. Ad rem.

Iniuste notat D. de Lamarck <sup>(a)</sup> quod Linnæus nomen specificum *Filaginis pigmææ*

(a) Linné a changé le nom spécifique qu' il avoit substituer un plus mauvais. *Lamarck Dict. Encyclop. tom. 2. pag. 761.*  
donné à cette plante (*Filago pygmæa*), pour lui en



mutaverit in aliud peius, nempe *acaulem*. Sed longe iniustius videtur quod deinde subdit his verbis (a): *Quum Linnæus receptaculi differentiam ita constituerit ut nudum in Gnaphalio, paleaceum in Xeranthemo sit, Xeranthemum divisit in duas phalanges, quarum altera receptaculo nudo instruitur, altera paleaceo. Quanta licentia! Invitus dicam: neque Tournefortius, neque Botanicorum antiquissimi se umquam adeo incuriosos præstitere. Illi certe plantarum characteres numquam dederunt ita accuratos, uti hodie in recentiorum descriptionibus legimus, Linnæo duce: veruntamen numquam illi scientes, prudentesque contradictionem finxerunt adeo rationi contrariam, cuiusmodi Linnæus dedit. Illis quidem errores per ignorantiam exciderunt; Linnæi vero quos notamus errores ipsi erant cogniti. Atque hoc est quod in primis damnandum videtur.* Quasi diceret: Errarunt hucusque Botanici, quia homines: Linnæus non erravit, sed decepit, sed palam mentitus fuit. Lectores deprecor ut paululum ab ira se cohibeant: non enim hic scripta hominis celeberrimi insectatur, sed animi dotes probitatem, iustitiam; candidissimi inquam Linnæi, qui toties veritatis amore concilium mutavit; qui opiniones suas ad incudem sæpe revocans aut emendavit, aut reiecit omnino.

Vix divinaverim qua ductus ratione D. de Lamarck tantam iniuriam Linnæi memoriæ intulerit, nisi forte ita fuerit ratiocinatus: *Perfecte cognoscebat Linnæus florum receptacula dum characteres finxit, neque errare poterat: igitur volens et lubens errores propinavit.* Quid accusator iste responderet si simili argumento præmeretur? *Perfecte cognoscebat D. de Lamarck Sida fructum dum characteres genericos recensuit (b), nisi hospes plane in Botanica fuerit; atqui in Dictionario dixit capsulas esse monospermas, quod falsum (c): ergo volens et lubens erravit.* Sed absint tam absurdæ suspensiones, homine philosopho plane indignæ. Illud potius videamus, quam iniuste se gesserit D. de Lamarck, quantumque erraverit hoc loco.

*Filago pygmæa* aliquando acaulis est, aliquando caulescens. Certe eodem solo prope Matritum plantas observamus caulescentes, quas instar satellitum ambiunt innumeræ aliæ, caule omnimodo destitutæ: utræque florent, fructificant et pereunt nihil immutatæ. Vidit certe Linnæus initio hanc plantam caule brevi præditam, statimque *pygmæam* dixit: vidit postea eandem speciem maiori exemplarium numero, caule prorsus destitutam, tuncque nomen *pygmæam* in *acaulem* mutavit. In hoc certe aut multum fallor, aut nihil est reprehensione dignum. At D. de Lamarck vidit primam caulescentem, et Linnæo annuens, et genericum et specificum nomen conservavit (d): examinavit postea eandem, quam D. Vahl ex Hispania reportavit, atque illico diversam esse credens, pro nova specie alterius generis venditavit *Gnaphalii asterisciflori* nomine (e). Quis rectius iudicavit? Fortasse pro tuenda sententia reponet diversas esse plantas, quas diversis nominibus insignivit, quasi veraces sensus ipse unus possideat: quod si mecum in huius urbis viciniis nascentes, adultas, fatiscentes plantas observasset; vel invitus cogerebatur fateri, se in errore versatum fuisse, veritatem ab Linnæo stare.

Venio ad aliud D. de Lamarck erratum priore peius. *Linnæi Filagines, inquit, parum, rectius dicam, nihil differunt a Gnaphaliis, quia earum semina papo coronantur perspicuo, nec nuda sunt ut Linnæo placuit (f).* Ut ergo inter *Filagines* planta quælibet numeretur,

(a) Linné, après avoir établi lui même la différence du réceptacle, qui est nud dans les *Gnaphalium*, et chargé de paillettes dans le *Xeranthemum*, divise ensuite ses *Xeranthemum* en ceux qui ont le réceptacle chargé de paillettes, et en ceux qui ont le réceptacle nud. Quel abus! Nous le disons à regret, jamais Tournefort, ni même les plus anciens Botanistes n'ont travaillé d'une manière aussi défectueuse; ils n'ont pas fait connoître les caractères des plantes avec la précision qu'on y met actuellement, et dont Linné a donné l'exemple; mais aussi jamais ils n'ont de propos délibéré, établi de contradiction aussi choquante; les fautes qu'ils ont commises leur ont échappé; celles que nous reprochons à Linné lui étoient connues;

voilà ce qui nous paroît condamnable. *Ib.* p. 762. 763.

(b) *Diction. Encyclop. tom. 1. pag. 3.* ubi legitur: Le caractère distinctif de ce genre se tire de la consideration du calice simple, du style multifide et de plusieurs capsules monospermes, disposées orbiculairement.

(c) Videatur mea dissertatio de Sida.

(d) *Flore Franc. tom. 2. pag. 58. n. 53. §. II.*

(e) *Diction. Encyclop. tom. 2. pag. 760. n. 86.*

(f) Les *Filago* de Linné diffèrent très peu (*des Gnaphales*), ou même n'en diffèrent point: car leurs semences ne sont point nues, comme le dit Linné; mais elles sont couronnées d'une aigrette très remarquable. *Ibid.* pag. 739.



gaudere debet semine paposo, non nudo. Nihilominus ipse D. de Lamarck *Filaginem* eandem, diversis nominibus bis descriptam numeris 86, 88, inter Gnaphalia numerat, reluctantem semine non paposo, sed nudo (a). Num is in laqueum, quo Linnæum capere optabat, inciderit, lectoris iudicio permitto, id unum addidisse contentus, D. de Lamarck numquam in huius plantæ regionem penetrasse, numquam vivam conspexisse, sed unum aut alterum fragmentum exiccatum examinasse (b): nihilominus confidenter asseruisse, ipsam semper caulibus instrui. Cecutire ergo oportet nos omnes, qui passim hanc stirpem acaulem observamus.

### ORNITHOPUS SCORPIOIDES. *Linn. Tab. 37.*

39. ORNITHOPUS foliis ternatis, subsessilibus, impari maximo. *Linn. spec. plant. tom. 5. pag. 495. n. 5.*

Ornithopus trifoliatum. *Lamarck Flor. Franc. tom. 2. pag. 659. n. 634. §. IV.*

Ornithopodium portulacæ folio. *Tournef. 400.*

Scorpioides portulacæ folio. *Bauh pin. 287.*

Radix teres, tuberculis sessilibus intercepta, fibrosa.

Caules ramosi, semipedales, herbacei, glabri, ut et tota planta, erecti aut diffusi.

Folia ternata, subsessilia, lateralia orbiculata, medium multoties longius, ovatum, omnia integerrima læteque virentia. Stipula oppositifolia, membranaceo-pellucida, caulem vaginans, apice bifida.

Flores umbellati: pedunculus communis axillaris, solitarius, folio longior; in cuius apice flores sunt 2-4 brevissime pedunculati.

Calix tubulosus, ore quinque-dentato, denticulis tribus inferioribus paulo brevioribus.

Corolla saturate lutea, papilionacea: vexillum ovatum, integrum, erecto-reflexum, striis saturationibus, ungue brevi: alæ vexillo breviores, conniventes, concavæ: carina brevissima, inferne bifida.

Stamina diadelphæ: antheræ ovatæ.

Germen lineare: stylus setaceus, ascendens, cuius stigma est punctum fuscum terminale.

Fructus: legumen subulatum, teres, pendulum, non nihil arcuatum, articulatum.

Semina ovata, in isthmis solitaria.

Habitat passim in Matriti viciniis ad agrorum margines. ☉. Florentque cum ipso mense Maio

*Echium plantagineum, Trigonellæ monspeliaca, polycerata, foenum græcum, Antirrhinum hirtum, cuius iconem dedit Jacq. misc. v. 2. pag. 334.*

*Explic. tab. a Flos integer. b Idem auctus. c Corolla expansa. d Genitalia. D Eadem aucta. e Germen auctum.*

### TRIGONELLA PINNATIFIDA. *Tab. 38.*

40. TRIGONELLA caule prostrato, tetragono: leguminibus linearibus, compressis, erectis, sessilibus.

Radix longa, fibrosa, ex qua caules prodeunt numerosi, ramosi, humifusi, rubentes, palmares.

Folia distantia, petiolo communi canaliculato breviora, ternata: inferiora sessilia, tertio petiolato, pinnatifido-serrata, retusa: stipulæ basi laciniatæ, apice acutæ.

Flores axillares, sessiles, 3-5.

Calix oblongus, semiquinquepartitus, laciniis subulatis.

(a) Negabit fortasse et hoc etiam D. de Lamarck; verumtamen D. Iosephus Pavon et ego semina accurate examinavimus, in quibus ne vel papi rudimentum exsistebat. Si vero de hac observatione aut de identitate plantarum dubitare ulterius velit, suo sen-

su abundet: ego interea repetitis observationibus suffultus, quæ scripsi defendam.

(b) Consulatur tomus 2. Diction. Encyclop. pag. 761. numeris 86. 88. in quibus auctor fatetur plantam siccam examinasse.



Corolla dilute lutea: vexillum alis longius plicatum: alæ falcatae, concavae; carina brevissima basi bifida.

Stamina diadelpa; quorum novem in vaginam connexa, apice libera: decimum ex tuberculo oritur in germinis basi superne collocato. Antheræ luteæ, ovatae.

Germen non nihil compressum, terminatum stylo adsurgente: stigma obtusum.

Legumen pollicare, arcuato-erectum, planiusculum, stylo terminatum, uniloculare, polyspermum.

Habitat floretque cum præcedente. ☉. Prope ipsam vegetant Miagram paniculatum et hispanicum: Silene lusitanica, nocturna, quinquevulnera, conoidea et conica: Cynosurus aureus &c. Magna harum copia in tractu *tras las tapias del Retiro* vulgo dicto.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Idem auctus. *c* Huius calix expansus. *d* Corolla. *e* Vexillum plicatum. *f* Genitalia aucta. *g* Germen.

*Obs.* Hæc planta similis est Medicagini polymormæ laciniatæ Linnæi, atque inde Trigonellæ laciniatæ eiusdem, a qua leguminibus toto celo distat.

### ROTTBOLLIA MONANDRA. *Tab. 39. fig. 1.*

41. ROTTBOLLIA culmo erecto: floribus distichis, spicatis.

Gramen exile, arundinaceum, minimum, acumine reflexo. *Scheuchzer. 41. tab. 1. fig. 7. K.*

Radices capillares, numerosæ, ex quibus culmi prodeunt plures semipedales, nodis tribus rubentibus inferne notatis.

Folia radicalia brevissima, angustissima: caulina per sesquipollicem culmum vaginantia, postea erecta, setacea.

Flores distichi, solitarii, aut bini: horum alter sessilis, alter pedunculatus; omnesque locantur in excavationibus alternis rachidis.

Calix: gluma solitaria, brevissima, rubens, ovato-acuta, 1-2 flora.

Corolla bivalvis: valvulis glabris, subæqualibus, oblongis, carinatis, acutis: harum exterior interiorem amplectitur, et terminatur arista ipsi æquali.

Stamen unicum: filamentum inter germen et valvulam aristatam, basi villosum: anthera oblonga, quadrisulcata, purpuraceo-nigricans, post foecundationem profunde bifida.

Germen turbinatum: styli duo: stigmata revoluta, plumosa.

Semina solitaria, intra valvulas recondita.

Habitat passim in Matriti viciniis, præsertim *tras las tapias del Retiro*, et *arroyo de Cantaranas*. ☉. Floret Maio. Prope ipsam reperiuntur *Hypocoum pendulum* et *procumbens*; *Bufonia tenuifolia*; *Poa rigida*; *Festuca ciliata* (*Bromus distachyos* Lin.); *Aira præcox* &c.

*Explic.* tab. Figura 1. sistit plantam magnitudine naturali. *A* Huius summitas aucta. *a* Rachidis pars excavata, cum gluma calicina. *b* Flos integer. *c* Idem apertus. *d* Germen cum stylis. *e* Filamentum basi villosum. *f* Antheræ sectio. *g* Semen; omnia aucta.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* In caulium apice semper vidi florem solitarium, qui ultra calicinam glumam, aliam gerit huic fere oppositam, multoque brevior, quam pro rachidis continuatione sumendam esse arbitror.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Cinnæ genus delendum esse demonstravit Andreas Dahl in observationibus botanicis Hauniæ 1787. Gramen illud coluit laudatus auctor et in quibusdam floribus stamina tria numerabat; quare inter Agrostides recensendum esse dixit. *Nullam aliam ob causam* (adiungens pagina 8) *Gramen hoc distinctum constituit genus, quam quod stamen modo unum habeat. Si vero solus staminum numerus genera distingueret, multa hac ratione essent laceranda.* Eisdem ergo rationibus adductus, novam hanc plantam Rottbollia adiungo, quamquam monandram semper observaverim.

### ANTHYLLIS CORNICINA. *Linn. Tab. 39. fig. 2.*

42. ANTHYLLIS herbacea, foliis pinnatis inæqualibus: capitulis solitariis. *Linn. spec. plant.*



*tom. 3. pag. 434. n. 4. Lamarck Diction. tom. 1. pag. 203. Mill. Diction. n. 5.*

Radix teres, sensim tenuior, parum fibrosa, ex qua caules exsurgunt, basi sæpe oppositi, quandoque plures, herbacei, teretes, valde pilosi ut et tota planta, raro erecti, fere semper prostrati.

Folia alterna, pinnata, pinnulis 5-7, inæqualibus, ovatis, sessilibus, superiore longiore: stipulæ pinnularum instar, verumtamen breviores.

Flores capitati, subdecem, capitulo basi folioso.

Calix ovato-ventricosus, apice quinquedentatus, denticulis subulatis.

Corolla dilute lutea, calice paulo longior: vexillum plicatum, integrum, inferne utrimque falcatum, ungue acutissima: alæ vexillo breviores, conniventes, carina inferne bisetosa.

Stamina: filamenta decem diadelpa: quorum novem in vaginam coalita, decimum liberum: antheræ ovatæ, breves.

Germen oblongo-arcuatum: stylus adsurgens.

Fructus: legumen breve, in semicirculum arcuatum, limbo externo membranaceo, bivalve, polyspermum.

Semina ovata, sæpe quatuor.

Habitat *en la Casa del Campo, arroyo de Canta-ranas* prope Matritum: copiose vero in Mentridæ viciniis. ☉. Floret Maio et Iunio.

*h* Flos integer magnitudine naturali. *i* Idem auctus et expansus. *k* Vexillum. *l* Legumen. *m* Idem valvula antica mulctatum.

### ANTHYLLIS LOTOIDES. *Linn. Tab. 40.*

43. ANTHYLLIS herbacea, foliis tripartitis, calicibus prismaticis, fasciculatis. *Lin. ubi supra n. 5. Lamarck ibid. n. 4.*

Lotus pentaphyllos, siliquis curvis, pedes corvinos referentibus. *Bauh. pin. 332.*

Planta pilosa, procumbens, cuius radix albicans, fibrosa: caules herbacei, teretes, semipedales, dum florent suberecti.

Folia alterna, distantia, ternata, foliolis ovatis, villosis, saturate viridibus, mollibus: stipulæ duæ foliolis similes.

Flores capitati, sæpe novem, pedunculis communibus axillaribus, solitariis, folio longioribus: ad capituli basim folium unicum ternatum absque stipulis.

Callix villosus, tubuloso-prismaticus, dilute luteus, terminatus setulis quinque rubescentibus: harum quatuor vexillo incumbunt, quinta infra carinam locata.

Corolla papilionacea, saturate sulphurea: vexillum ovatum, canaliculatum, limbo utrimque reflexo, alas et carinam ipso breviores tegens: illius unguis longitudine calicis sensim gracilior: alæ atque carina concava a basi usque ad calicis apicem coalitæ in unum corpus, adeo ut corolla sit bipetala, cuius basim cingit membranula brevis.

Staminum vagina superne fissa, germen tegit, estque albicans, apice decempartita, laciniis antheriferis: antheræ ovatæ.

Germen oblongum: stylus filiformis, adsurgens: stigma incrassatum.

Legumen arcuatum, subteres, calice paulo longius, fuscum, polyspermum. Semina ovata, fere decem.

Habitat raro in Matriti viciniis *Canta-ranas, Casa del Campo*; at vulgatissima est in *Mentrida*; ubi frequens etiam mensibus Maio et Iunio *Celsia cretica, Briza maior et minor, Aira involucrata* Cistique species variæ.

*Explic. tab. a* Flos magnitudine naturali. *b* Corolla et genitalia aucta. *c* Corollæ rudimenta membranulæ affixa. *d* Vexillum. *e* Alæ cum carina. *f* Legumen.

*Obs.* Suspicitur D. de Lamarck loco citato hanc plantam inter *Lotos* connumerari posse: num id recte, dicant Botanici.



## MENTRIDÆ DESCRIPTIO NATURALIS.

Matri versus occasum tendentibus a quinto ad decimum usque lapidem colles occurrunt ab invicem separati cavis ex alluvione defosis: in illorum quasi meditullio iacet Mentrida, oppidum partim in declivi collis, partim ad radices ita situm, ut a septentrionalibus ventis ipsa collis altitudine defendatur, austro pervium. Oppidi ima, utpote rivulo *de la Solana* aliisque coenosis proxima, febribus intermittentibus obnoxia sunt, autumno præsertim: in causa est atmosphæra calidis vaporibus infecta, qui solarium radiorum vi sensim augentur, aërisque stagnantis masam corrumpunt: adeo ut si æstate a collis culmine vespertino tempore ad ima descendas, sæpenumero lassitudinem quamdam experiaris, capitis dolore comitatam, aliisque incommodis, quemadmodum mihi accidit, de quo postea. Fontium aquæ et copiosæ sunt et saluberrimæ; ea vero quæ e fonte *de la Rosa* promanat, diuretica et obstructionibus inimica. Rivus unicus *Alberche* existit ab oppido sesquileucam distans, a septentrione ad meridiem lente fluens per inferiora collium, montem vulgo *Alhamin* constituentium, cuius latitudo centum pedibus quandoque maior, profunditas trium dumtaxat est.

Omnium fere collium terra arenosa est, ea potissimum quæ culmina occupat, ubi plerumque sterilis; quæ in declivi existit feracior; optima vero quæ in fundo et prope fauces excavatas pluviarum decursu: eo enim subtiliores terræ partes sensim ab aquis adsportantur, quæ vegetabilium quotannis pereuntium spoliis foecundatæ, atque humiditatem diutius retinentes, solum efficiunt vegetabili regno idoneum. In illis eorumque decliviis coluntur oleæ tres et triginta pedes inter se dissitæ, ut proceriores evadant, fructusque præbeant uberiores. Vineæ ornant alia loca in quadrum plantatæ, ab invicem undecim pedibus seiunctæ ut commode arentur. Ficus carica alibi colitur, quæ in arborem crescit 25 pedes et amplius altam, cuius ima caudicis ad trium pedum altitudinem obducit terræ acervus. Reliqua agris exceptis, qui irrigantur aquis arte dispositis, quique herbas fructusque præbent culinæ ac tabulæ destinatos, ita distributa sunt ut minus fertilia tritico, hordeoque inserviant, pinguiora vero Ciceri arietino, cuius fructus magno pretio emitur in nostra Hispania, quum ceteros bonitate superat, quod Mentridæ ciceribus evenit. Mons integer Alhamin, Quercui illici destinatus, incredibile est quantum utilitatis afferat Exc. Duci del Infantado. Glandes dulcissimi porcis incassandis inserviunt; rami inutiles atque arbores vetustate fatiscantes et carbonibus conficiendis, et alendis caminis magni fiunt in hac urbe, in qua et ligna et carbones ceteroqui valde necessarii, rari sunt.

Nihilominus quamquam Mentridani industria polleant, per plures tractus relinquunt incultos, in quibus natura stirpes alit, quas alibi agricultores destruunt. Viget hic Anthyllis lotoides et cornicina pluribus Centauræ, Silenis, Bromique speciebus comitata: conspiciuntur alibi colles integri Aira involucreta et canescenti tecti, quæ terræ sterilitatem certissime indicant: paulo infra erigitur Cachrys tuero et Thapsia villosa; atque versus excavationes descendendo, quum terra novam formam induit, læte vegetant Briza maior et virens, Velezia rigida, Lapsana stellata, Hyoseris cretica, Anagallis tenella, gramineæ plures cum innumeris aliis plantis iam cognitis. Haud facile in profunda rivulorum penetrari potest, quamquam hi plerumque orbatî sint aqua æstivo tempore; ripas enim utrasque occupant Rubus fruticosus, Smilax aspera, Tamus communis, Rubia peregrina, et Cratægus oxyacantha, quos inter crescunt Osyris alba, Iasminum fruticans, Rosa canina et eglanteria atque Daphne thymelæa, ut alia benemulta præteream.

In cultis etiam et ad agrorum versuras plures observantur stirpes pulcherrimæ. Celsius creticam vidi in *Valdehiguera*, ubi læte viget Crepis barbata, Ornithopus compressus, Antirrhinum belidifolium, multicaule, et orontium. Rottbolliam monandram et Cynosurum aureum reperi in *Valdegotera*, cum Scorzonera laciniata et angustifolia, et Datura stramonium. At nihil ad oblectandum Botanicorum animos aptius præ collibus Alhamin, quorum ima ut dixi Alberche aquis irrigantur: in his enim et in locis humidis plantæ crescunt aquaticæ Alisma plantagineum, Nymphæa, Sparganium, Typha, Salix, Cyperi, Iuncique species plu-



rimæ: in declivium siccis umbellatæ et gramineæ, quas inter eminent Stipa tenacissima et Avena bromoides; haud longe ab istis spectantium oculos attrahit humilis et pulcherrima Cotyledon hispanica, Gentiana centaurium, et Hispidella Barnades; dum alibi pedibus calcantur Arenaria rubra, Scabiosa stellata et Dianthus prolifer. Observatur passim Spartium monospermum, Pistacia terebinthus, Lavandula stoechas, Cistus umbellatus, ladaniferus &c.: adeo ut decem prioribus Iunii diebus plusquam quatercentas plantas viderim, quarum plures per integram Europam crescunt, aliæ in Hispania dumtaxat, quædam tandem quod sciam non nisi in Mentridæ viciniis.

Placuit hoc loco nonnulla adiungere, quæ tametsi ab instituto nostro aliena, aliquid fortasse utilitatis afferent. Probe noveram priusquam in Mentridam me conferrem, oppidi ima, quod supra innui, insalubria esse autumno præsertim. Id ipsum me deinde docuit experientia. Calores superioris anni 1790, quamquam maximi et diuturniores fuerint a medio Iulio usque ad finem Augusti, Iunio tamen, quarto et quinto diebus exceptis, perpeti facile potuerunt. Ergo quarto Iunii die e domo, quæ in oppidi fastigio collocata est, quum in eius inferiora descenderim vespertino tempore causa examinandi plantas, quæ in ambulacro arboribus consito crescunt, vix horæ quadrante elapso ex quo ibi aderam, statim nimio ardore interno, capitis dolore atque respirandi difficultate affectus, superiora iterum remeare coactus sum, neglectis plantis, quarum copia et varietas animum alliciebant. Hauseram proculdubio miasmata, quibus aër erat impregnatus. Ut autem ab illis liberarer pulveris Peruviani selectissimi semiunciam sumsi, quo unico remedio ea vitavi incommoda.

Insalubritatis causam perscrutatus vidi, præcipuum rivulum, in quem ceteri et scaturigines sese exonerant, ita fluere ut magna aquarum pars, hinc inde diffusa, stagnans permaneret, quæ tractu temporis, solis ardore, tum insectorum atque plantarum morte corrumpitur, atque atmosphæram replet vaporibus hominum vitæ noxiis. Tractus ille collibus circumvallatus motui aëris impedimento est, quo fit ut vapores sensim aucti neque alio adsportati et numero et conditione atmosphæram inficiant: unde febres intermittentes, putridæ etiam interdum et malignæ proveniunt, quæ haud facile curantur, autumnales potissimum. Certo certius est insalubritatis causam in hoc loco numquam extirpandam fore, at plurimum obtundi et minui posse nullus dubito. Quod enim ibi *Reguera* dicitur, canalis scilicet quo aquæ fluunt ad optimas terras irrigandas, ita incuriose constructus est, ut magna ipsarum pars difluat per arenosos margines, interdum etiam per fundum. Quod minime eveniret, si ex materia componeretur, quæ aquas contineret. Duplici id via fieri potest aut ex lateribus coctis calce coagmentatis, quod præferendum certe est, aut ex argilla cuius in *Iunquera* prope canalis initium magna copia. Hoc si semel Mentridani perficerent et sanitati, et rei familiari consulere: sanitati quidem, quia stagnantes aquas, febrium causam, minuerent si non penitus eliminarent; rei vero familiari, quia ampliolem terræ tractum irrigare possent. Sed proh dolor! Homines isti indocti, et quod peius est parentum moribus assueti, qui superioribus sæculis ita vixerunt, nihil curant de commodis, nihil de valetudine conservanda. Quot in nostra Hispania recurrunt epidemiæ, quia earum causæ et notæ et remedio faciles contemnuntur ab iis etiam quorum in primis interest! Farinam nundinatores mille modis adulterant, unde morbi: Pharmaceutici in pagis præsertim et oppidulis scientia et facultatibus pauperrimi neque remedia possident, neque plantas cognoscunt, ex quibus ista conficiuntur. Utinam illi et medici naturæ simplicitatem æmulantes paucis contenti essent, iisque præsertim, quæ parvo pretio coëmuntur, quæ inventu faciles, quorum virtutes denique sunt cognitæ; eliminatis in perpetuum et in humani generis commodum innumeris pharmacis, quæ bona putantur quia peregrina, quia e remotissimis regionibus adsportata sunt; quæ sæpissime aut corrupta perveniunt, aut fraudibus conspurcata. Hic si umquam alias quadrat observatio Plinii hist. nat. lib. 24. cap. 1. *Ex Arabia scilicet et India magna pompa multa medicaminum genera adsportari, quum remedia vera quotidie pauperrimus quisque cœnet.*

Colles plurimos perlustrans, quosdam vidi arboribus orbatos, nonnullos etiam in quibus Quercus crescebant paucissimæ numero et ab invicem magno intervallo seiunctæ: quæ nihilo minus indicabant, solum ibi, si hominum industria accederet, non minus quam montem Alha-



min ipsi contiguum idoneum esse Quercubus. Glandibus itaque seminari oportet colles omnes, qui hodie vacui sunt, nihilque inserviunt. Misceri quoque cum glandibus possent Aceris cretici semina, quod in Prædio rustico, vulgo *Casa del Campo*, Quercubus altior observatur in solo crescens Mentridano simili. Ligna igni et carbonibus conficiendis destinata et magno pretio emuntur, ut supra dixi, et rara sunt in Matriti viciniis. Utinam ergo Mentridani sibi consulant agriculturam promoventes, *qua nihil melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius*. Cic. de Orat.

### RUMEX BUCEPHALOPHORUS. Linn. Tab. 41. fig. 1.

44. RUMEX floribus hermaphroditis: valvulis dentatis, nudis: pedicellis planis, reflexis, incrassatis. *Linn. spec. plant. vol. 2. pag. 119. Mill. Dict. n. 14.*  
 Rumex fructibus dentatis, calice reflexis, caput bovinum referentibus. *Hort. Cliff. 139.*  
 Acetosa ocyimifolio, bucephalophoros. *Col. ephr. 1. pag. 151. tab. 150.*  
 Ex eadem radice conica, flavescente, fibrosa, caules adsurgunt pedales, virgati, ramosi, glabri. Folia alterna, lanceolata, in petiolum attenuata, integerrima, cuius basim ambit stipula diaphana, amplexicaulis, bipartita.  
 Flores spicati, terni, pedicellis sensim auctis, incrassatis, cernuis.  
 Calix triphyllus, foliolis ovatis, reflexis.  
 Corollæ petala tria, dentata, calice subæqualia, conniventia, rubentia.  
 Staminum filamenta sex, brevissima; antheræ erectæ, luteæ.  
 Germen turbinato-triquetrum: styli tres, minimi, patuli, bifidi.  
 Fructus solitarius, triquetrus, intra corollæ petala conniventia.  
 Habitat passim in aridis Mentridæ, atque in *altos de San Bernardino* prope Matritum. ☉.  
 Floret mense Iunio.  
*Explic. tab. a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Calix et corolla expansa. *d* Germen. *e* Semen. *f* Flos fructifer auctus.

### ORNITHOPUS DURUS. Tab. 41. fig. 2.

45. ORNITHOPUS caule suffruticoso: foliis pinnatis, glaucis, subcarnosis, pedunculo brevioribus.  
 Radix albicans, teres, sensim acutior, fibrosa, sesquipollicaris, ex qua caules prodeunt, ramosi, suffruticosi, erecti, glaberrimi, tres aut quatuor pollices alti.  
 Folia impari-pinnata, pinnulis novem ovatis, glaucis, subcarnosis, quarum duæ inferiores orbiculatæ. Stipulæ duæ, scariosæ, breves, deciduæ, basi connatæ, caulemque semiamplexantes.  
 Flores subumbellati: pedunculus communis pollicaris, axillaris, solitarius, erectus, folio longior, apice sustinens 1, 2, 3 flores minulos.  
 Calix glaber, quinque-dentatus; dentibus duobus superioribus minimis.  
 Corolla saturate lutea: vexillum ovatum, plicatum, lineis extus concoloribus notatum: alæ ovatæ, concavæ, vexillo adproximatæ, ipsoque breviores, quarum et vexilli unguis brevissimi: carina brevior basi bifida.  
 Stamina diadelphæ decem, quorum novem in tubum germen amplectentem coalita, decimum liberum: antheræ ovatæ.  
 Germen oblongum: stylus recurvato-erectus: stigma acutum.  
 Fructus: legumen in spiram revolutum, teres, isthmis interceptum, articulis monospermis.  
 Semina oblonga, cylindracea, rufescentia.  
 Habitat in Mentridæ collibus in quibus floridum et fructiferum reperi mense Iunio, una cum *Convolvulo cantabrica* et *Centaurea alba*.



g Calix. h Flos integer. i Petala separata. k Genitalia. s s s Semina; omnia aucta.

Obs. Affinis videtur hæc planta *Coronillæ minimæ* Linnæi, quam Iacquinus repræsentavit tabula 271. Austriacæ Floræ: ab ipsa tamen abunde distinguitur fructibus in spiram arcuatis, teretibus, glabris. Hoc itaque caractere ad Ornithopum illam refero, cuius generis legumen est *subulatum, teres, arcuatum*, *Coronillæ vero rectum, et inter singula semina isthmis contractum*. Linn. genera plantarum numeris 956. 957.

### VELLA PSEUDO-CYTISUS. *Lin. Tab. 42.*

46. VELLA foliis integris, obovatis, ciliatis: siliculis erectis. *Linn. spec. plant. vol. 3. pag. 210. Mill. Dict. n. 2.*

Pseudo-cytisus flore leucii luteo. *Bauh. pin. 390.*

Cytisi facie Alysson fruticans quorundam. *Lob. ic. 2. pag. 49.*

Caules fruticosi, bipedales, scabriusculi, valde ramosi.

Folia alterna, ovata, basi angustata, scabra, ciliata, nonnihil crassa, ad quorum axillas bina breviora sæpe prodeunt; quare folia adparent ternata ut in Cytiso sessilifolio.

Flores spicati, ramulos et caulem terminantes.

Calix cylindricus, foliolis arcte conniventibus.

Petala quatuor lutea, orbiculata, venis dilutioribus variegata; ungues filiformes intus subcanaliculati, calice paulo longiores.

Staminum filamenta sex, tetradynama: paria opposita, inferne connata, duo reliqua paulo breviora, libera, omniaque fertilia: antheræ luteæ, oblongæ. Inter germen et filamenta breviora glandula durior.

Germen ovatum: stylus latior, compressus: stigma simplex.

Fructus erectus, obovatus, altera parte basi gibbus: estque silicula bilocularis, bivalvis, valvulis duris, longitudinaliter striatis, dissepimento valvulis parallelo, ipsisque duplo longiore extra siliculam erecto, ovato, compresso.

Semina ovata, solitaria in unoquoque loculamento, quorum alterum sæpe abortum patitur.

Habitat prope oppidum Aranjuez.  $\mathcal{Z}$ . Maio floret et fructificat.

*Explic.* tab. a Flos integer. b Petalum. c Filamenta lateralia, et par alterum in quo duo connata. d Germen. e Idem aliter spectatum. f Fructus. g Idem aliter visus. h Valvula brevior. i Semen.

Obs. In Linnæo legimus *filamentorum paria connata, castrata*: in his ego antheras vidi fertiles.

### HYOSERIS CRETICA. *Linn. Tab. 43.*

47. HYOSERIS fructibus ovatis, scabris, caule ramoso. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 659.*

*Kniph. Cent. 11. n. 59. Lamarck Dict. tom. 3. pag. 160.*

Lapsana fructibus ovatis, scabris, seminibus disci caliculato-paposis. *Hort. Ups. 246.*

Hedipnois cretica minor annua. *Tournef. Cor. 36.*

Radix teres, fibrosa, intus albicans, extus fusca.

Caules plures semipedales, effusi, ramosi, subhispidi.

Folia oblonga, basi angustiora, dentato-runcinata, hispida: caulina alterna ad florum insertionem.

Flores solitarii, erecti, terminales et axillares, quorum pedunculi sensim versus apicem incrassati, fistulosi, nonnihil compressi.

Calix communis polyphyllus ex 20 fere foliolis lanceolatis, æqualibus, erectis, basi caliculatus squamulis brevibus: fructifer hispidus, tuncque globosus et rubescens: proprius viridis, brevissimus, decempartitus, persistens.

Corollæ omnes monopetalæ, ligulatæ, quinquentatæ, breves, dilute luteæ; quarum tubi apex villosus.



Staminum filamenta quinque, capillaria, brevissima: anthera cylindracea, lutea.

Germen oblongum, fertile: stylus filiformis: stigmata duo, reflexa.

Fructus ovatus, scaber. Semina solitaria, oblonga, nonnihil arcuata, sulcata: horum extima foliolis calicinis obtecta in cymbæ formam plicatis: centralia ultra calicem proprium paposa, villis quinque sesquilinearibus.

Receptaculum nudum.

Habitat passim in Matriti suburbiis ad agrorum margines, floretque Maio et Iunio una cum *Hypecoo pendulo*, et procumbente. ☉

*Explic. tab. a* Flosculus magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Stamina. *d* Fructus. *e* Semen radii. *f* Idem absque foliolo calicis communis. *g* Idem auctum in quo caliculus proprius conspicitur. *h* Semen centrale. *i* Idem auctum.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Ioan. Ant. Scopoli parte prima Floræ Insubricæ tab. 16. plantam figuravit nomine *Hyoseris cretica*, quæ mea sententia est *Hyoseris hedychnois* Linnæi, quia in ipsa fructus glabri figurantur quales non *Hyoseris cretica*, sed huic conveniunt. Differt ulterius a mea seminibus omnibus paposis, et floribus triplo maioribus.

*2.<sup>a</sup>* *Hyoseris minima et foetida* Linnæi ad *Lapsanam* pertinent, quia in ipsis semina sunt nuda. Hoc iam observavit D. de Lamarck loco citato.

### AIRA INVOLUCRATA. *Tab. 44. fig. 1.*

48. *AIRA* panicula patente, basi setis involucrata: flosculis muticis.

Ex eadem radice fibrosa culmi adsurgunt fere pedales, teretes, graciles, erecti, nodis quatuor aut quinque articulati, rubro-fuscis.

Folia radicalia bipollicaria, basi latiuscula, postea convoluta, adeo ut subulata appareant: caulina tot quot nodi, culmos a nodo ad nodum vaginantia, striata, viridi-rubentia: vagina terminatur membrana alba, inter culmen et folium bifida.

Flores paniculati, panicula ramis rubris, alternatim ternis, qui sunt rursus duplicato trifidi: paniculam inferne ornant involucri duo, raro tria, semipollicem ab invicem distantia, ex setulis subviginti composita, in verticillum dispositis, capillaribus, rubris, erecto-patulis.

Calix bivalvis, biflorus, cuius valvulæ ovato-acutæ, carinatæ, albicantes, subæquales.

Corollæ valvulæ calicinis similimæ, muticæ.

Staminum filamenta tria, capillaria: antheræ violacæ, utrimque emarginatæ.

Germen ovato-turbinatum: styli duo setacei: stigmata pubescentia.

Semen subovatum.

Habitat in collibus sterilibus Mentridæ. ☉. Floret Iunio et Iulio.

Tabula sistit plantam magnitudine naturali, ad cuius latus est flos integer *a* auctus.

*Obs.* Vidi etiam hanc plantam in sterilibus oppidi Chamartin leucæ spatio a Matrito seijuncti: ubi involucri setas aliquas uno aut altero flore terminatas conspexi.

### FESTUCA CALICINA. *Linn. Tab. 44. fig. 2.*

49. *FESTUCA* panicula coarctata: spiculis linearibus: calice flosculis longiore: foliis basi barbatis. *Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 208. Lamarck Dict. tom. 2. pag. 463.*

*Festuca* panicula contracta: spiculis linearibus, muticis, longitudine calicis. *Loëfl. iter. 116.*

Radix fibrosa, brevis, ex qua culmi prodeunt quatuor aut sex pollices alti, graciles, basi subprostrati, a primo nodo erecti, articulis purpureis.

Folia brevissima, acuta, vaginæ apice barbata.

Flores paniculati, panicula contracta, vix pollicari.

Calicis valvulæ ovato-acutæ, carinatæ, rigidæ, striatæ, limbo scarioso, albo, spiculæ longitudine.



Corollæ valvulæ muticæ, quarum exterior ovata, striata, apice albido-scariosa, interiorem albidam includit.

Genitalia adeo minuta sunt, ut nudum oculum effugiant, quæ tamen generico Festucæ characteri congruunt.

Habitat in aridis prope Matritum. ☉. Floret Maio.

Tabula sistit plantam magnitudine naturali; *b* Spiculam integram; *c* Eandem absque calice; *d* Florem; omnia aucta.

### AVENA LOËFLINGIANA. *Linn. Tab. 45. fig. 1.*

50. AVENA panicula contracta: flosculis binis, altero pedunculato, apice biaristatis, dorso arista reflexa. *Loëfl. Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 222. Lamarck Dict. tom. 1. p. 332.*

Radix capillaris, ex qua culmi exsurgunt graciles, duos, quatuorve pollices alti.

Folia brevia, planiuscula: superioris vagina ventricosa.

Flores paniculati, panicula, semipollicari, coarctata.

Calix biflorus, flosculis subæqualis, quorum alter sessilis, alter pedicello villosus sustentatus.

Corollæ valvulæ apice setaceæ, in quarum dorso arista torta duplo longior conspicitur.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat cum præcedenti, ☉ et in promontorio Bonæ Spei dicente Linnæo.

Tabula sistit plantulam magnitudine naturali; *a* Flores intra calicem; *b* Eosdem calice orbatos; *c* Illos magnitudine naturali.

*Obs.* Apposite Linnæus aristam in Avena et Bromo selegit ad construenda genera, quam in illa dixit dorsalem esse et tortilem, erectam in hoc et infra apicem valvulæ bifidæ. Haud pari successu egit quum Poam a Briza separavit, quarum differentia sæpe in speciebus nulla, si a fructificatione desumatur. Hinc illi enati errores, hinc discipulis confusio, Eragrostide planta nunc ad Poam, nunc ad Brizam reducta. Spicularum item figura, quam ovato-oblongam in Poa, cordatam in Briza ille requisivit, admodum varia observatur: magis enim formâ distat Briza minima a Briza maxima, quam ista ab Eragrostide Poa: calicis item valvulæ haud semper æquales sunt aut corollinæ scariosæ. Quid ergo coniungenda sunt genera? Ita sentio.

### BROMUS RUBENS. *Linn. Tab. 45. fig. 2.*

51. BROMUS panicula fasciculata, ovata: spiculis subseptemfloris.

Bromus panicula fasciculata: spiculis subsessilibus, villosis: aristis erectis. *Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 215. n. 15. Lamarck Dict. tom. 1. pag. 468. n. 11.*

Gramen panicula molli, rubente. *Bauh. hist. 2. pag. 464?*

Bromus (scoparius) panicula fasciculata: spiculis subsessilibus, glabris: aristis patulis. *Linn. ibidem n. 14. Lamarck loco citato n. 12.*

Radix fibrosa, ex qua culmi adsurgunt plures ab octo ad 14 pollices alti, basi prostrati, postea erecti; nonnihil rubentes, at nodis saturatiores.

Folia vaginantia, sesquilineam lata, tres pollices longa, acuta, glabra.

Flores paniculati; panicula fasciculata, ovata, rubente.

Calix bivalvis, subseptemflorus, valvulis subulatis, inferiore minore.

Corolla bivalvis, valvula exterior oblonga, concava, bifida, glabra, cuius arista rubra, semipollicaris: interiore plana, ovato-acuta, limbo ciliato.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat passim in Matriti suburbiis ad agrorum margines, præcipue tamen *en los altos de San Bernardino*. ☉. Floret Maio.

*Explic. tab. d* Corollæ valvula interior. *e* Flos integer. *f* Semen.

*Obs.* Aristæ in eadem planta nunc erectæ, nunc patulæ observantur: corollæ glabræ,



præsertim gluma exterior: color varius, aliquando viridis, sæpe rubro-sanguineus, sæpius dilutior. Quare *Bromus ruber*, et scoparius Linnæi non duæ sunt plantæ, sed una eademque species, quod suspicatus fuit D. de Lamarck loco citato.

### CARDUUS FLAVESCENS. *Linn. Tab. 46.*

52. *CARDUUS* foliis lanceolatis, integris, inermibus, dentatis, glabris: floribus aphyllis, inermi-spinosis. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 686. Lamarck Dict. tom. 1. pag. 706.*

Caulis annuus, sesquipedalis, erectus, sulcatus, parce ramosus, glaber, medula farctus albicante, spongiosa.

Folia alternatim sparsa, lanceolata, basi attenuata, et aliquando non nihil decurrentia, inæqualiter dentata, dentibus in setulam evanescentem terminatis, glabra, subcanaliculata, rigidiuscula.

Flores terminales, solitarii.

Calix cylindraceus, oblongus, basi latior; cuius squamulæ sunt imbricatæ, lineares, interioribus longioribus; omnes tamen adpressæ, non patulæ ut dixit Linnæus, flavescentes, atque spinula inermi terminatæ.

Corollæ albido-flavescentes, infundibuliformes: tubus tenuis longitudine calicis; limbus erectus, quinquefidus, laciniis lineari-acutis.

Staminum filamenta quinque, capillaria, brevissima: anthera cylindracea, apice quinquecrenata.

Germen ovato-turbinatum: stylus filiformis, staminibus longior: stigma simplex, incrassatum. Receptaculum planum, pilosum; pilis numerosis candidis, calice brevioribus.

Semina turbinata, tetragona. Papus sessilis, plumosus, copiosissimus.

Habitat inter Coslada et oppidum S. Ferdinandi ad agrorum margines una cum *Malva scherrardiana* et *Heliotropio supino*. Floret ultimo Iunio.

*Explic. tab. a* Flosculus magnitudine naturali. *b* Anthera aucta. *c* Squamula calicis infima. *d* Media. *e* Interior. *f* Semen. *g* Papi plumula valde aucta.

*Obs.* Planta rarissima vel etiam in Hispania: nullibi quod sciam crescit nisi loco citato et in Regno Valentino.

### ORTEGIA HISPANICA. *Linn. Tab. 47.*

53. *ORTEGIA* caule tetragono, ramis oppositis: floribus axillaribus, solitariis.

*Iuncaria Salmanticensis. Clus. hist. 1. pag. 174.*

*Ortega floribus subverticillatis: caule simplici. Lin. spec. plant. tom. 1. pag. 95. Loëfl. iter.*

*Rubia linifolia aspera. Bauh. pin. 333.*

Radix teres, nodis exasperata, descendens, ima parte ramoso-fibrosa.

Caules plures, pedales, tetragoni, geniculati, geniculis incrassatis, rubris, distantibus, a basi ad apicem ramosi, ramis decussatim oppositis, erectis, iterumque ramosis.

Folia opposita, sublinearia, sessilia, erecta, læte virentia uti tota planta. Tuberculi utrimque bini inter foliorum oppositiones rubri, e quorum centro stipula exit setacea, albicans, decidua.

Flores herbacei, minuti, axillares, solitarii, tertiusque sæpe in dichotomia aut ramulorum bifurcatione, adeo adproximati ut glomerati adpareant: pedunculi brevissimi.

Calix ex quinque foliolis ovato-acutis, concavis, quarum duo exteriora, reliqua interna. Corolla nulla.

Staminum filamenta tria, brevia, basi germinis inserta, lutescentia, intra foliola interna recondita: antheræ basi cordatæ, apice acutæ.

Germen superum, utrimque acutum, ventricosum, apice acutius: stylus filiformis, erectus: stigma rubescens, capitatum.



Fructus: capsula ovata, superne trigona, unilocularis, apice trivalvis.  
Semina numerosa, minutissima, luteo-rubra, ovata.

Habitat copiosissime in Prædio rustico, vulgo *Casa del Campo*, *altos de San Bernardino*, et alibi per Hispaniam; præcipue tamen secundo a Salmantica miliari, ubi Clusius omnium primus eam observavit: iconem dedit etiam haud contemptibilem ceteroqui minutam et fructificatione integra destitutam. ☉

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Idem valde auctus. *c* Idem expansus. *d* Stamen. *e* Flos expansus postice spectatus.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Plantam Clusii et Loëflingii descripsi quæ in Matriti viciniis et per Hispaniam crescit: semper ipsam vidi caule ramosissimo et floribus solitariis: Linnæus illi concessit flores subverticillatos, quod experientiæ contrarium est. Quæ vero postea iste de *Ortegia dichotoma* scripsit, huic nostræ omnino conveniunt, stigmatum excepto numero et ramulorum positione.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Loëflingius observato in Hispania hoc novo genere a ceteris distinxit *Ortegiæ* nomine in honorem scilicet Iosephi Ortega, cuius nepos D. Casimirus Gomez de Ortega est hodie Botanica professor primarius in Regio horto Matritensi.

### SIDERITIS OVATA. *Tab. 48.*

54. SIDERITIS foliis ovatis, crenatis: bracteis serrato-spinosis, quadrifariam imbricatis.  
Radix fusca, teres, fibris stipata, perennis.

Caules vix pedales, tetragoni, subscabri, pilis aliquot.

Folia opposita, ovata, crenata, saturate viridia, inferiori pagina lucida, glaberrima; superiore pilosa, pilis prodeuntibus e tuberculis minimis: petioli canaliculati, cuius basis membranosa, qua caulem breviter amplexantur: illorum radicalia numerosa in cespitem congesta, breviora atque caulinis latiora.

Flores spicati, spica densa, tetragona, triunciali: bracteæ oppositæ, ovato-acutæ, carinatae, serratæ; serraturis in setulas rigidas recurvas terminatis; in illarum singulis tres flores sessiles.

Calix oblongo-turbinatus, quinquedentatus, denticulis setosis, quorum tres superiores adproximati: fructifer fauce villosa.

Corolla luteo-albicans, monopetala: tubus calicis longitudine, cylindræus, medio angustatus et non nihil incurvus: limbus bilabiatus; labium superius erectum, integrum; inferius trifidum, laciniis lateralibus angustioribus, media subrotunda, tricrenata, rugosa.

Genitalia ut in congeneribus. Videantur Linnæi genera.

Semina nigricantia, interne angulata, extus rotundata.

Habitat in Peruvia.  $\mathcal{N}$ . Vidi floridam in Regio horto Matritensi et in Pharmaceutico vulgo de la *Priora* mense Iulio.

*Explic. tab. a* Flos integer nonnihil auctus, cuius corolla in *b* apparet. *c* Corolla expansa.

*d* Germen cum stylo et stigmatibus. *e* Calix. *f* Semen auctum.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Affinis videtur hæc planta *Sideriti ciliatæ* Thunbergii *Floræ Japonicæ*.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Inter plantarum ramulos desiccatos in Hispania crescentium hanc offendi *Sideritis cantabricæ* nomine, quam schedula comitabatur hoc scripto: *la llamo Sideritis cantabrica, porque se halla en Vizcaya que es parte de la Cantabria*. Num ibi sponte crescat, an ex seminibus e Peruvia adsportatis, nescio.

### NEPETA BIPINNATA. *Tab. 49.*

55. NEPETA foliis bipinnatis, multifidis, linearibus: floribus spicatis. *Linn. suppl. pag. 273. titulo multifida. Lamarck Dict. tom. 1. pag. 713. Chataire multifide.*

Radix fusca, teres, descendens, fibrosa.



Caulis plures, erecti, vix pedales, tetragoni, decussatim ramosi, ramis oppositis, erectis. Folia opposita, bipinnata, pinnulis linearibus, obtusis: petioli breviores, subamplexicaules, canaliculati.

Flores spicati, spicis terminalibus, elongatis, conicis; in quibus flores innumeri, minuti, subsessiles, stipati bracteis setaceis, coelum versus arcuatis.

Calix oblongus, turbinatus, striatus, ore quinque-dentato; denticuli inferiores duo superioribus breviores.

Corolla alba, calice paulo longior: tubus turbinatus; limbus bilabiatus: labium superius brevissimum, vix emarginatum, supra villosum; inferius trifidum, laciniis lateralibus obtusis, nec emarginatis ut dixit Linnæi filius; media dependente, longiore, biloba.

Staminum filamenta brevia, didyma: antheræ ovatæ, didymæ, intra labium superius reconditæ.

Germen superum in fundo calicis: stylus filiformis: stigma bifidum.

Semina quatuor, oblonga, extus ovata, planiuscula, intus subcarinata, glabra.

Habitat in Sibiria. ☉. Vidi floridam Matrity in horto Pharmaceutico vulgo de la *Priora*.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem expansus. *c* Corolla. *d* Eadem expansa et antice spectata. *e* Germen. *f* Semen. *g* Idem auctum.

*Obs.* Nepetam bipinnatam nominavi hanc plantam, relicto nomine specifico Linnæi filii et D. de Lamarck *multifidam* scilicet, quia aliam vidimus hoc nomine in Linnæi operibus, ab hac nostra distinctam: quod nullus inficiabitur, qui tabulam 55 tertiæ partis Floræ Sibiricæ cum hac nostra comparare voluerit.

## STATICE DICHOTOMA. Tab. 50.

56. STATICE caule aphylo, dichotomo; foliis spatulatis, glabris: petalis basi coalitis.

Radix descendens, teres, lignosa.

Folia omnia radicalia imbricato-patula, spatulata, integerrima.

Caulis sesquipedalis, flexuosus, teres, aphyllus, ramis alternis, ad quorum basim squamula amplexicaulis, brevis, acuta: isti iterum ramosi, ramulis multoties dichotomis; inferiores steriles, superiores corymbosi, florentes.

Flores corymbosi, serie multiplici, oblonga, subimbricati, secundi, coelum spectantes.

Calix turbinatus, limbo scarioso, albo, quinquefido.

Corolla dilute coerulea, petalis quinque apice latioribus, patulis, emarginatis, inferne in infundibulum adproximatis, basique coalitis.

Staminum filamenta quinque, imis unguibus petalorum inserta, erecta, albicantia: antheræ ovatæ, albedo-luteæ.

Germen superum, ovatum: styli quinque, capillares, staminibus breviores.

Semen unicum, minimum.

Habitat copiosissime in viciniis Conventus Sanctæ Barbaræ prope oppidulum vulgo *Rivas*, secundo a Matrity lapide. ☿. Floret Iunio et Iulio, una cum *Gypsophila struthium*, et *Ruta patavina*.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Calix auctus et sectus. *c* Corolla item aucta. *d* Eadem aliter spectata. *e* Germen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Planta veluti media inter *Statice* reticulatam et *echioidem* Linnæi. Caulis enim in hac nostra erectus est, qui in *reticulata* prostratus: folia sunt spatulata, neque tuberculis exasperata ut in *Echioide* observantur: petala denique sunt basi coalita.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Plures huius generis species in Hispania crescunt, quarum illas saltem hic indigitare volui, quas aut vivas vidi, aut desiccatas possideo. Id unum moneo, Roberti scilicet tabulis illas me significare, quæ Ludovici XIV Galliarum Regis iussu et impensis evulgatæ fuerunt tribus voluminibus folio maximo, quo nihil nitidius, nihil perfectius tunc factum fuisse nullus inficiabitur.



1. *Statice cespitosa* scapis brevibus aggregatis, capitatis: foliis acerosis *Quer. Flora Hispanica tom. 6. pag. 334. tab. 15. fig. 1.*  
 Planta minuta, cuius radix crassa, lignosa, quatuor pollices longa, ramosa, fibrillis aliquot. Folia in cespitem globosum congesta, brevia, subulata. Scapi pollicares: flores capitati. Habitat *en el Paular* et prope oppidum Miraflores. Floret Maio. ♀. Vulgo nominatur Erizo.
  2. *Statice armeria* scapo simplici capitato: foliis linearibus. *Linn. n. 1. Moris. hist. 3. pag. 601. sect. 15. tab. 1. fig. 29.*  
 Variat altitudine semipedali et sesquipedali: foliis nunc subulatis, nunc latioribus. Crescit prope Hispalim, Abulam et Guadalupe. ♀
  3. *Statice pseudo-armeria* scapo simplici capitato: foliis longe lanceolatis. *Murray Syst. veget. n. 2. Jacq. hort. 1. tab. 42.*  
 Folia in exemplaribus hispanicis multo longiora, 5-7 nervia. Habitat copiose in maritimis Gaditanis alibique per Boeticam. Floret Iunio. ♀
  4. *Statice limonium* scapo paniculato, tereti: foliis lævibus, enerviis, subtus mucronatis. *Linn. spec. plant. tom. 1. n. 2. Limonium lusitanicum foliis lanceolatis. Robert. tab. 207. Flora Dan. tab. 315,* quæ plantam multo nostra minorem sistit. Habitat in maritimis Regni Valentini. Floret Iunio. ♀
  5. *Statice cordata* scapo paniculato; foliis spatulatis, retusis. *Linn. ubi supra n. 4. Barrel. ic. 805. Gmel. sibir. 2. tab. 89. fig. 2.* Habitat ad maris Cantabrici et Mediterranei litora. ♀
  6. *Statice echioides* foliis obverse-ovatis, verrucosis, caule ramoso, nudo. *Sauv. monsp. 15. Linn. n. 6. Limonium minus annuum, bullatis foliis, vel echioides. Robert. tab. 208.* Habitat copiose in Aranjuez ad lacum *Ontigola*, in Provincia *la Mancha*. Floret Maio et Iunio.
  7. *Statice monopetala* caule fruticoso, folioso: floribus solitariis: foliis lanceolatis, vaginantibus. *Linn. n. 14. Limonium frutescens portulacæ marinæ folio. Robert. tab. 204. Bocc. sic. tab. 16. 17.* Habitat in *Gadium* viciniis ad litora maris. Caules sunt lignosi, bicubitalis, qui alendis caminis destinantur. ♀. Floret Iunio et Augusto.
  8. *Statice ferulacea* caule fruticoso, ramoso: ramulis imbricatis, paleis apice pilo terminatis. *Linn. n. 16.* Habitat cum præcedenti. ♀. *Plukenetii fig. 4 tabulæ 28* haud recte representatur.
  9. *Statice sinuata* caule herbaceo: foliis radicalibus alternatim pinnato-sinuatis; caulinis ternis, triquetris, subulatis. *Linn. n. 18. Limonium Syriacum asplenii folio. Robert. tab. 210. Gadium et Malacæ incola. ♂*
  10. *Statice oleæfolia* foliis lanceolatis, subaristatis; margine albo: caulibus dichotomis, flexuosis, subnudis. *Scopoli fasc. 1. tab. 10.* Habitat cum præcedenti. ♀. Folia sunt potius spatulato-mucronata, quam lanceolata. An *Limonium auriculæ ursi folio Robert. tab. 206.* (figura minore) ad hanc speciem revocandum?
  11. *Statice dichotoma* supra descripta.
- Alias adhuc species possidet D. Barnades, in Hispaniæ Flora evulgandas.

### SONCHUS MARITIMUS. *Linn. Tab. 51.*

57. *SONCHUS* pedunculo nudo: foliis lanceolatis, amplexicaulibus, indivisis, retrorsum argute dentatis. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 620. n. 1.*  
*Sonchus angustifolius maritimus. Bauh. pin. 124. prodr. 61.*  
 Caulis herbaceus, teres, fere bipedalis.  
 Folia fere pedalia, angusta, lanceolata, glabra, glauca, amplexicaulia, nonnihil auriculata, apice acuta, argute dentata.  
 Flores terminales, duo aut tres, pedicellis brevibus.  
 Calix imbricatus, squamulis lanceolatis, exterioribus brevioribus.



Corolla composita, semiflosculosa, lutea, lingulis apice quinque-dentatis, tubo villosa.

Staminum filamenta quinque, brevissima: anthera cylindracea, lutea.

Germen oblongum: stylus exsertus: stigmata duo, reflexa.

Receptaculum nudum. Semina oblonga, coronata papo sessili, piloso.

Habitat in humidis iuxta Conventum Sanctæ Barbaræ prope oppidulum *Rivas*. Floret toto Julio, calidissimo tempore. Eodem loco et tempore reperitur *Nepeta tuberosa*, *Carduus pycnocephalus*, *Euphrasia lutea*, *Lotus tetragonolobus* et coniugatus, aliæque bene multæ stirpes.

*Explic.* tab. *a* Flosculus magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Semen.

*Obs.* Plukenetii figura 5. tabulæ 62. a nostra planta multum distat; aliam ergo repræsentare plantam voluisse Plukenetium arbitror, non istam ut Linnæo placuit.

### PHLEUM SCHOENOIDES. *Linn. Tab. 52.*

58. PHLEUM spicis ovatis, obvolutis: foliis brevissimis, mucronatis, amplexicaulibus. *Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 164. n. 5.*

Gramen maritimum, typhinum, brevi et crassiori spica ad singula genicula prodeunte. *Triumfet. apud Scheuch.*

Gramen album, capitulis aculeatis, italicum. *C. B. Pin. 7.*

Gramen spicatum, spicis in capitulum foliatum congestis. *Scheuch. gram. 85.*

Radices capillares, albicantes, longæ, fibrosæ.

Culmi plures simul, ramosi, humifusi, pedales, articulati, ad articulos incrassati, in quibus macula purpurea.

Folia alterna, vaginantia, vagina striata; ab hac patulo-erecta, uninervia, acuta: floralia brevissima, mucronata, striata; tria plerumque simul, imbricata; in quarum sinu locatur spica subrotunda, sessilis, cuius latitudo longitudinem superat.

Calix bivalvis; valvulis oblongis, acutis, compressis, albicantibus, carina viridi.

Corolla calice brevior, cuius exterior valvula interiorem minorem amplexatur.

Reliqua ut in congeneribus. Consulatur Linnæus.

Habitat in arenosis humidis, sæpius inundatis fluminis Manzanares. ☉. Floret Augusto.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Germen. *c* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Plantam vidi loco citato spicis cylindricis, semipollicaribus, quæ fortasse erit præcedentis varietas. Videatur fig. littera V notata in eadem tabula 52.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> In plantis quæ hic sponte crescunt haud vidi pilos albicantes ad internam foliorum basim, de quibus Scheucherus loco citato.

### CNICUS ACARNA. *Linn. Tab. 53.*

59. CNICUS foliis lanceolatis, acutissimis, ciliatis, dentatis: dentibus bi-tri-spinosis: spinis flavescentibus.

Cnicus foliis decurrentibus, lanceolatis, indivisis, calicibus pinnato-spinosis. *Linn. spec. plant. tom. 3. n. 5. Gouan. monsp. 423.*

Carthamus canescens foliis angusto-lanceolatis, dentatis, spinis flavescentibus, minutis, decurrentibus; calicibus conicis, lanuginosis: squamis pinnato-spinosis. *Lamarck Dict. Encyclop. tom. 1. pag. 639. Flor. Franc. 17-3.*

Acarna maior, et humilis, caule folioso. *Bauh. pin. 379.*

Chamoeleon salmanticensis. *Clus. hist. 2. pag. 155.*

Cnicus polycephalos canescens, aculeis flavescentibus munitus. *Tournef. 451.*

Caulis herbaceus, alatus ex decursu foliorum, canus, corymbosus, pedalis, quandoque multo minor.



Folia sessilia, sparsa, lanceolata, acutissima, incana, carinata, ciliata, dentibus aliquot, spinis geminis, ternisve flavis in unoquoque dente.  
 Flores subcorymbosi, terminales, et axillares.  
 Calix ovato-oblongus, lanatus, imbricatus squamulis linearibus, quæ terminantur spinis pinnatis, innocuis, flavescens: hic circumvallatur foliis, valde pungentibus, caulinis similibus, at brevioribus.  
 Corolla composita, tubulosa, uniformis; corollulæ purpurascens, infundibuliformes, limbo quinquefido, erecto.  
 Staminum filamenta quinque, brevissima: anthera cylindracea.  
 Germen oblongum: stylus simplex: stigma emarginatum.  
 Receptaculum planum, villosum.  
 Semina ovata, basi acuta, non nihil compressa, nitida, luteo-alba; coronata papo plumoso, semipollicari, in globum expanso.  
 Habitat in Cerro negro, passimque in Matriti viciniis. ♀. Floret Augusto.  
*Explic.* tab. *a* Calix floridus. *b* Squamula. *c* Huius spina pinnata, aucta. *d* Flosculus. *e* Semen. *f* Papi plumula aucta.

*Obs.* Cnicum et Staehelinam suppressit D. de Lamarck in Dictionario encyclopedico. Illius species partim Carduis, partim Carthamis consociavit. Staehelinæ species omnes ad Serratulam reduxit. Quod ut impune, immo laudabiliter facere videretur, generum characteres a Linnæo traditos, probatos etiam ab innumeris Botanicis, reiecit, aliis suffectis, quibus certos limites, nec facile transgrediendos, se posuisse credit. Præcipuum characterem desumpsit a calicum squamulis, quæ lanceolatæ sunt et in Serratula inermes, in Carduo terminatæ spina unica, et in Carthamo sæpe appendiculatæ, apice, limboque spinosæ. Probe scio genera esse ad libitum composita, inspectis prius, atque attente comparatis fructificationum partibus; adeoque si Linnæus libertate, quæ Philosophum decet, plantarum genera disposuit, eadem et ceteri Botanici utentes, emendare systemata, errores corrigere, atque characteres aut novos aut exactiores dare poterunt. Num id semper fecerit D. de Lamarck dicent alii. Ego interea illius sententiam probo quantum ad Serratulam et Carduum, quia primo obtutu facile distinguuntur genera inspectis squamularum apicibus: eademque de causa illam respuo quantum ad Cnicum et Carthamum, quæ Linnæus separavit, quia squamulæ in illo sunt ovatæ et ramoso-spinosæ; in Carthamo vero basi arctæ, auctæque apice appendiculo foliaceo, ovato, patente.

### ATRACTYLIS HUMILIS. *Linn. Tab. 54.*

60. ATRACTYLIS foliis dentato-sinuatis; flore radiato; obvallato involucri patente, caule herbaceo. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 696. Mill. Diction. n. 2.*  
 Atractylis radiata, squamis calicinis truncatis cum spinula setacea. *Loëfl. it. 161.*  
 Cnicus aculeatus, purpureus, humilior. *Tournef. inst. 451.*  
 Crocodiloides atractylidis folio, flore purpureo coronato. *Vaill. act. 1718. pag. 172.*  
 Radix lignosa, ramosa, descendens, ex qua caules prodeunt plures, annui, semipedales et amplius, glabri, albi, striati, uniflori.  
 Folia sparsa, sessilia, lineari-lanceolata, uninervia, dentato-spinosa, spinulis inæqualibus, acutissimis: illorum summa in verticillum involucriforme disposita, patentia, floremque obvallantia.  
 Flores solitarii, terminales.  
 Calix ovatus, imbricatus squamulis mucronatis, internis longioribus.  
 Corolla composita, radiata, magna, coerulesco-rubens: corollulæ hermaphroditæ numerosæ in disco, suntque tubuloso-ventricosæ, ore quinquefido, adpresso: radii fere 12, quorum corollulæ ligulatæ, planæ, profunde quinquepartitæ, laciniis angustis, inæqualibus.  
 Stamina in omnibus filamenta quinque, brevia: anthera purpurea, cylindracea.



Germen ovatum, obductum lana nitida : stylus simplex filiformis : stigma bilobum, lobis adproximatis.

Receptaculum planum, paleaceum, paleis longis; apice trifidis, laciniis inæqualibus, capillaribus.

Semina ovata, coronata papo plumoso, reflexo, basi fusco, postea albo.

Habitat in Cerro negro, copiosissime vero prope *Rivas*, et ad margines viæ quæ ab oppido Sancti Ferdinandi ad Sanctæ Barbaræ Conventum ducit. ♂. Floret Augusto et Septembri.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Squamula interior. *c* Exterior. *d* Flosculus radii. *e* Flosculus disci. *f* Germen lana denudatum. *g* Palea. *i* Stigma auctum. *h* Semen.

*Obs.* Diversam credo hanc plantam ab illa quam Barrelierius dedit tabula 592 nomine *Carlinae minime caulodes hispanicæ*. Conferantur tabulæ.

### ALISMA REPENS. *Lamarck. Tab. 55.*

61. ALISMA caulibus repentibus; foliis lanceolatis, petiolatis, acutis.

*Alisma* caulibus subrepentibus, adscendentibus, ad nodos inferiores radicosis et foliosis, foliis lanceolatis, petiolatis: verticillis simplicibus. *Lamarck Diction. tom. 2. pag. 515.*

Radix fibrosa, fibris albicantibus, numerosis.

Caules repentes, articulati, ad articulos foliosi, versus extremitates erecti.

Folia lanceolata, trinervia, acuta, petiolo versus basim incrassato breviora: radicalia numerosa; caulina breviora, 2-4 ad singulos nodos, in quibus observantur squamulæ fuscæ, amplexicaules, unde pedunculi prodeunt bini, aut terni, aliquando etiam solitarii, semipollicares, uniflori.

Calix triphyllus; foliolis ovato-acutis, concavis, persistentibus, dilute luteis.

Corollæ petala tria, calicis foliolis alterna, orbiculata, crenata, dilute purpurea; unguibus angustatis, striatis, albis.

Staminum filamenta sex, brevia, viridia, unicuique petalorum ungui hinc inde per paria distributa. Antheræ incumbentes, oblongæ, luteæ.

Germina in globum coadunata: styli breves, simplices: stigmata obtusa.

Fructus: capsulæ plures compressæ, monospermæ.

Habitat ad ripas arenosas fluminis Manzanares prope fontem vulgo *del Avanico*. Floret Augusto.

*Explic.* tabulæ, quæ plantam sistit magnitudine naturali. *a* Calix. *b* Petalum. *c* Stamen. *d* Fructus auctus.

*Obs.* Hæc planta videtur eadem quamquam pygmæa, cum illa quam D. Poiret reperit ad Africæ septentrionalia litora, descriptam postea a D. de Lamarck loco citato.

### PANCRATIUM MARITIMUM. *Linn. Tab. 56.*

62. PANCRATIUM spatha multiflora: petalis planis: foliis lingulatis. *Linn. spec. plant. tom. 2. pag. 22. Mill. Dict. n. 1. tab. 197.*

Hemerocalis valentina. *Clus. hist. 1. pag. 167.*

Radices plures, filiformes, quaquaversum sparsæ, albicantes, quæ nascuntur ex basi bulbi.

Hic est subglobosus, eiusque diameter tripollicaris, pellicula tectus fusca: interne componitur ex tunicis crassis, albis, lento humore plenis.

Scapus sesquipedalis, cylindrico-compressus, glaberrimus, viridis, umbella florum terminatus.

Folia canaliculato-lineararia, dorso obtuso, basi amplexicaulia, numero 4-7.

Calix spatha profunde bifida, laciniis concavo-lanceolatis, subæqualibus, marcescentibus: ex harum centro radii prodeunt 7-12, bracteolis brevissimis, acutis distincti.

Corolla supera, infundibuliformis: tubus viridis, teres, 3-4-pollicaris: limbus sexfidus, laci-



niis candidis, lanceolatis, patulis, dorsali nervo viridi notatis. In tubi apice et ad laciniarum ortum corpus existit subcylindricum, candidum, pollicare, ore patulo, duodecimfido, quod sex stamina sustentat.

Hæc sunt subulata, lutescentia, inter lacinias dicti corporis implantata, quæ interne ad basim usque excurrunt. Antheræ luteæ, oblongæ, didymæ.

Germen inferum, ovato-trigonum: stylus simplex, filiformis, corollæ tubo vaginatus, staminibus paulo longior, albus, vix declinatus: stigma obscure trigonum.

Fructus: capsula ovato-trigona, trilocularis, trivalvis: semina compressa, circa styli basim trifariam imbricata.

Habitat in Hispaniæ maritimis circa Valentiam, et ad Cantabriæ litora. 2. Floret Julio et Augusto.

*Explic.* tabulæ, in qua planta integra videtur multoties minuta, ut ex adiectis partibus naturali magnitudine coniici potest. *a* Flos integer. *b* Staminum sustentaculi pars expansa. *c* Stylus. *d* Fructus. *e* Idem sectus. *f* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Millerii figura folia sistit nimis lata: Clusii quamquam minuta proportionem in omnibus servat: meam addidi ut ex adiectis partibus et vera cognosceretur magnitudo et integra fructificatio.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Post varia tentamina Clusius loco citato hanc plantam inter illas reiecit, quæ mutato natali solo numquam aut rarissime florere solent, tuncque dumtaxat, quum flos conceptus est in bulbo, qui alibi adsportatur.

### ASCLEPIAS LINARIA. Tab. 57.

63. ASCLEPIAS foliis sparsis, subulato-canaliculatis: umbellis lateralibus, multifloris.

Radix perennis, ex qua caules adsurgunt pedales, teretes, scabriusculi, parum ramosi.

Folia numerosissima, sparsa, subulato-canaliculata, basi angustiora, et ad tuberculum sessilia.

Flores umbellati, umbellis lateralibus: involucrum polyphyllum, foliolis acutis: radii 20-30 breves, uniflori.

Calix parvus, profunde quinquepartitus, laciniis acutis.

Corolla alba, monopetala, quinquepartita, laciniis ovato-acutis, reflexis. Corniculi quinque, albi, erecti, genitalia cingentes; singulorum centrum occupat corpusculum erectum, clavatum.

In corniculorum medietate locatur theca, basi monophylla, deinde decempartita, laciniis alternis longioribus, planis; reliquis brevioribus, membranula externe auctis. In laciniarum breviorum summitatibus conspiciuntur antherarum radices quinque, fuscæ, ovatæ, basi acutæ, unde filamenta pendent duo, arcuata, in clavam incrassata, quæ proinde sunt decem.

Germina duo in fundo thecæ adproximata, in stylos subulatos desinentia; stigma simplex, pentagonum, albicans, coronans thecam, in quo staminum radices implantatæ sunt.

Fructus. . . .

Huius novæ speciei patriam ignoro: hospitatur in Regio horto Matritensi ab anno 1788. Floret Augusto, Septembri et Octobri. Fructus numquam perfecit.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Idem postice spectatus. *c* Corniculum situ naturali. *d* Idem sectum ut appareat clava. *e* Theca aucta, stigmatē terminata, in cuius basi conspiciuntur germina. *f* Germina aucta. *g* Stigma auctum, antherarum radicibus instructum, ex quibus pendent clavæ. *h* Clavæ duæ auctæ radici adfixæ.

### ASCLEPIAS MEXICANA. Tab. 58.

64. ASCLEPIAS foliis verticillatis, senis, lanceolatis; floribus umbellatis.

Caules erecti, teretes, glaberrimi, sesquipedales.



Folia verticillata, sena, lanceolata, integerrima, in petiolum brevem desinentia.

Flores umbellati, umbellis sæpe tribus in verticillis superioribus, alternando inter foliorum paria: pedunculus communis folio brevior: involucrum polyphyllum, foliolis brevibus, lanceolatis, recurvis: radii numerosi, semipollicares.

Calix brevis, semiquinquefidus, laciniis acutis.

Corolla alba, monopetala, profunde quinquepartita, laciniis ovato-acuminatis, reflexis: harum centrum occupat pedicellus brevissimus genitalia sustinens, quæ ambiunt 1.<sup>o</sup> corniculi quinque, e quibus totidem prodeunt corpuscula corniformia, conniventia: 2.<sup>o</sup> pelliculæ prismatice quinque, quarum anguli acuti prominent, cum quibus alternant sacculi totidem, apice squamosi, basi biloculares.

Staminum radices quinque, ovatæ, stigmatis angulis adfixæ, ex quarum basi fila prodeunt initio arcuata, postea pendula, quæ sensim in clavam excrescunt, atque tandem in sacculorum loculamenta reconduntur.

Germina duo, obovata, in stylos conicos abeuntia, terminatos stigmatem communi, pentagono, fungoso; cuius latera ornant squamulæ quinque supra recensitæ.

Fructus: foliculi duo, quorum alter fere semper abortum patitur: suntque oblongi, acuminati, ventricosi, striati, bipollicares, uniloculares, univalves, longitudinaliter dehiscentes.

Semina numerosa, ovato-compressa, rubentia, imbricata, papo coronata candido, pollicari.

Habitat prope Mexico. ♂. Vidi in Regio horto Matritensi. Floret cum præcedente; fructus præbet ultimo Decembri et Ianuario.

*Explic. tab. a* Flos integer magnitudine naturali. *b* Corniculus auctus. *c* Theca multoties aucta. *d* Sacculi terminati squamula postice spectati, in quorum loculamenta descendunt clavæ seu antheræ. *e* Idem antice visi, intra quos existit pellicula prismatica. *f* Clavæ. *g* Germina, styli, stigma. *F* Foliculus dehiscens. *s* Semen.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Consulantur quæ de Asclepiadum genitalibus dixi pagina 5.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Si Plukenetii et Gronovii definitionibus standum est, hæc mea planta diversa videtur a Linnæi Asclepiade verticillata. Ad hanc Linnæus revocavit illorum auctorum plantam, cuius folia secundum Gronovium sunt lineari-setacea, et iuxta Plukenetium linearæ angustissima, ut videri licet in Mantissæ tab. 336 fig. 4. Quum vero meæ sint folia fere tripollicaria tresque lineas lata, cum illis setaceis non nisi incongrue confundi possunt. Ad hæc D. de Lamarck in Diction. Encyclop. tom. 1. pag. 283 asseverat Linnæi Asclepiadem verticillatam, quatuor foliis angustissimis constare ad singulos nodos in verticillum dispositis; in mea vero sex folia lanceolata numerantur in unoquoque nodo.

## LUPINUS TRIFOLIATUS. Tab. 59.

65. LUPINUS caule herbaceo: foliis ternatis: leguminibus spicatis, erectis.

Radix ramosa, fibrilis aliquot.

Caulis herbaceus, simplex, pedalis, angulatus, ad angulos scabriusculus.

Folia alterna, ternata, ovata, crenato-dentata, inferne glauca, ad nervos scabriuscula, duo opposita subsessilia, tertium petiolatum: petiolus sesquipollicaris, inferne obtusus, superne canaliculatus, per caulem excurrens, quem sulcis notat. Stipulæ subulatæ, petioli basi hinc inde adfixæ.

Flores coerulei, spicati spicis axillaribus, brevibus.

Calix brevis, subvillosus, hemisphæricus, quinquedentatus, dentibus superioribus brevissimis, divaricatis; tribus inferioribus longioribus, media productiore.

Corolla papilionacea: vexillum ovatum, plicatum: alæ vexillo breviores, intra ipsum reconditæ: carina demum illi subæqualis, compressa, inferne bipartita, unguibus capillaribus.

Stamina monadelphæ.

Germen oblongum, apice recurvum: stylus subulatus: stigma subpeltatum.

Fructus: legumen erectum, compressum, acumine cornuto terminatum, uniloculare, po-



Iyspermum, dorso, quo semina pericarpio hærent, tribus sulcis notatum.  
Semina subovata, subreniformia, nonnihil compressa.

Habitat in Mexico. ☉. Vidi floridum et fructibus onustum mense Iulio in Regio horto Martitensi.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Vexillum. *c* Idem expansum. *d* Ala. *e* Carina. *f* Eadem aliter visa. *g* Calix auctus. *h* Germen. *i* Staminum vagina secta et expansa.

### CYNANCHUM MONSPELIACUM. *Linn. Tab. 60.*

66. CYNANCHUM caule volubili, herbaceo; foliis reniformi-cordatis, acutis. *Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 606. Mill. Diction. n. 2. Sawv. monsp. 135.*

Scamonea monspeliaca, foliis rotundioribus. *Bauh. pin. 294.*

Apocynum IV latifolium. Scamonea Valentina. *Clus. hist. 1. pag. 126.*

Caules filiformes, virides, glabri, articulati, ad articulos incrassati, longissimi, scandentes.

Folia opposita, cordata, acuta, glauca, petiolis subæqualia.

Flores racemosi, racemis solitariis inter duos petiolos; pedunculati, pedunculis versus apicem incrassatis.

Calix parvus, quinquefidus.

Corolla profunde quinquepartita, petalis linearibus, superne albis, inferne dilute roseis, in cuius centro existit urceolus albicans, apice decemfidus, laciniis quinque latis, brevioribus, quinque acutis, longioribus, quæ interne appendicibus totidem acutis ornantur, sursum elevatis.

In urceoli meditulo locatur theca, obscure pentagona, sacculis bilocularibus quinque pendulis adpressis, qui apice desinunt in squamulas totidem orbiculatas, versus thecæ fastigium conniventes.

Stamina decem brevissima, capillaria, per paria radici obovata inserta; antheræ globuli decem in totidem sacculorum faucibus reconditi. Staminum radices apparent inter squamulas.

Germine duo adproximata, in stylos conicos desinentia, quorum stigma commune, pentagonum, fastigium scilicet thecæ, coronatum denticulis duobus, basi adproximatis, postea divaricatis.

Fructus generis.

Habitat ad margines fluminis Xarama. *h.* Floridum observabam passim mense Augusto in tractu vulgo *Piul de Rivas*. Læte vigent ibi Althæa canabina, Humulus lupulus, Atriplex hastata, Chenopodium botrys, Sisymbrium asperum, Lepidium Iberis; in aquis vero Myriophyllum spicatum, Potamogeton natans, et crispum &c.

*Explic.* tab. *a* Capitulum. *b* Flos postice spectatus. *c* Idem antice. *d* Urceolus valde auctus. *e* Huius portio. *f* Theca. *g* Stigma auctum, squamulis cinctum. *h* Sacculi aucti expansi. *i* Horum postica figura. *k* Par staminum. *l* Horum radix multoties aucta. *m* Germine, styli, stigma.

### ENCELIA.

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis hemisphæricus, imbricatus: squamulis inæqualibus, acutis, patulis basi latis. Corolla composita, radiata: corollulæ hermaphroditæ numerosæ in disco; neutræ 7-8 in radio.

Propria hermaphroditis tubulosa, ore quinquefido: radiorum vero ligulata, ovata, quadrifida, laciniis obtusis.

Stamina hermaphroditis quinque, capillaria, imæ corollæ adfixa: anthera oblonga, cylindracea, apice quinqueidentata: neutris nulla.

Germen hermaphroditis ovato-compressum, basi acutum, margine villosum: neutris mini-



mum, efoetum. Stylus illis filiformis; stigmata duo, reflexa: neutris vero nullus, neque stigmata.

Semina in hermaphroditis solitaria, figura germinis, margine eleganter pilosa, apice emarginata: papus nullus.

Receptaculum nonnihil convexum, paleaceum: paleis carinatis, plicatis, acutis, semina amplexantibus.

*Obs.* Primus omnium hoc genus construxit Adansonius; Iussieus postea in Corymbiferarum §. V reposuit; Lamarck denique illius characteres absolutos conscripsit in Diction. Encyclop. tom. 2. pag. 356.

*Obs.* Genus Heliantho, Coreopsidi, atque Osmi affine a quibus fructu distinguitur.

### ENCELIA CANESCENS. Lamarck. Tab. 61.

67. ENCELIA foliis ovatis, trinerviis, mollibus, alternis: floribus corymbosis.

*Encelia canescens.* Lamarck *Diction. Encycl. tom. 2. pag. 356.*

*Coreopsis limensis.* Iacq. *Coll. vol. 2. pag. 299. Icon. tom. 2.*

*Cotula maritima,* flore luteo, eleganti semine ad oras villosa. *Hort. Paris. mss.*

*Encelia.* Adans. *Familles des plant. tom. 2. pag. 128. De Iussieu Gen. plant. pag. 186.*

Caulis suffruticosus, bipedalis, ramosus, pubescens.

Folia alterna, petiolis longiora, late ovata, mollia, trinervia, integerrima, pubescentia.

Flores corymbosi, terminales, pedunculis elongatis.

Corolla lutea, radiique aliquando difformiter bi-trifidi, sæpius quadrifidi.

Semina nigra, quorum limbus ciliatus pilis candidis numerosis.

Reliqua ut supra in caractere generico.

Habitat in Regno Mexicano. ♀. Vidi floridam Augusto et Septembri in Regio horto Matritensi.

*Explic.* tab. a Radius. b Flos hermaphroditus. c Idem palea cinctus. d Idem auctus. e Genitalia aucta. f Semen ad cuius latus palea conspicitur.

*Obs.* Tabulam incidendam dedi, priusquam citatam Iacquini viderim nitidissimam atque naturæ consonam.

### EUPHRASIA LONGIFLORA. Palau. Tab. 62.

68. EUPHRASIA foliis sublinearibus, integerrimis, subimbricatis, glutinosis: corollarum tubo gracili, longissimo.

*Euphrasia de flor larga.* Palau in *Linn. spec. plant. hispano sermone tom. 9. pag. 352.*

*Euphrasia foliis linearibus,* integerrimis, corollarum tubo tenui, calice multoties longiore *Lamarck Diction. tom. 2. pag. 401.*

*Euphrasia vermiculato folio hispanica.* Barrel. *tab. 1204.*

Caulis pedalis, atro-rubens, viscosus ut et tota planta, ramosus, ramis decussatim oppositis, tetragonis.

Folia sessilia, opposita, sublinearia, internodis longiora, adproximata, et veluti imbricata, globulis obsita glutinosis, minutissimis.

Flores axillares, spicati versus ramulorum et caulis apicem.

Calix semiquadripartitus, laciniis linearibus, obtusis.

Corolla lutea: tubus gracilis, semipollicem longus: limbus bilabiatus; labium superius compressum, concavum, integerrimum: inferius latius, trifidum, laciniis rotundatis.

Staminum filamenta quatuor, brevia, tubi superiori parti adnata, intra labium superius recondita: antheræ ovatæ, didymæ, basi biaristatæ, et perforatæ.

Germen ovato-compressum: stylus ruber, corollæ longitudine: stigma clavatum.



Capsula ovato-compressa, bilocularis, bivalvis, valvulis dissepimento oppositis.

Semina minima, ovata, longitudinaliter striata.

Habitat in collibus aridis, gypsis prope *Rivas*. ☉. Vidi floridam mense Septembri.

*Explic.* tab. *a* Corolla. *b* Calix. *c* Idem expansus. *d* Corolla expansa. *e* Anthera aucta postice spectata. *f* Eadem antice. *g* Fructus. *h* Capsula dehiscens. *i* Huius sectio. *k* Semen valde auctum. *F* Folium auctum.

*Obs.* Hanc plantam Palauo teste primus reperit prope Espexa P. Fr. Sebastianus Bueno, Ordinis Sancti Hieronymi, Monasterii Pharmacopola, atque Botanicus peritissimus. Verumtamen iam ab anno 1756 cognitam fuisse a Michaële Barnades, dicit huius filius in opere ab ipso quamprimum evulgando. Barrelierius etiam eam ante ipsos vidit, utpote figuratam dedit loco supra citato.

### EUPHORBIA CANESCENS. *Linn. Tab. 63.*

69. EUPHORBIA dichotoma foliis integris, subrotundis, pilosis: floribus solitariis, axillaribus: caulibus procumbentibus. *Linn. spec. plant. tom. 2. pag. 442. n. 23. Lamarck Diction. tom. 2. pag. 424. n. 40.*

Tithymalus exiguus villosus, numulariæ folio. *Tournef. inst. 87.*

*α* Euphorbia chamæsyce dichotoma, foliis crenulatis, subrotundis, pilosis: floribus solitariis, axillaribus, caulibus procumbentibus. *Linn. ubi supra n. 24. Lamarck n. 41.*

Chamæsyce. *Clus. hist. 2. pag. 187.*

Tithymalus exiguus glaber, numulariæ folio. *Tournef. inst. 87.*

Euphorbia inermis, foliis oblique cordatis, serrulatis, uniformibus: ramis alternis: floribus solitariis. *Hort. Cliff. 198.*

Radix descendens fibrilis aliquot, ex qua caules prodeunt plurimi, spithamei, rubentes, pilis albis obducti, ramosi, ramis alternis.

Folia opposita, brevissime petiolata, lenticulæformia, marginata, integra vel subcrenulata, basi antica angustiore, atque in centro macula fusca notata.

Flores solitarii, subsessiles inter caulem et ramulum.

Calix ovato-ventricosus, ore brevissime quadripartito.

Corollæ petala quatuor, brevissima, basi callosa, limbo albo, obscure tricrenato.

Staminum filamenta brevia, receptaculo inserta, diverso tempore erumpentia, duo plerumque simul: antheræ ovatæ, didymæ.

Germen subrotundum, triquetrum, pedicellatum, pedicello sensim aucto: styli brevissimi, tres, vix conspicui.

Capsula tricoca, tri-ocularis. Semina solitaria.

Habitat in Provincia *la Mancha*. ☉. Vidi in horto Pharmaceutico vulgo *de la Priora* Iulio, Augusto et Septembri. Varietas *α* passim reperitur in Hispania, præsertim in Regno Valentino.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Flos integer. *c* Fructus; omnia aucta.

*Obs.* Hæc planta variat caulibus fere glabris; foliisque nunc subcrenulatis, nunc integris. Hac ergo de causa utrasque Linnæi species supra indigitatas in unam coniungo.

### PHALARIS BULBOSA. *Linn. Tab. 64.*

70. PHALARIS panicula cylindrica: glumis carinatis. *Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 148.*

Phalaris bulbosa, semine albo. *Rai hist. 1249. Park. theatr. 1163. Scheuch. pag. 53.*

Culmus nodosus, pedalis, basi bulbosus, bulbis sæpe tribus globosis, in lineam concatenatis, quorum inferior basi radicans, radiculis fibrosis, filiformibus.

Folia alterna, per pollicem et amplius caulem vaginantia, vagina ventricosa, supra quam eriguntur, suntque lanceolata, acuta.



Flores spicati, spica densa, cylindrica, terminali: flos quilibet breviter pedunculatus.  
 Calix: gluma uniflora, bivalvis, valvulis navicularibus, compressis, albicantibus, linea viridi notatis: carina superne crenata.  
 Corolla calice brevior, bivalvis, inæqualis.  
 Stamina filamenta tria: antheræ oblongæ.  
 Germen subrotundum: styli duo: stigmata villosa.  
 Semen ovatum, utrimque acuminatum.  
 Habitat in Boeticæ pratis prope Hispalim, et in Oriente, dicente Linnæo: observata fuit etiam a Barnadesio anno 1751 prope oppida *Vicalvaro* et *Rivas*. Floret Maio.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calicis gluma aucta. *c* Corolla cum genitalibus. *d* Germen. *e* Semen.

EMBOTHRIMUM COCCINEUM. *Linn. supp. Tab. 65.*

71 EMBOTHRIMUM foliis oblongo-ovatis, terminatis cuspidate: thyrsis terminalibus: corollis tetrapetalis.  
 Embothrium thyrsis terminalibus, sessilibus; antheris pedicellatis: foliis obovatis, venosis. *Linn. supp. pag. 128.*  
 Embothrium coccineum. *Forst. gen. n. 8.*  
 Embothrium thyrsis brevibus, terminalibus, axillaribusque: corollis profunde quadrifidis: folliculo stylifero: stigmatate simplici. *Lamarck Dict. tom. 2. pag. 355.*  
*Ixora coccinea. Comm. herb.*  
*Catas parviflora*, foliis ovato-oblongis, petiolatis, integerrimis: spicis florum brevibus, axillaribus. *Iussieu herb. mss.*  
 Caulis fruticosus, glaberrimus, ut et tota planta.  
 Folia sparsa, oblongo-ovata, cuspidate brevi terminata, uninervia, nervo utrimque ramoso; sustentata petiolis brevibus, basi dilatatis, rubescentibus. *Gemmæ squamosæ, rubentes, squamulis lanceolatis, reflexis.*  
 Flores spicati, terminales.  
 Calix nullus. Corolla coccinea, tubuloso-incurva, tetrapetala, petalis linearibus, initio in tubum adproximatis, postea reflexis: horum apex latior, concavus, acutus, antheram fovens.  
 Stamina filamenta quatuor, brevissima, in parte latiori interna petalorum: antheræ obovatæ.  
 Germen superum, oblongum, terminatum stylo longo, lineari: stigma planum.  
 Fructus: folliculus unilocularis, univalvis, polyspermus: semina imbricata, ovata, alâ acuta.  
 Habitat in fræto Magellanico, et in Tierra del fuego: repertum hic a Forsterio, illic a Comersonio. *h.* Vidi siccum communicatum a D. Thouin.  
*Explic.* tab. *a* Flos clausus. *b* Idem expansus. *c* Petali pars aucta cum stamine. *d* Fructus.  
*Obs.* Pavonius et Ruizius sex species in Peruvia et Chile examinerunt, ex quibus apposite novum genus construxere: attamen in Europam reduces Forsterii que egregium opus perlustrantes, nominatas ab isto Embothrii nomine didicerunt: quare in scientiæ profectum quæ nova ipsis certissime fuerunt, ut cognita evulgabunt. Hæc planta vulgo *Catas* dicitur.

MYAGRUM SATIVUM. *Linn. Tab. 66.*

72. MYAGRUM foliis auriculatis, ciliatis, acutis: siliculis obovatis, mucronatis, pedunculatis, polyspermis.  
 Myagrum siliculis obovatis, pedunculatis, polyspermis. *Linn. spec. plant. tom. 3. pag. 208.*  
*Lamarck Dict. tom. 1. pag. 570.*  
 Alysson segetum, foliis auriculatis, acutis. *Tournef. 217.*  
 Camelina sive Myagron. *Dodon. pempt. 532.*



Camelina Myagrum. *Lob. Ic. 224.*

β Myagrum foliis dentatis.

Radix fusiformis, alba, ramoso-fibrosa.

Caulis pedalis, ramosus, valde villosus, ut et tota planta.

Folia mollissima, radicalia oblonga, obtusa, subspatulata; caulina sessilia, alterna, semiamplexicaulia, auriculata, auriculis obtusis: superiora valde ciliata, acutissima.

Flores racemosi, racemis terminalibus; flos quilibet pedunculatus, pedunculis fructu triplo longioribus, glabris.

Calix oblongus, lutescens, ex quatuor foliolis lanceolatis, conniventibus, deciduis.

Corolla dilute lutea, cuius petala quatuor oblonga, obtusa, patentia, unguibus angustis, calice longiora.

Stamina lutea sex: duo paria opposita, eglandulosa: duo reliqua solitaria, e centro tuberculi orta, qui tuberculi ima germinis occupant: antheræ sagittatæ.

Germen turbinato-ovatum, nonnihil compressum: stylus teres, persistens: stigma simplex.

Fructus: capsula ovata, glabra, stylo terminata, bilocularis, bivalvis, polysperma: dissepimentum valvulis parallelum. Semina ovata, minima.

Habitat passim ad agrorum margines in Matrili viciniis. ☉. Floret a Martio ad Iunium.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla. *c* Petalum. *d* Stamina aucta. *e* Glandula. *f* Germen auctum. *g* Genitalia magnitudine naturali. *h* Fructus. *i* Huius sectio. *k* Huius loculamentum. *l* Semen. *m* Idem auctum.

*Obs.* Planta similis Cochleariæ sagittatæ Cranzii, Floræ Danicæ tab. 204, a qua siliculis glabris, et maioribus differt.

### SAMYDA MULTIFLORA. *Tab. 67.*

73. SAMYDA floribus octandris: foliis ovatis, utrimque acutis, inferne tomentosis.

Caulis fruticosus? cuius rami lignosi, teretes.

Folia alterna, ovata, utrimque acuta, subserrata, uninervia, nervo ramoso; inferne tomentosa: stipulæ nullæ nisi forte deciduæ aut confusæ cum squamulis axillaribus.

Flores axillares, glomerati, parvi, pedunculis propriis brevibus, qui omnes oriuntur ex globulo squamoso, axillari, initio clauso, postea aperto.

Calix profundissime partitus in quatuor lacinias, albicantes, ovatas.

Corolla nulla.

Stamina: urceolus albicans, germen cingens (ut in Swietenia et Portesia), apice sustinens antheras octo, ovatas, sessiles.

Germen ovatum, versus apicem sensim angustius: stigma globosum.

Habitat in Insula Sancti Dominici. *h.* Vidi siccam.

*Explic.* tab. *a* Capitulum. *b* Flos. *c* Idem auctus. *d* Germen. *e* Idem auctum.

*Obs.* Gratum futurum esse Botanicis existimavi, plantas aliquas aut novas aut nunquam delineatas hic adiungere, quamquam exsiccatas viderim.

### MALVA ANGUSTIFOLIA. *Tab. 68.*

74. MALVA foliis ovato-lanceolatis, crenulatis: fructu globoso, tomentoso: capsulis trispermis.

Malva foliis ovato-lanceolatis, dentatis, angustis: fructu globoso, tomentoso: calice exteriori minimo, setaceo *Monadelph. diss. 2. pag. 64. n. 104.*

Caulis suffruticosus, teres, ramosus, tripedalis, pilis numerosis stellatis coopertus, ita minimis et confertis ut pulverulentus appareat quemadmodum et tota planta.

Folia alterna, petiolis multoties longiora, ovato-lanceolata, crenata: inferiora quatuor pollices sæpe longa, unum lata; superiora vero breviora et angustiora: stipulæ setaceæ.



Flores axillares, numerosi et quasi glomerati, pedunculis pluribus, brevibus, uni-aut bifloris: in summitate vero ramulorum et caulis non ita numerosi, ita ut tandem bini et etiam solitarii existant.

Calix exterior ex tribus setis minimis: interior semiquinquefidus.

Corolla dilute violacea, ex petalis quinque basi tubi insertis, patentibus, emarginatis.

Stamina: tubus brevis, basi pilosus, germen cingens, Sidæ tubo similis; filamenta numerosa sustinens brevia: antheræ reniformes, violaceæ.

Germen globosum: stylus simplex, multifidus: stigmata globosa.

Fructus sphaericus, umbilicatus, tomentosus, ex tot capsulis compositus quot fuerunt stigmata. Capsulæ sunt muticæ, trispermæ.

Semina nigra, glabra, reniformia.

Habitat in Mexico, hodieque sponte crescit in Matritensi horto Regio.  $\bar{h}$ . Floret a Iunio ad Decemb.

*Explic. tab. a* Capitulum clausum. *b* Flos integer. *c* Genitalia. *d* Germen. *e* Fructus.

*f* Capsula clausa. *g* Huius valula cum seminibus. *h* Semen.

*Obs.* Duplici ex causa hanc plantam iterum delineavi et descripsi: prima ut promissam fidem liberarem; secunda ut larvati cuiusdam audaciam et falsitatem demonstrarem. Hanc Malvæ speciem primo Botanicis communicavi anno 1786, quum scilicet honestissimus vir Antonius Palau per epistolam mihi tum Parisiis commoranti ramulum misit, qui fructificationis indagini aptus erat, quamquam plantæ ideam incompletam sisteret, ut postea cognovi. Sequenti enim ætate vivam habui, adeo a ramulo quantum ad habitum diversam, ut vix ipsam recognoscerem. Quamobrem pag. 180 ad tertiæ dissertationis calcem figuram uberiolem promissi et absolutam descriptionem, quod nunc feci.

Venio ad larvatum auctorem epistolæ editæ in opere periodico, cui titulus *Memorial literario*; qui posteaquam quæ sibi opportuna videbantur ad mea opera deprimenda, non quæ vera et frugifera magno verborum apparatu concinavit, ita me alloquitur: *(a) Inter Malvarum species, de quibus disseruisti, quasque Sidæ fructificatione gaudere asseris, Malva tua angustifolia reperitur, quam quia desiccata observabas, Sidam esse minime cognovisti, eam scilicet quæ in Regio horto Matritensi colitur, a Peruanis Botanicis (b) Sidam angustifoliam nominatam.* Multa hic castiganda video. 1.º Larvatus homo fructum cum fructificatione confundit, qui quantus sit error vel a tyrone cognoscitur. Dixi Malvas aliquas, hancque angustifoliam præcipue fructu gaudere fructui Sidæ simile *(c)* at numquam dixi *fructificatione*; aliter enim non Malvis, sed Sidis annumerandæ fuissent illæ plantæ. ¿Attamen quis cognita larvati hominis invidia, phylautia, malis artibus non statim cognoscat, *fructificationem* ipsum dedita opera pro *fructu* scripsisse ut lectores, Botanicos præsertim ad se traheret, ut istis suspecta redderet mea opera? 2.º Summam iniuriam Peruanis Botanicis infert callidus insectator, dum ipsos sentire asserit quæ non nisi hospes in Botanica dixerit, *plantam hanc scilicet Sidam esse*: cuius flores calice gaudent duplici, exteriore triphylo, qui character Malvæ, non Sidæ convenit edicente Linnæo, et annuente Botanicorum omnium consensu. Planta hæc ulterius in Regio horto Matritensi inter Malvas annumeratur, quod cl. Palau in demonstrationibus dixit; quod tyrones vel inspectis calicibus cognoscunt; quod denique prædicant vel indocti dicti horti cultores professorum auctoritate. Ad hæc si dicta planta, reluctantante characterе generico, Sidæ nomine cognoscenda foret, numquam illi nomen *angustifolia* addendum, nisi confusio in plantis desideraretur. Nam cum Scopoli et L' heriterius plantam descripserint, atque incisam dederint *Sidæ angustifoliæ* nomine, quæ a Malva hac nostra toto coelo distat; duas nunc haberemus diversas plantas eisdem nominibus et generico et specifico designatas, quod quantum Botanicæ contrarium sit, nemo non videt.

(a) En las especies de *Malvas*, de que Vm. habla, y dice que tienen la fructificación de la *Sida*, se halla su *Malva angustifolia*, la qual por haberla Vm. visto seca, no pudo conocer que era una *Sida* que se cultivaba en el Jardín Botánico de Madrid, y á la que los

Botánicos del Perú han denominado *Sida angustifolia*. *Memorial literario del mes de Mayo 1789 p. 58.*

(b) Iosephus Pavon et Hypolitus Ruiz.

(c) Carta de D. Antonio Cavanilles en respuesta á la del vecino de Lima pag. 4.



## ANCHUSA LUTEA. Tab. 69. fig. 1.

75. ANCHUSA caule herbaceo, erecto: foliis ovatis, alternis, sessilibus, ciliatis, villosis: floribus racemosis.

Buglosum luteum annuum minimum. *Tournef. inst.* 134. *Quer Flor. hisp. tom. 3. pag. 313.*

*Anchusa lutea minima. Lob. ic.* 312.

*Echioides lutea apula campestris. Colum. ecphr. 1. pag. 184. tab. 185.*

*Myosotis apula. Linn. spec. plant. Lamarck Flor. Franc.*

Radix fibrosa, rubescens, ex qua caules exsurgunt simplices, aut ramosi, spithamei.

Folia ovata, mollia, ciliata, villosa, sessilia, inferiora amplexicaulia, caulina alterna.

Flores racemosi, racemis terminalibus, apice recurvis.

Calix villosus-albicans, basi ventricosus, profunde quinquepartitus, laciniis conniventibus, apice acutis.

Corolla saturate sulphurea, infundibuliformis: tubus calice longior, basi prismaticus: limbus patentissimus, quinquepartitus, laciniis orbiculatis, integerrimis: squamulae quinque subrotundae ad laciniarum divisionem, faucem fere tegentes.

Stamina quinque minima in tubi corollae apice: antherae flavescentes.

Germina quatuor, supera in fundo calicis, ovata: stylus simplex: stigma incrassatum.

Semina quatuor, ovata.

Habitat passim in Matriti viciniis, praecipue tamen *en la Casa del Campo, Soto de Migas ca-*

*hientes*, una cum *Spergula arvensis*, *Agrosti minima*, et *Cardamine silvest.* Ital. *Barrel.*

*tab. 455. Floret Martio. ☉*

*Explic. tab. a* Calix. *b* Flos integer. *c* Corolla expansa. *d* Germina. *e* Semina: omnia aucta.

*Obs.* Stamina situs, et corollae laciniarum integritas ad *Anchusam* revocant hanc plantam. *;* An rectius ex *Anchusa* et *Myosotide* unicum genus recudendum non duo conservanda?

## CRASSULA CESPITOSA. Tab. 69. fig. 2.

76. CRASSULA foliis globoso-ovatis, quadrifariam imbricatis; cyma triflora: floribus sessilibus. Plantula crassa, vix trium linearum altitudinis, cuius radices albicantes, capillares, caulisque ruber. Innumerae simul crescunt, adeo adproximatae, ut cespitosae adpareant primo intuitu. Folia quadrifariam imbricata, globoso-ovata, viridia, puncto rubro apice notata, sessilia, vetustate rubentia.

Flores cymossi, sessiles, tres aut quatuor adproximati, aliquando unicus dumtaxat.

Calix carnosus, monophyllus, 4-5-fidus, persistens.

Corollae petala quatuor aut quinque, lanceolata, carinata, acutissima, albicantia, carina rubente; bracteolae totidem ad petalorum basim ut in *Erythroxylo*.

Staminum filamenta 4-5 subulata, petalis alterna; antherae ovatae, fusco-rubentes.

Germina 4-5 rubentia, in stylos subulatos terminata: stigmata simplicia.

Capsulae tot quot germina, oblongae, acutae, longitudinaliter introrsum dehiscentes, polyspermæ.

Semina nigra, ovata, minima.

Habitat floretque cum praecedente. ☉

*Explic. tab. a* Plantam sistit magnitudine naturali; *A* Auctam; *b* Capitulum; *B* Idem auctum. *c* Flos auctus et expansus. *d* Huius petalum, in cuius base *e* bracteola exstat.

*f* Genitalia. *g* Stamen. *h* Fructus. *I* Semen auctum.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Fere semper deficit  $\frac{1}{5}$  pars fructificationis.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> A *Crassula rubente* Linnæi hæc planta valde differt foliis globoso-ovatis, quadrifariam imbricatis, quæ in *Crassula rubente* sunt sparsa, patentia, fusiformia. Ad hæc *Floræ Danicæ* tabula 82, quam ad suam *Crassulam rubentem* trahit Linnæus plantam sistit adeo a nostra diversam magnitudine atque foliorum situ et forma, ut diversas reputem.



ANTIRRHINUM MICRANTHUM. *Tab. 69. fig. 3.*

77. ANTIRRHINUM caule herbaceo, erecto: foliis inferioribus quaternis, superioribus alternis; floribus minimis: calcare brevi, antico.

Radix alba, brevis, ramoso-fibrosa, ex qua caules adsurgunt erecti, virgati, teretes, glauci, prope basim rubentes, versus apicem nudi, glaberrimi ut et tota planta.

Folia ovato-lanceolata, acuta, sessilia; inferiora terna vel quaterna, superiora alterna, obscure trinervia.

Flores distantes, solitarii, subsessiles, axillares, caulem terminantes.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis lineari-spatulatis, ciliatis.

Corolla omnium specierum minima, calice paulo longior, coerulea, basi breviter calcarata, calcare antico: palatum albicans: labium superius bifidum, erectum: inferius trifidum.

Stamina didyma: filamenta quatuor, albicantia, basi corollæ inserta, quorum duo breviora: antheræ luteæ.

Germen superum, globosum, viride: stylus filiformis, coeruleus, brevis: stigma simplex, lutescens.

Capsula globoso-ovata, terminata stylo; bilocularis, apice dehiscens in sex lacinias.

Semina numerosa, reniformia, compressa, cincta membranula nigra.

Habitat in incultis *del Real Retiro*. Floret Martio et Aprili. ☉

*Explic.* tab. 1 Corolla magnitudine naturali. *L L* Eadem aucta. *m* Germen. *n* Fructus.

*Obs.* Diversam credo hanc plantam ab Antirrhino arvense Linnæi, quod Dillenius præsentavit tab. 163 fig. 198. Huic enim tribuitur calcar posticum, et folia revoluta, quæ in supra descripto erecta sunt, et calcar anticum.

MENTZELIA ASPERA. *Linn. Tab. 70.*

78. MENTZELIA foliis ovato-lanceolatis, biserratis, incis: floribus solitariis, sessilibus.

*Mentzelia. Linn. spec. plant. tom. 2. pag. 587. Jacq. Amer. pict. pag. 80.*

*Mentzelia foliis et fructibus asperis. Plum. gen. 41. icon. 174.*

*Mentzelia setis uncinatis munita, foliis lobatis; fructibus sessilibus, singularibus ad divaricationes ramorum. Brown. Jam. 249.*

*Onagra americana folio betonicae, fructu hispido. Tournef. inst. 302.*

Tota planta adeo aspera ut ad corpora quæcumque adhæreat, et veluti adglutinetur.

Radix ramosa, persistens.

Caules annui, numerosi, setulis brevibus arcuatis tecti, tres quatuorve pedes alti, teretes, luteo-virentes, ramosi, ramis inferne alternis, axillaribus, superne vero binis, quorum quilibet iterum, iterumque bifurcatus; herbacei, adeoque fragiles ut facillime rumpantur.

Folia alterna, ovato-lanceolata, biserrata, inferne incisa; pagina inferiore albicantia, superiore saturate viridia: petioli breves; nulli etiam in ramulorum foliis.

Flores solitarii, sessiles ad ramorum dichotomias.

Calix superus, profunde partitus in quinque lacinias lanceolatas, acutissimas, hispidas, tandem deciduas.

Corolla magna, patentissima, saturate sulphurea: petala quinque summo calici inserta, lato-ovata, versus apicem subfimbriata, mucrone terminata.

Staminum filamenta lutea, subtriginta, calici inserta duobus ordinibus: exteriora 10-12 longiora, basi que latiora, atque versus floris centrum arcuata: reliqua erecta: antheræ ovatae, erectæ.

Germen inferum, inverse conicum, valde hispidum, fere pollicare: stylus setaceus, staminibus longior: stigma simplex.

Fructus: capsula infera, aspera, inverse conica, unilocularis, subsexperma, apice trivalvis:



ante perfectam maturitatem succulenta; matura vero sicca, longitudinaliter excavata tribus sulcis, et corrugata.

Semina sæpe sex, ovato-compressa, apice angustiora, exasperata punctulis prominentibus. Habitat in Mexico. Vidi floridam in Regio horto Matritensi mense Octobri, quæ fructus perfecit Februario.

*Explic.* tab. *a* Germen coronatum calice. *b* Petalum. *c* Flos absque petalis. *d* Germen. *e* Fructus viridis. *f* Idem fissus. *s s s s* Semina. *S* Semen auctum.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Nescio ubinam Linnæus reperit, huius generis *petala esse setacea et erecta, atque exteriora superne membranacea*, quemadmodum in generum descriptionibus dixit pagina 273 num. 723. Scio equidem, ipsum numquam plantam vidisse; verumtamen Plumierii figuram viderat, quam in plantarum speciebus citat tomo 2 pag. 587, in qua petala sunt orbiculato-fimbriata. Perfectissime omnium primus plantam hanc descripsit Nicolaus Iosephus Jacquin, vir de Botanica benemeritus atque cum honore semper nominandus *Americ. pict. pag. 79.*

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Plumierius loco citato petala delineavit orbiculata et crenulata: flores omnes ad folium axillares, numquam in ramulorum divaricationibus: folia denique crenata. Nihil horum vidi in planta supra descripta; quæ proinde aut varietas erit valde notanda aut nova fortasse species.

### IUSTICIA LIGULATA. *Lamarck. Tab. 71.*

79. IUSTICIA foliis ovato-acutis: floribus paniculatis, bicaliculatis, lacinia dorsali maiore. Dianthera malabarica floribus paniculatis, pedicellis bi-trifidis; floribus bicaliculatis: lacinia dorsali maiore. *Linn. supp. pag. 85.*

Carmantine a languette, Iusticia ligulata herbacea, brachiata; foliis ovatis, petiolatis: floribus paniculatis, bicaliculatis; ligula dorsali erecta, maiuscula. *Lamarck encycl. tom. 1. p. 632.*

Dianthera paniculata. *Forsk. Ægypt. 7. n. 19.*

Caulis bipedalis, hexagonus, articulatus, articulis incrassatis, piloso-scaber, valde ramosus, ramis oppositis.

Folia opposita, breviter petiolata, ovato-acuta, acumine revoluto, subcordata, dependentia, integerrima, nervis subvillosa.

Flores paniculati, pedunculati, pedunculis oppositis, solitariis, trifidis.

Calix duplex: interior minimus, flavescens, monophyllus, profunde quinque-dentatus, dentibus setosis: exterior hexaphyllus, foliolis quinque, subulatis, adpressis, sexta linearilanceolata, corollam longitudine superante.

Corolla monopetala, bilabiata: tubus cylindræus, albicans; labia violacea, subæqualia, adproximata, ovata, limbo utrimque revoluto; illorum aliud emarginatum, aliud tricrenatum fauce striis albicantibus.

Staminum filamenta duo, alba, summo tubo inserta, biantherifera: antheræ violacæ, minimæ, sessiles; altera terminalis.

Germen ovatum: stylus longitudine staminum: stigma bifidum.

Capsula obovata, pedicellata, bilocularis, bivalvis, dissepimento valvulis opposito, loculis dispermis.

Semina reniformia, compressa, hilo adfixa.

Habitat in India Orientali. V. V. in Regio horto Matritensi. Floret Octobri et Novembri.

*Explic.* tab. *a* Flos. *b* Calix exterior expansus. *c* Interior germen continens. *d* Hic auctus et expansus. *e* Germen auctum. *f* Corolla aucta. *g* Eadem expansa. *h* Capsula. *i* Huius valvula lateraliter visa. *k* Eadem aliter spectata. *s* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Linnæi filius, qui hanc plantam in supplemento descripsit *Diantheræ malabaricæ* nomine, fruticosam dixit: postea vero D. de Lamarck inspectis ramulis desiccatis herbaceam esse asseverat contra Linnæi sententiam: in horto hoc nostro Matritensi fructiferam habuimus superiore anno, et nunc vivam, induratis caulibus.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Cara-Carinam horti malabarici tom. 9 tab. 56 diversam a nostra plantam sistit fructu, calicibus, flore.



ATROPA PROCUMBENS. *Tab. 72.*

80. *ATROPA* caule herbaceo, procumbente: foliis geminis, inæqualibus, ovatis, glabris: floribus umbellatis.

Caulis herbaceus, sulcatus, valde ramosus, tripedalis, procumbens, ramis teneris subvillosis. Folia ovato-acuta, in petiolum desinentia, geminata, glabra, integerrima, quorum aliud maius, uninervia, subtus glauca.

Flores umbellati; pedunculus communis solitarius inter duos petiolos, vix pollicaris; radii pauci 2-5.

Calix semiquinquefidus, corolla brevior, fructifer auctus, semperque patens.

Corolla herbaceo-lutea, rotata, patentissima, limbo pentagono, nonnihil revoluto, angulis acutis.

Staminum filamenta quinque, erecta, distantia, implantata totidem tuberculis minimis, aut punctis prominentibus corollæ circa germen: antheræ luteæ, ovato-erectæ.

Germen globosum, semiexertum, superum: stylus simplex longitudine filamentorum: stigma incrassatum.

Fructus globosus, glaber, cicere paulo maior, estque bacca bilocularis, cuius receptaculum fungosum, sphæricum, cui infixæ sunt semina: hæc sunt numerosa, rubentia, glabra, orbiculata, compressa.

Habitat in Mexico. Vidi floridam, et fructibus onustam mense Octobri in Regio horto Matritensi. ☉.

*Explic.* tab. *a* Flos inferne spectatus. *b* Idem celum spectans. *c* Fructus. *d* Huius sectio. *e* Semen.

*Obs.* A congeneribus nonnihil differt corolla rotata.

SIDA VIRGATA. *Tab. 73.*

81. *SIDA* foliis cordatis, ovato-acuminatis, serratis, a petioli apice pendulis: petalis orbiculatis, calice brevioribus.

Caules erecti, virgati, scabriusculi, ut et tota planta, ramosi, quatuor pedes alti.

Folia alterna, petiolis longiora, cordata, ovato-acuminata, serrata, a petiolorum apice dependentia. Stipulæ angustæ, sublineares, erectæ.

Calix nonnihil pentagonus, semiquinquefidus, laciniis acutis.

Corolla calice brevior, petalis integerrimis, orbiculatis, luteis.

Staminum tubus germen cingens, basi ventricosus, brevis, apice sustinens innumera filamenta: antheræ ovatæ.

Germen ovato-sulcatum: styli quamproxime septem basi coaliti: stigmata globosa.

Fructus vix calice maior, inferne globosus, ex tot capsulis compositus, quot fuerunt stigmata: istæ sunt oblongæ, apice cornutæ, trispermæ. Semina nigra reniformia.

Habitat in Peruvia. ♀. Vidi floridam in Regio horto Matritensi mensibus Octobri, Novembri et Decembri.

*Explic.* tab. *a* Corolla expansa. *b* Petalum. *c* Germen, styli. *d* Staminum tubus expansus. *e* Fructus. *f* Capsula. *g*. Huius valvula cum seminibus. *h* Semen.

TRADESCANTIA ERECTA. *Tab. 74.*

82. *TRADESCANTIA* caule herbaceo, erecto, ramoso: floribus racemoso-umbellatis terminalibus.

Caules herbacei, crassi, teretes, articulati, tripedales, ramosi, ramis axillaribus, qui dum teneri sunt villosi.



Folia alterna, lato-ovata, utrimque acuminata, basi in vaginam amplexicaulem desinentia. Flores terminales, racemoso-umbellati: pedunculi communes, et partiales villosi. Calix persistens ex tribus foliolis ovatis, concavis, extus valde villosis. Corolla purpureo-violacea, calice paulo maior, tripetala, petalis orbiculatis, quorum unguis breves. Stamina filamenta sex, rubentia; tria inferiora longiora, infimum imberbe, reliquis barbatis, setulis articulatis: superiorum setulæ luteo-aureæ, duorum lateralium purpureæ: antheræ sex, in filamentis longioribus violaceæ, polline onustæ; in brevioribus sulphureo-aureæ, quæ polline videntur orbata. Germen superum, album, oblongo-triquetrum: stylus ruber, nonnihil arcuatus: stigma simplex. Fructus: capsula trilocularis, trivalvis, loculis 3-4spermis. Semina tuberculis exasperata. Habitat in Mexico. ☉. Vidi floridam et fructiferam in Regio horto Matritensi mense Octobri. *Explic.* tab. *a* Flos inferne spectatus. *b* Idem antice visus. *c* Genitalia. *d* Stamen. *D* Idem auctum ut appareant setularum articuli. *e* Stamen superius. *f* Fructus. *g* Idem dehiscentis. *i* Semen. *I* Idem auctum. *Obs.* Variat floribus et staminibus violaceis in eadem umbella.

### TRADESCANTIA CRASSIFOLIA. Tab. 75.

83. *TRADESCANTIA* foliis ovato-acutis, concavis, crassis, limbo lanato. Radices teretes, albæ, fibrillis verticillatæ. Caulis herbaceus, durus, teres, flexuoso-erectus, villosus ut et tota planta, ramosus, sesquipedalis. Folia alterna, ovato-acuta; sessilia, vaginantia, crassa, limbo lanato, radiis solaribus exposita pulcherrima calophyllorum instar. Flores terminales glomerati inter duo folia breviora; pedicellis propriis pollicaribus. Calix ut in præcedenti, at paulo brevior, atque foliolis acutioribus. Corolla cœrulea, petalis patentissimis, semipollicaribus, orbiculatis, apice crispis. Stamina filamenta sex æqualia, erecto-divaricata, cœrulea, barbibus concoloribus, articulatis: antheræ ovato-compressæ, cœruleo-nigricantes. Germen superum ovatum: stylus longitudine staminum: stigma peltatum, album. Fructum non dedit. Multiplicatur radicibus. Habitat in Mexico. ♀. Vidi floridam in Regio horto Matritensi mense Octobri. *Explic.* tab. *a* Flos postice visus. *b* Idem antice spectatus. *c* Germen.

### ALSTROËMERIA OVATA. Tab. 76.

84. *ALSTROËMERIA* caule volubili; foliis lanceolatis, superiori pagina lanuginosis, inferiori lucidis: floribus umbellatis: corollis tubulosis. Caulis volubilis contra motum solis, gracilis, duriusculus, tripedalis. Folia alterna, sessilia, lanceolata, apice acutissima, basi in petiolum contracta, ibique contorta, adeo ut inferior pagina sursum spectet, superior deorsum: hæc est lanuginosa, illa vero nitidissima et quasi vernice obducta, limbo revolutus versus paginam lanuginosam: nervus unicus longitudinalis, vix protuberans; lineæque plures huic fere parallelæ a basi ad apicem excurrunt. Flores terminales umbellati: involucrum ex foliolis inæqualibus revolutis, numero radios æquantibus, qui sæpe sunt quinque, ad bracteolam bifidi; unde biflori, pedicellis sesquipollicaribus. Callix nullus. Corollæ petala sex in tubum adproximata, ovato-oblonga: tria exteriora coccinea, apice viridia; interiora viridia, versus summitatem planiuscula, punctisque nigris variegata, lim-



bo inferne utrimque in canalem involuto: omniaque affixa summo germi; faucem patulam sistentia.

Stamina alba, subulata, eidem germi prope petalorum basim adfixa: antheræ ovatæ, fuscæ. Germen inferum, extus viride, sulcis sex longitudinaliter notatum, crenulisque totidem terminatum. Stylus crassiusculus subulatus: stigmata tria acuta.

Fructus: capsula globosa, pollicaris diametri, sexsulcata, margine sexcrenato, superne circumcissa, trilocularis, trivalvis, valvulis concavis, polysperma.

Habitat in Peruvia. Vidi floridam in Regio horto Matritensi mensibus Augusto, Septembri et Octobri: fructiferam mense Februario. 2.

*Explic.* tab. *a* Petalum exterius. *b* Interius. *c* Genitalia. *d d* Fructus.

*Obs.* Differt hæc planta ab *Alstroëmeria Salsilla* Linnæi, figurata a Patre Feuilleé tabula 6. foliis lanatis, et floribus tubulosis.

### COREOPSIS FOETIDA. *Tab.* 77.

85. *COREOPSIS* foliis trilobis, lobis acuminatis, serratis, medio longiore.

Caulis teres, erectus, orgialis, ramosus, brevi tomento glutinoso obductus.

Folia cordata, triloba, lobis latis, acutis, serratis, medio longiore, glutinosa, graveolentia, petiolis basi connatis paulo longiora, omniaque opposita, si excipiantur floralia, quæ sunt sessilia, et lanceolata.

Flores corymbosi.

Calix ovatus, polyphyllus, laciniis sexdecim ovato-acutis, carinatis, duplici ordine collocatis: exteriores octo viridi-nigricantes, hirsuto-glutinosa.

Corolla composita lutea: radii octo, neutri, quorum corolla ovata, oblonga, trinervis, breviter emarginata, et germen album, subtetragonum, oblongum, effatum, stylo orbatum.

Hermaphroditi plures in centro, quorum corolla medio ventricosa, stipitata, tubulosa, apice quinquefido revoluto.

Staminum filamenta quinque minima, summo corollæ stipiti interne adfixa: anthera cylindracea, lutea.

Germen ovato-tetragonum, angulis lateralibus compressum, internis angustioribus, apice bisetosum. Stylus simplex: stigmata revoluta.

Receptaculum paleaceum, paleis ovato-acutis, carinatis.

Semina solitaria, obovata, obscure triquetra, compressa, basi angustiora, apice emarginata, bidentata, denticulis albis, capillaribus, erectis.

Habitat in Mexico. ☉. Vidi floridam in horto Regio Matritensi Octobri et Novembri.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Flos hermaphroditus. *c* Palea. *d* Eadem expansa. *e* Genitalia aucta. *f* Semen.

*Obs.* Planta quasi media inter *Helianthum* et *Coreopsidem*: a maiori characterum numero inter *Coreopsides* prodeat.

### MIMOSA FILICIOIDES. *Tab.* 78.

86. *MIMOSA* inermis: foliis bipinnatis; partialibus sexiugis; propriis numerosissimis, minimis, ciliatis, eglandulosis.

Caulis fruticosus, inermis, ramosus, tripedalis, cortice rubescente tectus, scaber, valde pilosus, præsertim tener, quemadmodum et petioli et pedunculi.

Folia alterna, bipinnata: pinnulis partialibus utrimque sex; propriis septuaginta et amplius, ovato-oblongis, ciliatis, uninervis, basi altera parte latioribus, atque ita adproximatis ut filicis folium referant: stipulæ subulatæ, ciliatæ, marcescentes.

Flores capitati; capitulis pedicellatis in paniculam dispositis.

Calix monophyllus, albicans, minimus, apice quinquecrenatus.



Corolla alba, cuius petala quinque, ovata, calice duplo longiora.  
Staminum filamenta numerosissima, alba in fasciculum divergentem composita, capillo subtiliora, corollâ multo longiora.

Germen ovato-oblongum, compressum, apice acuminatum: stylus subulatus, longitudine staminum: stigma acutum.

Fructus desideratur.

Habitat in Mexico. *h.* Vidi floridam in dicto horto mense Octobri.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus. *b* Germen. *c* Pinna aucta.

*Obs.* Accedet hæc species ad *Mimosam filicifoliam* Lamarck Dict. tomo 1. pag. 13. et fortasse etiam ad *Mimosam Peregrinam* Linnæi?

## COSMOS SULPHUREUS. Tab. 79.

87. *Cosmos* foliis connatis, bipinnatis; pinnulis decurrentibus, ovato-acutis, ultima longiore. Caulis sulcatus, ramosus, pilis hirtus, erectus, quadripedalis.

Folia opposita, bipinnata, pinnulis ovato-acutis, decurrentibus, ultima lanceolata, longiore: petioli basi connati, canaliculati, limbo piloso.

Flores axillares et terminales, longissime pedunculati, pedunculis erectis, unifloris.

Calix duplex, uterque monophyllus, octo-partitus, laciniis lanceolatis, acutis: inferior patens in stellam expansus: interior pallidus, basi tubulosus, postea patulus; huius laciniarum totidem radiis sunt subpositæ, illius vero inter radios alternant.

Corolla composita, saturate sulphurea, diametri sesquipollicaris, cuius radii octo ovati, trinervi, apice tridentati, ut plurimum feminei. In centro sunt flosculi hermaphroditi, tubulosi, limbo quinquefido, revoluto.

Germen in hermaphroditis oblongum, gracile: stylus simplex: stigmata duo reflexa, lutea: in radiis vero germen minimum effatum, stylus simplex erectus, stipatus aliquando filamentis 3-5, castratis.

Stamina in hermaphroditis: filamenta quinque, brevia: anthera fusca, cylindracea, apice lutescens, quinque-dentata.

Receptaculum planum, paleaceum; paleis flores æquantibus, acutis, pellucidis, carinatis.

Semina solitaria, tetragono-subulata, in quorum cuspide aristæ sæpe tres divaricatæ, quandoque nullæ, in quarum basi margo dentatus.

Habitat in Mexico. ☉. Floruit in Regio horto Matritensi mense Novembri.

*Explic.* tab. *a* Flos femineus. *b* Hermaphroditus. *c* Palea. *d* Eadem expansa. *e* Semen. *f* Margo dentatus multoties auctus. *g* Semen aliud triaristatum. *h* Seminis aucti sectio.

## DAHLIA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis duplex: exterior polyphyllus, foliolis (6-7) ovato-spatulatis reflexis: interior monophyllus cyathiformis, laciniis ovatis erectis.

Corolla composita radiata: corollulæ hermaphroditæ plures in centro: feminae in radio. Propria hermaphroditis infundibuliformis, pedicellata: limbo quinquefido: feminis ovata, tridentata, numero laciniarum calicis.

Stamina hermaphroditis: filamenta quinque, basi latiora, fundo corollæ inserta: anthera tubulosa, apice quinque-dentata. Feminis sæpe nulla.

Germen subspatulatum, subtriquetrum, apice emarginatum: stylus filiformis: stigmata erecto-divaricata.

(a) In honorem D. Andreæ Dahl Sueci botanici.



Semina solitaria, subspatulata, subtriquetra.

Receptaculum planum, paleaceum, paleis magnis, in centro carinatis, in radio planis. Papus nullus.

*Obs.* Polymix valde affinis a qua differt radiis tridentatis, et papi defectu.

### DAHLIA PINNATA. *Tab.* 80.

88. DAHLIA foliis oppositis, impari-pinnatis; pinnulis quinque ovatis, crenato-dentatis.

Radix tuberosa persistens.

Caules annui, teretes, duri, ramosi, glabri ut et tota planta, vix tripedales.

Folia opposita, subconnata, inferne glauca, impari-pinnata, pinnulis quinque ovatis, crenato-dentatis, sessilibus, ultima maiore, reliquis oppositis: petiolus utrimque alatus inter pinnularum paria.

Flores terminales et axillares, solitarii, speciosi, maiores quam in *Astere Chinensi*.

Calix duplex: exterior ex 6. 7. foliolis ovatis basi in unguem angustatis, patulis et reflexo-incurvis, striatis, crassis: interioris laciniæ coriaceæ.

Corolla hermaphroditis lutea: feminis magna, coerulesco-rubens, longitudinaliter lineata: inferne dilutior. Anthera lutea: stigmata lanceolata, ciliata.

Reliqua ut supra in caractere generico.

Habitat in Mexico. ♀. Vidi vivam in Regio horto Matritensi mense Octobri.

*Explic.* tab. *A* Calicis foliolum. *a* Radius. *b* Flos hermaphroditus. *c* Palea. *d* Stigmata *e* Anthera secta. *d bis* Semen. *e bis* Idem auctum.

*Obs.* Plantæ quæ superiore anno florere nullum dederunt florem simplicem, sed radiis ornabantur quaterno et quino ordine dispositis: in his atque præsertim in superiorum ordinum radiis stamina observabam, quæ in totidem lingulas abibant naturalem situm et numerum pulcherrime ut ita dicam deformantes, in quibus semina reperi.

### ZINNIA VIOLACEA. *Tab.* 81.

89. ZINNIA foliis ovato-acutis, sessilibus, subconnatis: palarum apicibus fimbriato-serratis.

Caulis teres, pilis numerosis scaber, erectus, ramosus, tripedalis.

Folia opposita, ovato-acuta, trinervia, sessilia, subconnata.

Flores terminales solitarii.

Calix communis ovato-cylindricus, lævis, imbricatus, squamis obtusis, limbo superiore nigro, infra quem macula arcuata eiusdem coloris.

Corolla composita, radiata: in radiis feminæ quatuordecim, oblongo-ovata, superne violaceæ, inferne diluiores, nervosæ, apice sæpe emarginatæ. In centro flosculi hermaphroditi plures, tubulosi, tubo longo, gracili, limbo quinquepartito, revoluto, intus luteo et hirsuto.

Staminum filamenta in hermaphroditis quinque, capillaria, alba: anthera cylindræa, fusca: in feminis nulla.

Germen in hermaphroditis oblongo-ovatum, apice aristatum arista utrimque unica, carnosa: stylus capillaris luteus: stigmata duo. Feminis vero germen ovatum, compressum, superne limbo subciliato: stigmata parum divaricata.

Receptaculum nonnihil elevatum, paleaceum; paleis pellucidis concavis, apice fimbriato-serratis, violaceis.

Habitat in Mexico. ☉. Vidi floridam in Regio horto Matritensi mense Iulio.

*Explic.* tab. *a* Radius pagina superiore spectatus. *b* Idem inferiore. *c* Flos hermaphroditus. *C* Idem auctus. *d* Stamina. *e* Palea. *f* Huius apex valde auctus.



MILLERIA DICHOTOMA. *Tab. 82.*

90. MILLERIA foliis cordatis, pedunculis dichotomis. *Lin. spec. plant. tom. 3. pag. 918.*  
nomine MILLERIÆ QUINQUEFLORÆ.

Caulis subteres, sulcatus, ramosus, 4pedalis.

Folia opposita, orbiculata cum acumine, mollia, serrata, trinervia, in petiolos terminata, qui sunt folio breviores, canaliculati, marginibus connexi, interiecta stipula solitaria, ovata, reflexa.

Flores paniculati, paniculis trifidis, dichotomis, pedicellis unifloris.

Calix communis simplex, monophyllus, ventricosus, basi subpentagonus, supra semibifidus, laciniis inæqualibus, concavis, apice subdentatis.

Corolla composita, in qua radius unicus femina fertilis; et hermaphroditi 7-9 steriles. Radii corolla ovata, trifida, lutea; centralium flosculorum dilutior, tubulosa, limbo quinquefido.

Staminum filamenta in his brevissima: anthera fusca, cylindracea: in femina nulla.

Germen in hac ovatum: stylus erectus: stigmata duo lutea, reflexa: in hermaphroditis germen minimum, effatum, stylusque in clavam terminatus.

Receptaculum planum, in quo paleæ minimæ, pellucide flosculos ambientes; palea vero quæ germi femineo adiacet maior est, ovata et concava.

Habitat in Mexico, Panama, Veracruce. ☉. Vidi dumtaxat floridam in Regio horto Matritensi, mense Novembri postea periit.

*Explic. tab. a* Radius. *b* Calix. *c* Flos centralis. *d* Stamina. *e* Radii flos extra calicem auctus, cuius germi subiacet palea; germen item absque palea ad latus conspicitur. *f* Calix seminis rudimentum continens.

*Obs.* Linnæanum nomen *quinquefloræ* veritati contrarium in *dichotomam* mutavi, quia calices vidi semper 7-9 flores.

CARDUUS PINNATIFIDUS. *Tab. 83.*

91. CARDUUS foliis pinnatifidis, tomentosus: nervis lanatis: caule unifloro.

Radix brevis, fibrosa.

Caulis semipedalis, erectus, solitarius, valde tomentosus, ut et tota planta.

Folia alterna, pinnatifida, lobo terminali maximo, in radicalibus rotundato, in caulinis acuto: lobis omnibus denticulatis, denticulis terminatis cuspe acutissima: foliorum nervi lana candida obducti: petioli tandem folio breviores, basi canaliculati et semiamplexicaules.

Flores terminales solitarii.

Reliqua omnino ut in Carduo flavescente.

Habitat in collium radicibus prope Rivas, et in Engueræ collibus, præcipue *en la casa de Santich*. ☉. Floret ultimo Maio et Iunio.

*Explic. tab. a* Receptaculum. *b* Flos integer. *c d e* Calicis squamæ. *f* Semen papo coronatum.

LATHYRUS FRUTICOSUS. *Tab. 84.*

92. LATHYRUS caule fruticoso: pedunculis bifloris: foliis pinnatis, tomentosus.

Caulis lignosus, bipedalis, valde ramosus, ramis teretibus, tomentosus, dependentibus.

Folia alterna, pinnata, pinnulis utrimque subviginti, ovatis, tomentosus, inferne albis, limboque reflexo, subsessilibus. Stipulæ subulatæ, breves, deciduæ, tomentosæ, petiolo insertæ.

Flores axillares, pedunculis brevibus, albido-tomentosis, bifloris: flos quilibet unistipulatus.

Calix globosus, quinquepartitus, laciniis duabus superioribus duplo brevioribus, inferiore ceteris paulo longiore.



Corolla papilionacea, lutea: vexillum orbiculatum, emarginatum, ab ungue brevi et canaliculata erecto-reflexum: alæ ovatæ, falcatæ, adproximatæ supra carinam, vexillo breviores: carina alis subæqualis, inferne bifida, apice monophylla.

Stamina decem, quorum novem in vaginam crassiusculam coalita, decimum liberum: antheræ ovatæ, luteæ.

Germen oblongum, villosum; stylus arcuatus, adsurgens, superne latior et compressus, vilisque antice præsertim vestitus: stigma simplex.

Legumen oblongum, rectum, dependens, basi angustius, uniloculare, subtomentosum: semina 8-10 obovata.

Habitat in collibus prope Huanuco in Regno Peruano. *h.* Vidi in Regio horto Matritensi: floridum a mense Julio usque ad Novembrem.

*Explic.* tab. *a* Flos antice spectatus. *b* Idem parte postica. *c* Calix. *d e* Vexillum. *f* Alæ. *g* Carina. *h* Génitalia. *i* Stamina. *k* Germen cum decimo stamine. *f* Fructus.

*Obs.* Planta *Orobum* inter et *Lathyrum* media; habitu ad illum accedens ad hunc stylo. Characterem præcipuum quem Linnæus ab stylo desumpsit, recentiores Botanici si non omnino respuunt ut dubium et insufficientem recensent. Iussieu enim in plantarum generibus hæc de illo scripsit pag. 360: *An genus stylo satis definitum? An Tournefortianus folii coniugati character addendus, restitutis aliis generibus commixtis?* Quoadusque ergo Botanici de characteribus conveniant, prodeat hic planta inter *Lathyros*, quam quisque pro lubito alibi collocare poterit.

### ASTRAGALUS GARBANCILLO. *Tab.* 85.

93. ASTRAGALUS caule fruticoso erecto: pinnulis ovato-oblongis, subtomentis sub 31. pedunculis nudis, elongatis.

Caulis fruticosus, erectus, sesquipedalis, ramosus, tomento brevissimo albicante tectus.

Folia alterna, impari-pinnata, pinnulis sub 31. ovato-oblongis, uninervis, subtomentosis.

Stipula amplexicaulis, cucullata, apice bifida.

Flores spicati, unibracteati, pedunculo communi axillari, elongato, nudo.

Calix tubulosus, quinquefidus, laciniis acutis subæqualibus.

Corolla papilionacea, dilute violacea: vexillum ovatum, emarginatum, concavum, limbo reflexo, ungue canaliculata: alæ vexillo breviores, ipsoque tectæ, ovatæ, basi et prope unguem falcatæ: carina brevior, basi bifida.

Stamina decem, quorum novem in vaginam albam coalita, decimum liberum: antheræ sulphuræ, ovatæ, versatiles.

Germen breve, ovatum, tomentosum: stylus rectus, apice reflexus: stigma simplex.

Habitat in Imperio Peruano prope urbem Tarma in locis frigidis vulgo *Puna*, atque etiam in Provincia Huarochiri. *h.* Vidi floridum absque fructu in Regio horto Matritensi mense Octobri et Novembri.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem expansus. *c* Vexillum. *d* Ala. *e* Carina. *f* Genitalia. *g h* Stamina aucta. *i* Germen auctum.

*Obs.* Hæc planta vulgo *Garbancillo* dicta armento est valde noxia, dicente D. Iosepho Pavon.

### PSORALEA LAGOPUS. *Tab.* 86.

94. PSORALEA foliis pinnatis: pinnulis numerosis, oblongis, glabris: alis et carina basi coalitis.

Caulis 4-pedales, erecti, læte virentes, glaberrimi, ut et tota planta, ramosi, ramis alternatim sparsis.

Folia alterna, impari-pinnata, pinnulis 33-37, oppositis, ovato-oblongis, breviter petiolatis: petioli communes teretes, basi turgidi: stipulæ petiolo insertæ, brevissimæ, subulatæ, fuscæ, deciduæ.



Flores dense spicati, terminales.

Calix turbinatus, inferne glaber, semiquinquefidus, laciniis subulatis, punctis fuscis, pilosis.

Corolla violacea, petalis adproximatis: vexillum concavum, integrum, ungue longa, capillari: alæ et carina quasi petala quatuor ovata, non fundo calicis, sed staminum tubo inserta unguiculis brevibus.

Stamina: tubus albicans, basi germen cingens, postea alas et carinam sustinens, atque tandem terminatus filamentis decem exertis, rectis: antheræ sulphureo-rubentes.

Germen minimum, ovatum, superne villosum: stylus filiformis: stigma simplex.

Fructus: legumen minimum, ovato-reniforme, monospermum. Semina reniformia.

Habitat in Mexico. Vulgo nominatur *Terciopelillo*. ☉. Vidi floridam mense Novembri in dicto horto.

*Explic.* tab. *a* Flos multoties auctus. *b* Vexillum. *c* Staminum tubus alas, et carinam sustinens. *d* Germen. *e* Fructus magnitudine naturali. *f* Semen.

### PSORALEA RECLINATA. Tab. 87.

95. PSORALEA caule procumbente: foliis pinnatis: floribus dense spicatis, decandris: carina longiore.

Caules teretes, duriusculi, ramosi, annui, procumbentes, vix pedales.

Folia sparsa, impari-pinnata, pinnulis 7-13, sessilibus, lanceolatis, inferne glaucis, parce villosis, punctisque fuscis protuberantibus. Stipulæ petiolo adnatæ, villosæ, setaceæ.

Flores terminales, spicati, spica densa, pollicari, valde villosa, in qua flos quilibet sessilis, bractea suffultus arcuato-erecta, villosa, punctis fuscis variegata.

Calix minimus, tubulosus, monophyllus, semiquinquefidus, laciniis subulatis, pilosis, punctatis.

Corolla dilute violacea, calice paulo longior: vexillum ovatum, plicatum, macula alba utrimque prope unguem capillarem notatum: alæ ovatæ, inferne lunatæ, vexillo breviores: carina vexillo longior, dipetala, ovata.

Stamina decem monadelphæ, apice libera: antheræ subrotundæ, fuscæ.

Germen ovatum, apice villosum. Reliqua ut in præcedenti.

Habitat in Mexico. . . . Vidi vivam ubi supra.

*Explic.* tab. *a* Flos. *b* Idem auctus, cui bractea adhæret. *c* Vexillum plicatum. *d* Idem expansum. *e* Ala. *f* Carina expansa. *g* Stamina. *h* Germen. *i* Fructus magnitudine naturali. *k* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> A reliquis speciebus distinguitur carina petalis longiore.

2.<sup>a</sup> Duæ certissime existunt Psoraleæ species foliis pinnatis, et decandrarum, quæ proinde ad *Daleam* nequeunt revocari, quamquam contrarium suspicatus fuerit Cl. Iussieus. An recte iste reproduxit in plantarum generibus *Dalea* genus a Linnæo, primo auctore, spretum et e catalogo expunctum? Auctores certe sub eodem genere collocarunt plantas, staminum numero discrepantes, fructu similes. Quare etiamsi *Dalea* pentandra semper observetur, quod ulterius examinandum est, poterit nihilominus ad *Psoraleam* revocari, quod fecit Linnæus.

### ONOPORDUM UNIFLORUM. Tab. 88.

96. ONOPORDUM acaule, uniflorum: foliis pinnatifidis lanuginosis, dentatis, dentibus spinosis.

Radix fusciformis, fusca, ex qua folia prodeunt lanugine alba obducta, pinnatifida, dentata, dentibus spina flava terminatis.

Flos solitarius, sessilis, flosculis omnibus tubulosis, fertilibus.

Calix imbricatus squamulis numerosis, glabris; exterioribus brevioribus, atque omnibus terminatis acumine rigido, spinoso.



Corollæ tubus gracilis versus apicem incrassatus limbo erecto, quinquefido.

Staminum filamenta quinque brevia: anthera longa, tubulosa, apice quinquedentata, dentibus erectis.

Germen turbinato-ovatum: stylus filiformis; apice breviter bifidus.

Receptaculum nudum, alveolare.

Semina solitaria, coronata papo longo.

Habitat in Catalauniæ Principatu. Vidi siccum communicatum a D. Palau.

*Explic.* tab. *a a* Squamulæ calicinæ. *b* Flosculus. *c* Idem auctus. *d* Anthera valde aucta et expansa. *e* Semen.

## WILLDENOWA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis duplex, uterque polyphyllus: interior cylindræus, squamis numerosis, linearibus: exterior patulus, brevior, squamulis setosis.

Corolla composita radiata: radii octo feminæ, quibus corolla ligulata, rotundata. In centro flosculi plures hermaphroditi, quibus corolla tubulosa limbo 6. 7-8fido, laciniis linearibus angustissimis.

Staminum filamenta in radiis nulla; in hermaphroditis quinque capillaria: anthera cylindrica.

Germen oblongum, coronatum aristis quinque, alternantibus cum totidem squamulis brevibus. Stylus simplex semitrifidus: stigmata tria setacea.

Receptaculum paleaceum, paleis monophyllis, brevissimis, urceolato-dentatis.

Semina solitaria, oblonga, subpentagona, basi acutiora, coronata aristis quinque, erectis.

*Obs.* Genus *Tageti* affine a quo differt calice duplici, disci corolla 6-8fida, receptaculo paleaceo atque stigmatum numero.

## WILLDENOWA GLANDULOSA. Tab. 89.

97. WILLDENOWA foliis pinnatis: pinnulis ovatis, dentatis, glandulosis.

Radix perennis ex qua caules exsurgunt annui, tripedales, teretes, rubentes, glabri.

Folia adproximata, alterna, raro opposita, rigida, impari-pinnata, pinnulis ovatis, oppositis, decurrentibus; denticulis, teneris præsertim, setosis; setulæ reperiuntur etiam inter oppositiones foliorum: in horum foliorum peripheria exstant glandulæ ovatæ, transparentes, initio luteæ, vetustate obscuriores.

Calicum squamulæ terminantur setula rubra, ad cuius basim glandula unica in exteriori calice, duplex in alio.

Corolla coccinea, hermaphroditorum dilutior.

Anthera luteo-coccinea.

Reliqua ut supra in caractere generico.

Habitat in Mexico. Vidi vivam in Regio horto Matritensi mense Decembri.

*Explic.* tab. *a* Calices. *b* Radius. *c* Flosculus hermaphroditus. *d* Huius corolla expansa.

*e* Stylus. *f* Anthera expansa. *g* Aristæ germen coronantes, auctæ. *h* Palea aucta. *i* Aristæ unica aucta. *L* Folium.

*Obs.* Quamquam stylos viderim semper semitrifidos, observandum ulterius est in maiori plantarum numero an singularis hæc nota constans sit.

(a) In honorem D. Caroli Ludovici Willdenow, qui Floram Berolinensem dedit, Genera difficillima Achilleam et Amaranthum illustravit auxit atque

Iconibus nitidissimis ornavit, Linnæi Philosophiam botanicam emmendavit et auxit recentiorum inventis, atque operibus.



SERRATULA MOLLIS. *Tab. 90. fig. 1.*

98. SERRATULA acaulis, uniflora: foliis pinnatis, inferne tomentosis.  
 Radix ramosa fibrosa, ex qua flos unicus prodit, pedunculo sustentatus brevi tomentoso.  
 Folia omnia radicalia, pinnata, pinnulis obovatis, superne nudis et saturate viridibus, inferne candidis, tomentosis.  
 Flos unicus magnus pro plantulæ conditione.  
 Calix subtomentosus, imbricatus squamulis lanceolatis, inermibus, interioribus longioribus.  
 Corolla composita, tubulosa, uniformis, violacea: tubus gracilis, versus apicem ventricosus, limbo quinquefido.  
 Stamina filamenta quinque, brevissima: anthera cylindracea, apice quinquecrenata.  
 Germen ovatum: stylus filiformis: stigmata revoluta.  
 Semina solitaria ovata, coronata papo sessili.  
 Receptaculum paleaceum, paleis profunde multifidis, germen cingentibus, acutis, luteis.  
 Habitat in Castellæ collibus vulgo *alto de la Recilla*, la Guardia, et in montibus Engueræ Regni Valentini: hic vivam observavi, illic reperit D. Michaël Barnades. ☉. Floret toto Iunio.  
*Explic. tab. A* Flosculus. *B* Semen. *c* Germen palea cinctum.

ÆGILOPS SQUARROSA. *Linn. Tab. 90. fig. 2.*

99. ÆGILOPS spica subulata, aristis longiore. *Linn. spec. plant. tom. 4. pag. 317. Lamarck Dict. tom. 2. pag. 346. Schreb. gram. tab. 27. fig. 2. apud ipsos.*  
 Radix fibrosa, brevis, ex qua culmi prodeunt semipedales et amplius, articulati, inferne prostrati, postea erecti.  
 Folia alterna, lineari-acuta, vaginâ breviora, ciliata.  
 Flores spicati, spica terminali 2-3 pollicari: flosculi alterni, sessiles, rachi excavatæ adpressi.  
 Calix bivalvis, triflorus, valvulis coriaceis, concavis, apice emarginatis, denticulo altero brevioris; striatis, in striis spinulæ brevissimæ, erectæ; flores duo exteriores hermaphroditi, medius masculus.  
 Corolla hermaphroditis bivalvis, valvula exteriori breviter aristata; interiori ovata, mutica: aristæ longiores in flosculis superioribus; masculis corolla mutica.  
 Reliqua ut in congeneribus.  
 Habitat in Aragonia et in Engueræ montibus prope fontem vulgo *de la Rosa*. ☉. Floret Maio et Iunio.  
*Explic. tab. a* Flos integer. *b b* Calicis valvulæ. *c* Corollulæ tres. *d* Flos hermaphroditus. *e* Valvula corollina longiore arista. *f* Semen. *g* Rachis.

CYNOSURUS LIMA. *Linn. Tab. 91.*

100. CYNOSURUS spica secunda; calicis gluma interiori spiculis subiecta. *Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 199. Lamarck Dict. tom. 2. pag. 187. Loëfl. iter. 41.*  
 Radices capillares, breves, albicantes, ex quibus culmi prodeunt vix semipedales, graciles, erecti, inferne geniculati, terminati spica solitaria sesquipollicari.  
 Folia vagina breviora, acuta, limbo vetustate introrsum plicato adeo ut iuncea appareat.  
 Flores spicati, spiculis secundis, sessilibus, duplici serie arcte imbricatis.  
 Calix diphyllus, 12-florus, foliolis subulatis longis, exteriori carinato-compresso, longiore.  
 Corolla bivalvis, valvula exteriori carinata, acuta; interiori brevioris, plana.  
 Stamina tria, brevia, capillaria: antheræ oblongæ.  
 Germen ovatum: styli duo villosi: stigmata simplicia.



Semen oblongum, utrimque acutum.

Habitat copiosissime prope Rivas, Cerro negro, et in Matriti viciniis. Vidi etiam in Regno Valentino prope Moxente ad viam regiam. ☉. Floret Maio.

*Explic.* tab. *a* Spinula aucta. *b* Calix. *c* Flos unicus.

### POA ERAGROSTIS. *Linn. Tab. 92.*

101. *Poa paniculata*, paniculæ ramis alternis solitariis: corollis trinervis: spiculis lato-lanceolatis.

*Briza* spiculis lanceolatis: flosculis viginti. *Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 195.*

*Poa panicula* patente: pedicellis flexuosis: spiculis serratis decemfloris; glumis trinervis. *Linn. ibid. pag. 188.*

*Briza panicula* oblonga: spiculis lanceolatis, multifloris. *Lamarck Dict. tom. 1. pag. 464.*

*Gramen amouretes.* *Clus. hist. 2. pag. 218.*

*Gramen eranthemum* seu *eragrostis* &c. *Barrel. icon. 46. 744.*

*Gramen paniculis elegantissimis*, sive *eragrostis maius.* *Bauh. pin. 2. Tournef. 522. Scheuchz. Gram. 194.*

*Radix* fibrosa, albicans, ex qua culmi prodeunt plures, ramosi, prostrati, pedales et amplius, nodis rubentibus.

*Folia* striata, acutissima, triuncialia, sesquilineam lata, vagina tumida, ad cuius initium pilorum albicantium fasciculi.

*Flores* paniculati, panicula densa, ramulis undulatis, alternis, solitariis, in quibus spiculæ oblongæ, lato-lanceolatæ, alternæ.

*Calix* multiflorus (10-25), cuius gluma bivalvis, valvulis inæqualibus, concavis, deciduis, absque striis.

*Corolla*: gluma bivalvis, exteriore concava, striis ornata tribus, altera dorsali, reliquis lateralibus: gluma interiore plana in modum operculi.

*Staminum* filamenta tria capillaria: antheræ oblongæ.

*Germen* globosum: styli duo villosi, recurvi.

*Semina* solitaria, rufa, globosa intra corollam.

Habitat in arenosis humidis ad fluminis Manzanares ripas. ☉. Floret Iulio una cum *Lythro thymifolio*, *Sisymbrio aspero*, *Peplide portula*, *Hyperico humifuso* &c.

*Explic.* tab. *a* Spicula aucta. *b* Corolla. *c* Corollæ valvula exterior. *d* Genitalia. *e* Semen.

*Obs.* In unum coniungo *Poam* et *Brizam* *eragrostidem* *Linnæi*; hæc genera difficillime distingui posse dixi supra pagina 34., quia characteres, quibus rite ab invicem separentur, nulli existunt; calicis enim foliola nunc æqualia, nunc inæqualia observantur; apex item glumarum fere semper scariosus est in *Poæ* et *Brizæ* speciebus. In supra descripta planta quam inter *Brizas* recensuit *D. de Lamarck*, omnia observantur, quæ *Linnæus* pro *Poa eragrostide* requirit si florum denarium numerum excipias, qui haud frequens est in nostris plantis, quamquam exemplaria offenderim, cuius paniculæ variant spiculis 10-25 floribus.

### POA VERTICILLATA. *Tab. 93.*

102. *Poa paniculata*: paniculæ ramis verticillatis flexuosis: spiculis subulato-compressis.

Omnia in hac planta sunt præcedenti similia si paniculam, et spiculas excipias.

*Paniculæ* rami sunt verticillati, ramosi, flexuosi, multoque longiores, quam in præcedenti.

*Spiculæ* numerosissimæ, angustissimæ, subulato-compressæ, in quibus sæpe et calix et glumæ inferiores decidunt: culmi sunt item prostrati et plusquam pedales.

Habitat floretque cum præcedente. ☉.

*Explic.* tab. *a* Spicula valde aucta. *b* Alia ex qua et calix et flores inferiores ceciderunt.

*c* Flos auctus.



LOËFLINGIA HISPANICA. *Linn. Tab. 94.*

103. LOËFLINGIA foliis oppositis, mucronatis: stipulis appendiciformibus.  
 Loëflingia hispanica. *Linn. spec. plant. tom. 1. pag. 95. Loëfl. iter. 113. tab. 1. fig. 2. apud Linnæum.*  
 Radix albicans, teres, parum fibrosa, ex qua caules prodeunt spithamei, subdichotomi, prostrati, procumbentes, viscidi.  
 Folia opposita, minima, mucronata, stipulata; stipulis appendiciformibus, inferne denticulatis.  
 Flores solitarii, axillares et in bifurcationibus.  
 Calix quinquephyllus, foliolis mucronatis, basi latioribus, concavis, quorum tria exteriora inferne biaristata; duo reliqua interiora fere semper mutica.  
 Corolla alba, minima, petalis quinque obovatis, emarginatis.  
 Stamina filamenta tria, hypogyna, corolla breviora: antheræ ovatæ, dydymæ.  
 Germen superum, ovato-acuminatum: stylus simplex: stigmata tria.  
 Capsula ovato-acuta, unilocularis, trivalvis, polysperma.  
 Semina minutissima, ovato oblonga.  
 Habitat in Regis prædio rustico, vulgo *Casa del Campo*, copiose autem in tractu inter sepimentum et *Xaral*, solo scilicet arenoso et culto. ☉. Floret ultimo Maio et Iunio. Eodem tempore ibidem florent *Herniaria glabra*, et *hirsuta*: *Arenariæ serpillifolia*, *multicaulis*, et *rubra*: *Bromi squarrosus* et *matritensis*: *Cisti ladaniferus*, *laurifolius*, *gustatus*, *ledifolius*, et *salicifolius*: *Bisserrula pelecinus* cum aliis bene multis plantis.

MALVA UMBELLATA. *Tab. 95.*

104. MALVA foliis cordatis: quinquelobatis: floribus umbellatis.  
 Caulis fruticosus, teres, bipedalis, tomentosus præsertim tener.  
 Folia alterna, petiolis subæqualia, cordata, quinquelobata, latitudine longitudinem fere æquante, lobo medio productiore, crenata, inferne subtomentosa, nervis et petiolo valde tomentosis. Stipulæ lanceolatæ, marcescentes.  
 Flores umbellati, umbellis subquinquefloris: pedunculus communis axillaris, solitarius, erectus, elongatus, squamulis ovatis paucis, marcescentibus: radii subpollicares, crassi.  
 Calix duplex: exterior ex tribus, quandoque quatuor foliolis orbiculatis, concavis, extus atropurpureis, deciduis ante casum corollæ: interior basi globosus, superne pentagonus, semiquinquesfidus, laciniis acutis, tomentosus.  
 Corolla campanulata, monopetala, calice duplo maior, profundissime partita in quinque laciniis igneo-violaceas, rotundatas, striatas, quarum basis, qua coeunt in unum corpus, alba.  
 Stamina tubus albicans, corolla paulo brevior, crassus, erectus, innumeris filamentis brevibus onustus: antheræ reniformes, luteæ.  
 Germen superum tomentosum, spherico-compressum, tot sulcis exaratum, quot sunt stigmata: stylus purpureo-roseus, cavus, basi integer, deinde partitus in 50-60 lacinias capillares: stigmata obtusa.  
 Fructus globosus, umbillicatus; capsulis polyspermis.  
 Habitat in Mexico. *h.* Vidi floridam in Regio horto Matritensi Ianuario, Februarii et Martio. Fructus non maturavit; atque in germine aucto vidi semina tria in singulis capsulis.  
*Explic. tab. a* Corolla. *b* Stamina columna. *c* Germen et stigmata.  
*Obs.* A congeneribus differt calice exteriori deciduo: hoc et inflorescentia ad *Dombe-yam* accedit: fructu ad *Sidam*. Planta ergo veluti media inter *Malvam* et *Sidam*.



CISTUS SAMPSUCIFOLIUS. *Tab. 96.*

105. CISTUS fruticosus exstipulatus: foliis ovato-oblongis, carinatis, sessilibus: pedunculis elongatis, ramoso paniculatis.

Cistus folio Sampsuci. *Clus. hist. 1. pag. 72.*

Helianthemum folio Sampsuci. *Tournef. 250.*

Ciste ocymoide. *Lamarck Dict. tom. 2. pag. 18.*

Caulis fruticosus, bipedalis, cortice fusco tectus: rami numerosi, oppositi.

Folia opposita, subconnata, ovato-oblonga, pagina inferiore tomentoso-alba, dorsali nervo prominente. Quæ in ramis vetustioribus proveniunt, sunt brevia, basi angustata et veluti petiolata, Thymi *mastichina* foliis æmula; quæ vero in teneris, qui unice florent, multoties longiora, vere sessilia et connata. Stipulæ nullæ.

Flores in pedunculis pedem aliquando longis, subaphyllis, versus apicem ramosis, ramis oppositis, quandoque alternis, pilosis, multifloris.

Calix ex tribus foliolis ovato-acutis.

Corollæ petala quinque, alba, macula rubente prope unguem notata.

Stamina numerosa, brevia: antheræ luteæ, ovatæ, dydymæ.

Germen superum, tomentosum, ovatum: stylus brevis, rubens: stigma incrassatum, fibratum.

Capsula intra calicem ovata, obscure trigona, tomentosa, trivalvis, polysperma.

Habitat circa Hellin in Regno Murcia, et passim in Boetica. *h.* Floret Iunio.

*Explic. tab. a* Capitulum. *b* Calix. *c* Germen. *d* Capsula.

*Obs.* Descriptio D. de Lamarck a mea nonnihilo recedit, quia ramulos ille vidit vetustos et exsiccatos, nullum tenerum, in quo folia sunt sessilia et a Thymi *mastichina* foliis toto celo diversa.

CISTUS TUBERARIA. *Linn. Tab. 97.*

106. CISTUS exstipulatus perennis, foliis radicalibus ovatis, trinervis, tomentosis; caulinis lanceolatis; summis alternis. *Linn. spec. plant. tom. 2. pag. 598.*

Ciste a feuilles de plantain. *Lamarck Dict. tom. 2. pag. 22.*

Helianthemum plantaginis folio perenne. *Tournef. 250.*

Tuberaria nostras. *I. Bauh. 2. p. 12.*

Tuberaria maior myconi. *I. Bauh. p. 12.*

Radix dura, perennis, sensim descendendo angustior.

Caulis pedales, simplices, inferne villosi.

Folia radicalia supra terram expansa, ovata, versus basim angustata, trinervia, nervis inferne protuberantibus, hacque pagina tomento albo obducta: caulina lanceolata, sessilia, opposita distantia, summa alterna.

Flores in summitate caulis subcorymbosi.

Calix ex quinque foliolis, quorum duo exteriora breviora, lanceolata: tria interna ovato-acuminata, concava.

Corolla lutea.

Stamina numerosa: antheræ ovatæ.

Germen globosum: stylus simplex, brevis: stigma capitatum.

Capsula globosa, trivalvis, polysperma.

Semina ovato-compressa, nigricantia, affixa septis, oppositis valvulis.

Habitat in Catalauniæ Principatu, et in montibus vulgo *desierto de las palmas* prope Benicasi in Regno Valentino. *z.* Vidi vivam.

*Explic. tab. a* Floris capitulum. *b* Capsula cum calice. *c* Eadem aperta. *d* Semina.



EUPATORIUM SQUARROSUM. *Tab. 98.*

107. EUPATORIUM foliis subcordatis, ovato-acutis, serratis: calicibus squarrosis.  
 Caules orgiales teretes, subtomentosi, ramosi, ramis oppositis.  
 Folia opposita, ovato-acuta, subcordata, serrulata, superne saturateviridia, inferne dilutiora, nonnihil tomentosa.  
 Flores racemosi, pedunculis axillaribus, trifloris.  
 Calix communis cylindræus, polyphyllus, imbricatus, foliolis lanceolato-acutis, striatis; quorum exteriora apice reflexa: flosculos continet sub 24.  
 Corolla calice duplo longior composita: flosculi tubulosi, luteo-virides, apice quinquefidi, laciniis brevibus, ovato-acutis, patulis.  
 Staminum filamenta quinque, brevia: anthera cylindræa, lutea, apice quinquefida.  
 Germen oblongum: stylus simplex, profunde bifidus: stigmata lutescentia longa.  
 Receptaculum nudum: papus sessilis, obscure plumosus, corolla brevior.  
 Semina solitaria, parva, oblonga, striata, pilis minimis.  
 Habitat in Mexico. Vidi floridum in Regio horto Matritensi mense Martio.  
*Explic.* tab. *a* Flos situ et magnitudine naturali. *b* Idem in quo calix patulus. *c* Calicis foliolium auctum. *d* Flosculus. *e* Anthera aucta et expansa. *f* Flosculus auctus. *g* Papi plumula. *h* Semen. *i* Idem auctum.

BIDENS CROCATA. *Tab. 99.*

108. BIDENS caule alato: foliis pinnatifidis.  
 Caulis teres, villosus, alatus, orgialis, parce ramosus.  
 Folia opposita, distantia; inferiora hastata, reliqua sinuato-pinnatifida, sinibus nunc amplioribus, nunc angustioribus, denticulatis, omniaque basi angustato-linearia, limbo utrimque decurrente per caulem usque ad nodum inferiorem, quo caulis quadrialatus apparet.  
 Flores terminales et axillares, solitarii, longe pedunculati.  
 Calix globosus, imbricatus, squamulis lanceolato-acutis, adpressis, quarum inferiores breviores.  
 Corolla composita, uniformis, tubulosa crocea: corollulæ infundibuliformes, limbo quinquepartito, reflexo, basi nonnihil pedicellatæ.  
 Staminum filamenta quinque capillaria: anthera cylindræa, crocea apice quinquentata.  
 Germen compressum oblongum, setulis duabus subtilissimis terminatum: stylus simplex, corolla longior: stigmata duo reflexa, crocea.  
 Receptaculum paleaceum, paleis carinatis, apice acutissimo: papus, denticuli duo setosi.  
 Semina solitaria, oblongo-compressa, basi acuta, cincta utrimque membrana diaphana, apice emarginata et bisetosa.  
 Habitat in Mexico. Vidi floridam in dicto horto mense Febuario et Martio.  
*Explic.* tab. *a* Flosculus. *b* Idem auctus. *c* Semen. *d* Palea.

Planta quasi media Spilanthum inter et Bidentem: ad hanc accedit receptaculo paleaceo et corollis omnibus quinquefidis; ad illum vero seminibus membranaceo-marginatis. Dubium nullum existeret si e generum cathalogo Spilanthus expungeretur, in unum consociatis Bidente et Spilantho. Hunc enim a Bidente differre palearum defectu dixit Linnæus: paleas tamen observarunt in receptaculo Bergius, Medicus, Reichardus, Iussieus. Quare D. Lamarck in Dictionario encyclopedico tomo 1. pag. 413. nullum videns solidum momentum, quo Spilanthus staret, cum Bidente Spilanthum coniunxit.



VERBESINA PINNATIFIDA. *Tab.* 100.

109. VERBESINA foliis oppositis, pinnatifidis, per caulem decurrentibus: floribus corymbosis.

Caulis orgialis, teres, subtomentosus, ramosus, ramis oppositis.

Folia scabriuscula, opposita, sessilia, pinnatifida, laciniis serratis, basi angustata, limbo utrimque per caulem decurrente et in alam crispam erecto, adeo ut caulis quadrialatus adpareat.

Flores corymbosi, numerosi, terminales.

Calix obovatus imbricatus, squamulis ovato-acutis, apice fuscis, interioribus longioribus.

Corolla composita, radiata, lutea: radii feminæ sub 14. lineares, trifidi, denticulo medio brevior. Centrales hermaphroditi, tubulosi, limbo quinquefido, laciniis erectis.

Stamina in radiis nulla; in hermaphroditis filamenta quinque brevia: anthera cylindracea.

Germen in omnibus parvum, turbinatum, apice bidentatum: stylus simplex: stigmata duo revoluta, lutea.

Receptaculum paleaceum, planum: paleis longitudine flosculorum, carinatis, oblongis, apice acuto: papus, aristæ duo subtilissimæ.

Semina solitaria, ovata, apice emarginata, et bidentata, basique acuta: centralia observantur longitudinaliter cincta alis duabus: radiorum vero tribus.

Habitat in Mexico.  $\Psi$ . Vidi floridam mensibus Decembri, Ianuario et Februario in Regio horto Matritensi.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Radius. *c* Flosculus centri. *d* Palea. *e f* Semina. *g* Idem absque alis. *h* Idem magnitudine naturali. *T* Caulis sectio.

*Obs.* Semina alata Buphthalmo approximant hanc plantam, quæ ad Verbesinarum calcem rite collocabitur habitu, receptaculo, floribus, papo.

*Finis primi voluminis.*







# PLANTARUM

## QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

### TABULA SYSTEMATICA.

#### CLASSIS 1. MONANDRIA.

LOPEZIA racemosa. . . . . Numero 16. . . . . Tabula. 18.

\* *Rottbollia monandra.*

#### CLASSIS 2. DIANDRIA.

IUSTICIA peruviana. . . . . n. 26. . . . . Tab. 28.  
 ligulata. . . . . n. 79. . . . . Tab. 71.  
 SALVIA fulgens. . . . . n. 21. . . . . Tab. 23.  
 leucantha. . . . . n. 22. . . . . Tab. 24.  
 tubifera. . . . . n. 23. . . . . Tab. 25.  
 mexicana. . . . . n. 24. . . . . Tab. 26.  
 polystachia. . . . . n. 25. . . . . Tab. 27.

#### CLASSIS 3. TRIANDRIA.

*Monogynia.*

LOËFLINGIA hispanica. . . . . n. 103. . . . . Tab. 94.  
 ORTEGIA hispanica. . . . . n. 53. . . . . Tab. 47.

*Digynia.*

PHLEUM schoenoides. . . . . n. 58. . . . . Tab. 52.  
 PHALARIS bulbosa. . . . . n. 70. . . . . Tab. 64.  
 AIRA involucrata. . . . . n. 48. . . . . Tab. 44. fig. 1.  
 POA eragrostis. . . . . n. 101. . . . . Tab. 92.  
 verticillata. . . . . n. 102. . . . . Tab. 93.  
 FESTUCA calicina. . . . . n. 49. . . . . Tab. 44. fig. 2.  
 BROMUS rubens. . . . . n. 51. . . . . Tab. 45. fig. 2.  
 AVENA loëflingiana. . . . . n. 50. . . . . Tab. 45. fig. 1.  
 CYNOSURUS lima. . . . . n. 100. . . . . Tab. 91.  
 ROTTBOLLIA monandra. . . . . n. 41. . . . . Tab. 39. fig. 1.  
 ÆGILOPS squarrosa. . . . . n. 99. . . . . Tab. 90. fig. 2.

\* *Mirabilis viscosa.*

#### CLASSIS 4. TETRANDRIA.

EMBOTHRIMUM coccineum. . . . . n. 71. . . . . Tab. 65.

#### CLASSIS 5. PENTANDRIA.

*Monogynia.*

ANCHUSA lutea. . . . . n. 75. . . . . Tab. 69. fig. 1.  
 COBÆA scandens. . . . . n. 15. . . . . Tab. 16. 17.  
 LUFFA foetida. . . . . n. 9. . . . . Tab. 9. 10.  
 ATROPA procumbens. . . . . n. 80. . . . . Tab. 72.  
 MIRABILIS viscosa. . . . . n. 17. . . . . Tab. 19.



*Pentagynia.*

CRASSULA cespitosa. . . . .	n.	76. . . . .	Tab. 69. fig. 2.
STATICE dichotoma. . . . .	n.	56. . . . .	Tab. 50.

CLASSIS 6. *HEXANDRIA.*

*Monogynia.*

TRADESCANTIA erecta. . . . .	n.	82. . . . .	Tab. 74.
crassifolia. . . . .	n.	83. . . . .	Tab. 75.
PANCRATIUM maritimum. . . . .	n.	62. . . . .	Tab. 56.
ALSTROËMERIA ovata. . . . .	n.	84. . . . .	Tab. 76.
HYACINTHUS serotinus. . . . .	n.	28. . . . .	Tab. 30.

*Trigynia.*

RUMEX polygamus. . . . .	n.	20. . . . .	Tab. 22.
bucephalophorus. . . . .	n.	44. . . . .	Tab. 41. fig. 1.

*Polygynia.*

ALISMA repens. . . . .	n.	61. . . . .	Tab. 55.
------------------------	----	-------------	----------

CLASSIS 10. *DECANDRIA.*

*Digynia.*

CYNANCHUM prostratum. . . . .	n.	7. . . . .	Tab. 7.
grandiflorum. . . . .	n.	19. . . . .	Tab. 21.
monspeliacum. . . . .	n.	66. . . . .	Tab. 60.
ASCLEPIAS linaria. . . . .	n.	63. . . . .	Tab. 57.
mexicana. . . . .	n.	64. . . . .	Tab. 58.

CLASSIS 11. *DODECANDRIA.*

*Monogynia.*

TALINUM reflexum. . . . .	n.	1. . . . .	Tab. 1.
---------------------------	----	------------	---------

*Trigynia.*

EUPHORBIA rubra. . . . .	n.	34. . . . .	Tab. 34. fig. 1.
retusa. . . . .	n.	35. . . . .	Tab. 34. fig. 3.
canescens. . . . .	n.	69. . . . .	Tab. 63.

CLASSIS 13. *POLTANDRIA.*

*Monogynia.*

MENTZELIA aspera. . . . .	n.	78. . . . .	Tab. 70.
CISTUS sampsucifolius. . . . .	n.	105. . . . .	Tab. 96.
tuberaria. . . . .	n.	106. . . . .	Tab. 97.
MIMOSA filicioides. . . . .	n.	86. . . . .	Tab. 78.

CLASSIS 14. *DIDYNAMIA.*

*Gymnospermia.*

SCORDIUM spinosum. . . . .	n.	29. . . . .	Tab. 31.
SIDERITIS ovata. . . . .	n.	54. . . . .	Tab. 48.
NEPETA bipinnata. . . . .	n.	55. . . . .	Tab. 49.



*Angiospermia.*

EUPHRASIA longiflora. . . . .	n.	68. . . . .	Tab. 62.
ANTIRRHINUM sparteum. . . . .	n.	30. . . . .	Tab. 32.
bipunctatum. . . . .	n.	31. . . . .	Tab. 33. fig. 1.
glaucum. . . . .	n.	32. . . . .	Tab. 33. fig. 2.
micranthum. . . . .	n.	77. . . . .	Tab. 69. fig. 3.
CHELONE campanulata. . . . .	n.	27. . . . .	Tab. 29.

CLASSIS 15. TETRADYNAMIA.

*Siliculosæ.*

MYAGRUM sativum. . . . .	n.	72. . . . .	Tab. 66.
VELLA pseudo-cytisus. . . . .	n.	46. . . . .	Tab. 42.
CLYPEOLA ionthlaspi. . . . .	n.	36. . . . .	Tab. 34. fig. 2.

CLASSIS 16. MONADELPHIA.

*Octandria.*

SAMYDA multiflora. . . . .	n.	73. . . . .	Tab. 67.
----------------------------	----	-------------	----------

*Decandria.*

GERANIUM citriodorum. . . . .	n.	8. . . . .	Tab. 8.
-------------------------------	----	------------	---------

*Dodecandria.*

CROTON dioicum. . . . .	n.	6. . . . .	Tab. 6.
-------------------------	----	------------	---------

*Polyandria.*

SIDA glauca. . . . .	n.	10. . . . .	Tab. 11.
virgata. . . . .	n.	81. . . . .	Tab. 73.
MALVA vitifolia. . . . .	n.	18. . . . .	Tab. 20.
angustifolia. . . . .	n.	74. . . . .	Tab. 68.
umbellata. . . . .	n.	104. . . . .	Tab. 95.
HIBISCUS clandestinus. . . . .	n.	2. . . . .	Tab. 2.

CLASSIS 17. DIADELPHIA.

*Decandria.*

LUPINUS trifoliatus. . . . .	n.	65. . . . .	Tab. 59.
ANTHYLLIS cornicina. . . . .	n.	42. . . . .	Tab. 39. fig. 2.
lotoides. . . . .	n.	43. . . . .	Tab. 40.
LATHYRUS fruticosus. . . . .	n.	92. . . . .	Tab. 84.
ASTRAGALUS garbancillo. . . . .	n.	93. . . . .	Tab. 85.
PSORALEA lagopus. . . . .	n.	94. . . . .	Tab. 86.
declinata. . . . .	n.	95. . . . .	Tab. 87.
ORNITHOPUS scorpioides. . . . .	n.	39. . . . .	Tab. 37.
durus. . . . .	n.	45. . . . .	Tab. 41. fig. 2.
TRIGONELLA pinnatifida. . . . .	n.	40. . . . .	Tab. 39.

CLASSIS 19. SYNGENESIA.

*Polygamia æqualis.*

SONCHUS maritimus. . . . .	n.	57. . . . .	Tab. 51.
HYOSERIS cretica. . . . .	n.	47. . . . .	Tab. 43.



ATRACTYLIS humilis. . . . .	n.	60. . . . .	Tab. 54.
CNICUS acarna. . . . .	n.	59. . . . .	Tab. 53.
CARDUUS flavescens. . . . .	n.	52. . . . .	Tab. 46.
pinnatifidus. . . . .	n.	91. . . . .	Tab. 83.
ONOPORDUM uniflorum. . . . .	n.	96. . . . .	Tab. 88.
SERRATULA mollis. . . . .	n.	98. . . . .	Tab. 90. fig. 1.
EUPATORIUM squarrosum. . . . .	n.	107. . . . .	Tab. 98.
ATHANASIA lanuginosa. . . . .	n.	3. . . . .	Tab. 3.
BIDENS odorata. . . . .	n.	12. . . . .	Tab. 13.
crocata. . . . .	n.	108. . . . .	Tab. 99.

*Polygamia superflua.*

DAHLIA pinnata. . . . .	n.	88. . . . .	Tab. 80.
CONIZA spicata. . . . .	n.	11. . . . .	Tab. 12.
CINERARIA minuta. . . . .	n.	33. . . . .	Tab. 33. fig. 3.
WILLDENOWA glandulosa. . . . .	n.	97. . . . .	Tab. 89.
VERBESINA pinnatifida. . . . .	n.	109. . . . .	Tab. 100.
ZINNIA violacea. . . . .	n.	89. . . . .	Tab. 81.

*Polygamia frustranea.*

ENCELIA canescens. . . . .	n.	67. . . . .	Tab. 61.
COREOPSIS foetida. . . . .	n.	85. . . . .	Tab. 77.
COSMOS bipinnatus. . . . .	n.	13. . . . .	Tab. 14.
sulphureus. . . . .	n.	87. . . . .	Tab. 79.

*Polygamia necessaria.*

FILAGO pygmæa. . . . .	n.	38. . . . .	Tab. 36.
MICROPUS supinus. . . . .	n.	37. . . . .	Tab. 35.
MILLERIA contrayerba. . . . .	n.	4. . . . .	Tab. 4.
dichotoma. . . . .	n.	90. . . . .	Tab. 82.
CALENDULA stellata. . . . .	n.	5. . . . .	Tab. 5.
ALCINA perfoliata. . . . .	n.	14. . . . .	Tab. 15.



# DESCRIPTIONES PLANTARUM.

## CAUCALIS MARITIMA *Bauhini. Tab. 101.*

110. CAUCALIS caule prostrato pubescente: foliis tripinnatis villosis: aculeis fructuum compressis luteis.

*Caucalis pumila maritima. Bauh. pin. 153. Bauh. hist. 3. part. 2. pag. 81.*

*Caucalis humilis pubescens, laciniis foliorum obtusiusculis, umbellis involucreatis, fructibus ovatis crassis, aculeis inæqualibus et flavescens donatis. Lam. Dict. tom. 1. p. 657.*

Radix teres, albicans fibrillis aliquot, ex qua caulis prodit prostratus, sulcatus, pubescens, ramosus, semipedalis.

Folia alterna, tripinnata; pinnulis obovatis villosis, quarum color late virens; petioli basi incrassati, semiamplexicaules.

Flores umbellati: pedunculus communis oppositifolius erectus, 3-4-pollices longus, striatus, pubescens: radii sæpe quatuor inæquales, quorum longior pollicaris: involucrum universale ex quatuor plus minusve foliolis lanceolatis brevibus, villosis: partiale brevius, universali simile.

Corollæ rubentes minimæ, villis albicantibus obvallatæ, quarum petala bifida.

Stamina quinque albicantia: antheræ ovatæ, didymæ.

Germen in aliquibus floribus effoetum aut potius obsoletum; in reliquis ovatum cum spinularum rudimentis.

Fructus ovatus, striatus, tres lineas longus, luteus, aculeis compressis acutissimis inæqualibus armatus.

Habitat in arena maritima Sucronensi, et in agris prope Montan. Appellatur vulgo *Cospi*. ☉ Floret atque fructificat mense Maio. Ibidem reperi Cheiranthum littoreum, Convolvulum soldanella, Schoenum mucronatum, Buniam cakile, Iridem spatulatham, Euphorbias paralias, peplidem, et pilosam &c.

*Explic. tab. a Flos auctus. b Fructus magnitudine naturali. c Huius pars interne spectata.*

*Obs. De hac planta egit Linnæus vol. 1. pag. 669, eamque dixit Dauci muricati varietatem. De Iussieu in Reg. hort. Parisiensi ad verum genus Caucalis eam revocavit, quem postea secutus fuit D. de Lamarck in Dictionario Encyclopedico.*

## PHYSALIS SUBEROSA. *Tab. 102.*

111. PHYSALIS caule fruticoso decumbente, 3-4-pedali, cortice suberoso: foliis orbiculatis, nitidis, integerrimis.

Caulis fruticosus, ramosus, decumbens, cuius cortex tener viridis, vetustate vero incrassatur, suberis formam induit, atque fissuris variegatus apparet: ad tres quatuorve pedes exurgit, tuncque ramorum fructuumque pondere decumbit.

Folia alterna, petiolis multoties longiora, orbiculato-acuta, utrimque nitida, limbo subciliato.

Flores solitarii, axillares, pedunculis petiolo subæqualibus.

Calix subtomentosus monophyllus, campanulatus, quinquedentatus, qui sensim inflatur, ore patulo, vel quum baccam continet, tuncque laciniæ aut dentes in setulam capillarem elongantur.

Corolla herbaceo-lutea, calice triplo longior, campanulata, semiquinquefida; laciniis linearibus revolutis, intus glabris, extus tomentosis.

Staminum filamenta quinque, subulata, brevia, imæ corollæ circa germen adfixa, conniventia: antheræ ovato-acutæ, erectæ, conniventes.



Germen superum sphaericum: stylus simplex, subulatus, antheris longior per earum quasi centrum transiens: stigma villosum, subdidymum.  
 Fructus in fundo calicis aucti, estque bacca globosa unilocularis.  
 Semina quinque, dura, compressa, reniforma.  
 Habitat in radice montis in quo arcis vestigia supersunt prope Orcelitanam urbem. Vulgo dicitur *Paternostrera*. ♀ Florebant ibidem mense Iulio Lavendula multifida, Atractylis cancellata, Aizoon hispanicum, Melissa fruticosa &c.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *d* Stamen. *e* Germen. *f* Calix fructifer. *g* Bacca. *h* Semen.

PHYSALIS SOMNIFERA *Linnæi. Tab. 103.*

112. PHYSALIS caule fruticoso; ramis rectis; floribus confertis. *Lin. sp. pl. t. 1. p. 506.*  
*Mill. Dict. num. 6.*

Solanum somniferum verticillatum. *Bauh. pin. 166.*

Solanum somniferum. *Clus. hist. 2. pag. 85.*

Caulis fruticosus, erectus, 3-4-pedalis, ramosus, tomentosus.

Folia alterna, petiolis longiora, ovata, integerrima, subtomentosa et veluti farinosa.

Flores axillares, subquinque, conferti, pedunculis propriis, brevibus, tomentosis.

Calix ovatus, tomentosus, apice quinquefidus, fructifer inflatus, costis quinque præcipuis, aliisque quinque intermediis.

Corolla luteo-virens, calice paulo longior, campanulata, semiquinquefida, laciniis revolutis.

Staminum filamenta quinque, brevissima, imæ corollæ inserta: antheræ ovatæ conniventes.

Germen superum, ovatum: stylus simplex apice incrassato.

Fructus bacca globosa, rubra, vix pisi magnitudine, semina continens plurima, ovato-compressa.

Habitat passim in regno Valentino. ♀ Floret a Maio ad Septembrem. Vidi mense Maio ad radices montis Saguntini cum Urtica pilulifera, Cacto opuntia, Melica nutante, Polygala amara, Rhamno lycoide &c. Mense vero Augusti altissimam atque læte virentem prope *Castelló de la Plana* in initio canalibus subterranei una cum Polycnemo arvense, Telephio racemoso, Cynosuro aureo, Cencho racemoso &c.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla expansa cum staminibus. *c* Calix expansus extus spectatus. *d* Germen. *e* Anthera aucta. *f* Bacca. *g* Huius sectio. *h* Semen.

*Obs.* Corolla præcedenti similis.

SISYRINCHIUM SPICATUM. *Tab. 104.*

113. SISYRINCHIUM caule compresso: spathis multifloris alternis, in spicam adproximatis.

Caulis articulatus, compressus, bipedalis.

Folia ensiformia, enervia, arcte plicata, atque inferne per internodum vaginantia caulem, per quem excurrunt in alam simplicem.

Flores in spicam semipedalem interruptam congesti, ad singula foliola spathiformia axillares, numerosi, propriisque pedunculis sustentati: inter pedunculos membranæ totidem lanceolata, diaphanæ.

Calix nullus. Corolla supera, lutea, sexpetala, petalis ovato-oblongis, emarginatis, ibique auctis lacinia brevi acuta. Petalorum tria exteriora sunt basi viridia et latiora; interiora angustiora; omnia tamen notantur lineis longitudinalibus, quæ inferne rubent; ungues tandem punctulis ornantur.

Staminum filamenta tria lutea, in corpus coalita, superne libera: antheræ ovatæ incumbentes.

Germen inferum, trigonum: stylus simplex: stigmata tria setacea.



Capsula trigona, ovata, torulosa, apice circumscissa, trilocularis, trivalvis, polysperma.

Semina exasperata, globosa, altera parte acuta.

Habitat in Mexico. Vidi floridum mense Maio in horto botanico Archiepiscopi Valentini in oppido Puzol tertio a Valentia lapide.

Pulcherrimæ atque rariores plantæ ibidem hospitantur ex utraque India atque Canariis insulis idque nullo invernaculo. Viget ibi sub dio atque fructus præbet Annona squamosa, Laurus perseæ et Datura floripondio cum aliis benemultis. Huius ultimæ fructum vidi mense Septembri fere similem fructui Daturæ Stramonio, aculeis scilicet armatum. Quare aut diversam ab hac pinxit atque descripsit Cl. Fewilleus pagina 761, tabula 46, aut fructum aculeos prætermisit. In Regio horto Matritensi quotannis floret, nunquam hucusque fructificavit.

### SALVIA INVOLUCRATA. Tab. 105.

114. SALVIA foliis ovato-lanceolatis serratis: floribus spicatis terminalibus, bracteis maximis coloratis.

Caules tetragoni, glabri, 3-4-pedales, ramis oppositis.

Folia opposita, petiolis longiora, ovato-lanceolata, serrata, glabra.

Flores verticillati, verticillis sexflorum, adproximatis in spicam semipedalem terminalem: sub verticillo bractæ duæ oppositæ, sessiles, subrotundo-acutæ, concavæ, roseæ, deciduæ.

Calix rubescens, campanulatus, striatus, ore bilabiato: labium superius unidentatum, inferius bidentatum.

Corolla sexquipollicaris, saturate rosea; pars tubi intra calicem contenta gracilis, alba; quæ vero extra calicem colorata, ventricosa, compressa, pollicem longa: faux pervia, bilabiata: labium superius fornicatum, compressum, tomentosum: inferius trifidum, laciniis lateralibus ovatis brevibus, media latiore concava, orbiculata, crenata.

Staminum filamenta duo, alba, compressa, pedicello adfixa ad labiorum divisionem: antheræ luteæ. In tubi base colorata denticuli duo inferne coaliti.

Germen ac reliqua ut in congeneribus.

Habitat in Mexico. ¶ Vidi floridam in Regio horto Matritense mense Novembri.

Obs. Planta pulcherrima numero atque florum magnitudine, quarum spica terminatur bracteis in strobilum dilute roseum complicatis. A reliquis differt 1.º bractearum magnitudine. 2.º Tubo longo compresso. 3.º Spica densa terminali grandiflora.

Explic. tab. a Calix. b Corolla. c Eadem expansa. d Calix sectus.

### BUPLEVRUM FRUTICESCENS Linnæi. Tab. 106.

115. BUPLEVRUM frutescens; foliis linearibus; involucro universali, partialibusque. Linn. sp. pl. tomo 1. pag. 659. Lamarck Dict. tomo 1. pag. 519.

Buplevrum hispanicum arborescens, gramineo folio. Tournef. inst. 310.

Buplevrum fruticans, angustifolium hispanicum. Barrel. tab. 1255.

Caulis fruticosus, semipedalis, glaber ut et tota planta, ex quo rami prodeunt virgati pedales, graciles, annui.

Folia alterna, sessilia, linearia sæpe glauca, quandoque saturate viridia in umbrosis et humidis.

Flores umbellati, umbellis alternis, axillaribus, et ultima terminali: radii tres, vel quinque breves: involucria universalis et partialia breviora, ex quatuor aut quinque foliolis acutis reflexis.

Corollæ minutæ luteæ: reliqua ut in congeneribus.

Habitat passim in montibus et collibus regni Valentini; præcipue tamen in Buñol. ¶ Flo-



ret Junio, Julio, Augusto et Septembri. Florebat ibidem Buplevrum fruticosum, rigidum et semicompositum: Catananche coerulea: Euphorbia spinosa: Dictamnus fraxinella: Fraxinus ornus: Conyzæ sordida, saxatilis, et rupestris: Linum suffruticosum: Tragopogon picrioides.

*Explic. tab. a* Corolla aucta. *b* Semen.

### IPOMÆA SAGITTATA. *Tab. 107.*

116. IPOMÆA caule volubili: foliis sagittatis: floribus solitariis.

Ex radice perenni caules prodeunt teretes, volubiles, longissimi, glabri, ramosi.

Folia alterna, sagittata, glabra, petiolis longiora.

Flores axillares, solitarii, pedunculis inverse conicis ad florem usque incrassatis, prope medium bistipulatis; stipulæ sunt rubræ, marcescentes.

Calix persistens ex quinque foliolis coriaceis, ovatis, duobus interioribus longioribus, quorum omnium limbus ruber.

Corolla tubuloso-campanulata, violaceo-rubens, magna, limbo quinquecrenato.

Staminum filamenta quinque, longitudine tubi; adnata imæ huius parieti, postea libera, et glabra, basi vero tomentosa: antheræ albicantes, sagittatæ.

Germen globosum: stilus subulatus: stigma incrassatum, mamillare, album.

Capsula globosa, ciceris magnitudine, bilocularis, quadri-valvis, valvulis ovato-acutis, concavis: dissepimentum ovato-acutum, loculis dispermis. Semina extus ovata et lanata, intus acuta.

Habitat in humidis et arenosis prope mare, piscatorum tuguria vulgo *barracas* ornans: vidi primo iuxta lacum *Albufera*, deinde copiose in Castulonis ditione maritima. ♀ Floret æstate; eodemque tempore Polygonum maritimum, Paserina glabra, Crucianella maritima, Lotus creticus, Senecio doria, Gentiana spicata, Agrostis pungens, Ephedra distachia, Salicornia herbacea, et fruticosa, Salsola tragus aliæque innumeræ.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Calix. *c* Stamina cum tubi secti parte cui adhærent. *d* Germen. *e* Stigma auctum. *f* Fructus intra calicem. *g* Capsula dehiscens. *h* Dissepimentum cum seminibus. *i* Semen parte convexa. *k* Idem acuta.

*Obs.* Character certus quo Ipomæa a Convolvulo distinguitur in stigmate consistit; capitato scilicet in Ipomæa, bipartito in lacinias lineares in Convolvulo. Quare plures Convolvuli species ad Ipomæas transferendæ. Consulantur accuratæ observationes botanicæ clarissimi Iacquini pag. 303. vol. 3. Collect.

### CASTULONIS DESCRIPTIO NATURALIS.

Idubedæ<sup>(a)</sup> atque finitimorum montium superato tractu a septentrionibus et solis occasu venientibus maxima occurrit planities, cuius termini fugiunt oculos, quæque intuentium animos tanta voluptate afficit, ut eos consistere tantisper cogat, quousque lustrent saltem illa naturæ, atque artis portenta. Tota enim regio amoenitatis ornamento nunquam spoliata, immensum viridarium apparet. Virent arbores vel sub ipsam brumam, rident agri plantarum varietate et coloribus, cælum liquidum observatur nebulis nullatenus obnoxium, mare demum aspectui gratissimum sese offert, adeo ut nulli terrarum parti pulchritudine planities hæc cedat nisi Valentino tractui. Ferax ubique solum, terra scilicet rubella, quæ accidorum superfusione fervet, aqua vero solvitur in tenuissimas pinguesque particulas. Planities pars montibus subiecta irrigari nequit, quia flumine altior, reliqua versus mare depressior permultis canalibus foecundatur. Plura ibi numerantur nobilia oppida, quorum primum Castulo<sup>(b)</sup>, et hominum numero, et rerum omnium copia: sesquileuca a mon-

(a) Mons est inter septentrionales Regni Valentini altissimus vulgo *Peñagolosa*.

(b) Vulgo *Castelló de la Plana* ut ab aliis oppidis eiusdem nominis distinguatur.



tium radicibus, leuca integra a mare distat. Eius tota ditio sex circiter quadratas leucas complectitur, quarum una cum dimidia Castulonenses irrigant. Præbet ipsis aquas Idubedæ flumen *Millares* vulgo, quæ decem mille pedum spatio per canalem subterraneum fluunt in saxis durissimis excavatum, aut in terra arenosa lapidibus immixta: qui lapides figura plerumque ovali, semperque polita torrentem ibi aut flumen olim exstitisse innuere videntur. Ubi vero canalus ad agros irrigandos pervenit in canaliculos subinde partitur, quibus irrigatio facilis. Agri omnes ut receptam aquam continere valeant ad horizontem aptantur: quare plures in hoc tractu gradus, quibus a mare ad oppidum ascenditur. Mira in omnibus fructuum copia et varietas, quæ agricolarum industriæ ac diligentia tribuenda magis, quam soli fertilitati. Nunquam hoc vacuum: mori atque fructifera arbores agrorum limites occupant, areas Cannabis, Zæa, Triticum, Hordeum, Medicago sativa, cæteraque quæ in solo crescunt consimili. Ex uno Cannabino cortice tredecim mille talenta (vulgo *quintales*) quotannis colligunt Castulonensium incolæ. Irriguam partem occupant Ceratonia, oleæ, vineæ, tantaque illarum copia est, ut triginta et octo mille talenta fructuum quotannis proveniant. Quanta reliquorum summa! At quanto maior plantarum copia atque varietas, quæ Botanicorum animos oblectant! Vel id unum evincet, quod summo gaudio vidi, Pharmacopolam scilicet, qui nunquam hortos viderat, qui libris et Botanicorum commercio destitutus, sexdecim annorum spatio opus perfecit, quatuor iustis voluminibus constans. Ultra papiliones indigenas et aves, plusquam septingentas plantas pinxit, quarum investigavit vires, notans inflorescentiæ tempora et loca ubi sponte crescunt. Mare, montes, arva, rivulos iterum iterumque examinando Floram conficere aggressus est, quam si Linnæus vidisset haud certe Hispanos dormire scripsisset in florum, atque deliciarum centro. Vir hic memoria dignus Castulone est natus anno 1730: eius nomen Ioseph Ximenes, hodieque in plantarum examine solo earum amore ductus insudat tametsi inglorius, nec ullis præmiorum stimulis illectus.

### LINUM SUFFRUTICOSUM *Linnæi. Tab. 108.*

117. LINUM foliis linearibus, acutis, scabris; caulibus suffruticosis. *Linn. sp. pl. tom. 1. pag. 763.*

Linum angustifolium Valentinum, fruticosum, foliis rigidis, et aculeatis. *Tourn. inst. 340.* Caulis fruticosus, semipedalis et amplius, ramosus, ramis sparsis.

Folia sparsa, numerosa, sessilia, lineari-acutissima, rigida, carinata, scabra: scabrities provenit ex setulis innumeris rigidis, quæ oculum fugiunt.

Flores corymbosi, magni.

Calix glaber, pentaphyllus, foliolis ovato-acutissimis, limbo infra cuspidem glanduloso, glandulis utrimque subseptem albicantibus, pedicellatis.

Corolla alba, calice quadruplo longior, petalis quinque, pollicaribus, supra ovatis, sensimque in unguem roseam angustatis.

Staminum filamenta quinque, brevia, basi coalita: antheræ versatiles, sagittatæ.

Germen ovato-acuminatum: styli quinque, filamentis longiores: stigmata globosa.

Fructus ut in congeneribus.

Habitat in collibus siccis prope oppida Gilet, Buñol, et alibi in regno Valentino. *h* Floret Maio et Iunio una cum Convulvulis lineato et capitato, Coniza saxatili, Centaureis conifera et aspera, Stipa iuncea, Astragalus hamoso, incano &c.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Huius foliolum auctum cum glandulis. *c* Stamina. *d* Germen cum stylis. *e* Petalum. *f* Stamen auctum. *F* Folium auctum.

*Obs.* Valde simile Lino tenuifolio a Cl. Iacquino descripto et picto tabula 215 Floræ Austriacæ: nihilominus differre videtur caule fruticoso, foliis undique scabris nedum limbo; et floribus multo amplioribus.



STATICE ALLIACEA. *Tab.* 109.

118. *STATICE* scapo iunceo capitato: foliis lineari-acutis, inferne angustatis.  
 Radix perennis, fusca, teres, ramosa, superne squamata.  
 Scapi radicales, iunciformes, pedales, erecti, glaberrimi, teretes, terminati vagina duarum linearum, et floribus.  
 Folia radicalia, lineari-acuta, versus basim sensim angustiora, superne latiora, lineata, glaberrima.  
 Flores capitati, basi cincti squamulis ovatis, scariosis, pallidis, inferioribus brevioribus.  
 Calix monophyllus, turbinatus, apice dilatatus, scariosus, diaphanus, quinquedentatus, dentibus subulatis.  
 Corolla candida, patens, petalis quinque ovatis, integerrimis, basi acutis.  
 Stamina filamenta quinque, imis unguibus petalorum adfixa, ipsisque breviora, alba: antheræ ovatæ.  
 Germen turbinatum: styli quinque, subulati, divergentes, basi tomentosi: stigmata simplicia.  
 Fructus intra calicem, corolla tectus, ovatus, glaber, apice acutus, cuius transversalis sectio tres sistit partes: media lutea, laterales sunt albæ.  
 Habitat ad radices meridionales montis Montduber in Valldigna, et in monte Orospeña, copiose vero in Engueræ montibus, et in tractu vulgo *Santich*; floret Maio. ¶ Crescebant hic *Serratula mollis*, *Carduus pinnatifidus*, *Buplevrum odontites*, *Carthamus tingitanus*, *Pinus sylvestris*, *Cistique* plures noti.  
*Explic.* tab. *a* Flos postice spectatus. *b* Idem antice. *c* Calix. *d* Petalum. *e* Germen. *f* Stylus auctus, cuius basis tomentosa. *g* Semen. *G* Idem auctum. *i* Huius sectio. *z* Corolla contracta, semen continens.

PANICUM REPENS *Linnæi. Tab.* 110.

119. *PANICUM* panicula virgata: foliis divaricatis. *Linn. sp. pl. tom. 1. pag. 160.*  
 Radix fibrosa, ex qua culmi prodeunt sesquipedales, ut plurimum omnino erecti, aliquando inferne prostrati, articulis rubris distincti.  
 Folia alterna, vaginantia caulem, vagina striata, sæpe villosa, ex qua folia excurrunt tripollicaria, angusta, acutissima, patula.  
 Flores paniculati, panicula erecta, ramosa, nunc contracta, nunc divaricata; in ramis locantur flores ovati, alterni, solitarii, aut bini, pedicellis brevissimis.  
 Calix est gluma uniflora trivalvis, valvulis duabus ovato-concavis æqualibus, tertia minima obtusa: omnibus viridi-purpurascensibus.  
 Corolla bivalvis, valvulis ovatis æqualibus, muticis, intra calicem.  
 Stamina filamenta tria, capillaria, brevia: antheræ ovatæ, crocææ.  
 Germen ovatum: styli duo: stigmata plumosa, saturate violacea.  
 Semen unicum, ovatum.  
 Habitat copiose in humidis regni Valentini, Orcellis, Buñol, præcipue vero in suburbiis Valentia, et in tractu vulgo *Dehesa*. Floret Maio et Iunio cum *Cynosuro aureo*, *Poa eragrostidi*, *Geraniis malacoideo*, murcico, dissecto, et molli, *Cistis salviaefolio*, crispo, albido, *Lavendula stæchas* pedunculis foliosis, *Ipomæa sagittata* &c.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Corolla. *d* Semen.  
*Obs.* Si dicta descriptio cum descriptionibus conferatur, quas *Linnæus* dedit de *Panicis* colorato et repente, aut parum ista ab invicem differre patebit, aut potius unam eandemque plantam ab illo diversis nominibus designatam fuisse. Flos ipsis idem: huius situs, et genitalium color, in quo differentiam specificam possuit, nullatenus diversus: foliorum va-



ginæ villosæ. Restat ergo culmorum figura ramosa aut repens. An ita semper? an solidum fundamentum ad specierum numerum augendum?

Cl. Iacquinus tabula 12, vol. 1. Iconum, plantam dedit ab hac nostra aliquando diversam cui nomen imposuit *Panicum coloratum*. An eadem cum Linnæana?

### AGROSTIS PUNGENS *Pourret. Tab. 111.*

120. AGROSTIS radice repente: foliis subulatis, rigidis, suboppositis.

*Agrostis pungens. Lamarck. Dict. vol. 1. pag. 59.*

Radix teres, luteo-albida, reptans, geniculata; e geniculis radículas capillares demitens, et culmos proferens vix pedales, erectos, sæpe ramosos.

Folia disticha, adproximata et quasi opposita, subulata, rigida, fere pollicem longa, vagina longiora, ultimo excepto, quod brevissimum est, vagina gaudens omnium longiore.

Flores paniculati, panícula densa, terminali.

Calix bivalvis uniflorus, valvulis acutis, inæqualibus, albicantibus, corolla brevioribus.

Corolla bivalvis, valvulis concavis, acutis, muticis.

Staminum filamenta tria, capillaria: antheræ violaceæ, oblongæ.

Germen ovatum: styli duo: stigmata longitudinaliter hispida.

Semen unicum.

Habitat in arena mobili maris Mediterranei. ♀ Vulgatissima per septendecim leucas a Castulone usque ad Sucronem et ultra. Floret Augusto, commitata in littore Valentino Crithmo et Eryngio maritimis, Echinophora spinosa &c.

*Explic. tab. a* Calix et corolla. *b* Calix. *c* Corolla cum genitalibus. *d* Germen: omnia aucta.

### BOERHAVIA PLUMBAGINEA. *Tab. 112.*

121. BOERHAVIA foliis subcordatis, orbiculato-acutis: germinibus glandulosis.

Caules teretes, glaberrimi, ramosi, et nonnihil geniculati, partim erecti partimque procumbentes, bipedales et amplius, quorum cortex initio viridis, vetustate albidus, et fere suberosus.

Folia opposita, distantia, subcordata, orbiculato-acuta, inferne subvillosa, petiolis longiora.

Flores umbellati, umbellis alternis, solitariis, axillaribus: pedunculus communis bipollicaris: partiales breves numerosi.

Calix nullus: corolla supera, monopetala, infundibiliformis, tubo externe notato maculis quinque lanceolatis: limbus est quinquepartitus, patulus, laciniis orbiculatis bifidis: color roseus ad album accedens.

Stamina tria, capillaria, recurva, corolla longiora, summo germine inserta: antheræ violaceæ, didymæ.

Germen turbinatum, striatum, cinctum apice tuberculis pedicellatis: stylus simplex, albus, staminum longitudine, ex germinis apice nonnihil cava prodiens: stigma peltatum, violaceo-rubrum.

Fructus turbinatus, striatus, coronatus apice tuberculis pedicellatis; qui vero per strias sunt disseminati, sessiles.

Semen unicum, oblongum, tectum pelle coriacea.

Habitat ad radices Orcellitani montis, in quo fundatum est Seminarium conciliare. ♀ Crescunt ibi *Thymus piperella*, *Teucria capitatum* et *libanitis*, *Nepeta violacea*, *Marrubium hispanicum*, *Viola cenisia* &c.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Genitalia. *c* Germen, stylus, stigma. *d* Fructus paulo maior magnitudine naturali. *e* Semen.



*Obs.* Hæc planta affinis videtur Hervæ purgationis Fevillé tab. 18, et Boerhaviæ scandenti Iacq. hort. tomo 1. tab. 4.

### CERATONIA SILIQUA *Linnæi. Tab. 113.*

122. CERATONIA foliis alternis, pinnatis, quinqueiugis; foliolis ovatis.

Ceratonia siliqua. *Linn. sp. pl. tom. 4. pag. 364*, ubi videndi auctores reliqui.

Arbor 20-30-pedes alta, cuius rami robusti sæpe horizontales in quindecim pedum longitudinem excrescunt: lignum durissimum rubescens: cortex tener cinereus, temporum lapsu fuscus, fissurisque variegatus.

Folia fere pedalia, semper virentia, alterna, pinnata, quinqueiuga, foliolis ovatis, nitidis, coriaceis, apice sæpe emarginatis.

Flores racemosi, racemis numerosis, qui semper locantur in vetustioribus ramis: racemi sunt masculi, feminæ, aut hermaphroditi in diversis arboribus; adeo ut si diversorum sexuum flores in eadem arbore reperiantur, non id naturæ sed arti, insertioni scilicet, tribuendum est.

Calix brevis, rubescens, quinquedentatus, patens, coriaceus: corolla nulla.

Staminum filamenta in mare et in hermaphrodito quinque, subulata, patentia, calice quadruplo longiora, inserta calicis denticulis inter harum superficiem et corpus callosum, germen hermaphroditi, aut illius in mare rudimentum cingens: antheræ incumbentes, biloculares, quarum epidermis fusco-rubra, pollen vero sulphureum.

In femina filamenta nulla: antherarum rudimenta quinque, sessilia, et incarcerata in calicis dentibus, in quibus pollen nullum.

Germen in mare nullum: in femina et hermaphrodito superum, arcuatum, lineare, tomentosum: stylus vix ullus: stigma peltatum bilobum.

Fructus: legumen non dehiscens, semipedale et quandoque longius, compressum, rectum, aut recurvum, initio viride, dehinc flavum atque tandem castaneæ coloris: intus carnosum, multiloculare, isthmis scilicet divisum, in quibus locantur semina solitaria, dura, nitida, compressa, ovata, altera parte angustiora, qua filo capillari adhærent receptaculo longitudinali.

Habitat in collibus temperatis, atque in agris contiguis aridis regni Valentini. *h* Bis floret autumno scilicet et hiberno tempore; copiosius tamen Augusto et Septembri, quam Februario mense. Germina foecundata, parum crescunt usque ad Aprilem, postea vero integro vere augentur, quousque tandem ultimo Augusto et Septembri colorem induunt castaneum, tuncque maturi sunt fructus. Quare in eodem mense arbores onustæ conspiciuntur fructibus floribusque innumeris.

*Explic.* tab. *A* Racemus masculorum. *B* Flos separatus magnitudine naturali. *C* Stamen auctum. *D* Feminarum racemus. *E* Flos auctus in quo antherarum rudimenta. *F* Fructus. *G* Semen. *H* Folium. *I* Flos hermaphroditus magnitudine naturali.

### OBSERVATIONES.

Plures in regno Valentino excoluntur arbores maximo incolarum beneficio. Primatum obtinet Morus alba, quæ irriguos agros fere occupat, nonnullos etiam tractus pluviis dumtaxat irrigandos, valles scilicet Benasal, Pego aliorumque oppidorum in quibus læta vivit, minus obnoxia morbis, quam in Sucronis ripis. Post morum commendanda Olea europea, quæ solum amat terreum et temperatum: quodsi in siccis crescat, fructus edit sapidiore. Sequitur Ceratonia siliqua, frigoris impatiens, longæva, cui solum convenit saxosum et siccum, colles præcipue et montium radices. Amigdalus communis præstat cæteris, supra dictis exceptis: crescit præcipue in terra sicca et albicante iuxta montium radices et depres-



siora loca per tractus longissimos *Foya* scilicet *de Castalla*, et maritima omnia Dianii, Xixonæ, Lucenti &c. : ferrum potius, quam frigora timet: eius vita brevis si cum Ceratonia comparetur. Ficus tandem Carica et Quercus illex montes ornant atque superiores valles ut plurimum frigidæ. Ex quibus arboribus unam in præsentiarum seligo elucidandam Ceratonium.

Ab occasu venientibus, superato monte vulgo *Puerto de Almansa*, quo Murciae et Valentiae regna separantur, vallis occurrit gratissima duplici montium tractu contenta, quorum qui dexteram tenet in Sætabim tendit, qui sinistram vero in Carceris saltus. Iacent ad priores radices Fuente de la higuera, Moxente, Vallada; ad alterius autem contra dicta oppida Montesa, arx olim fortissima, quæ tarremotibus funditus eversa fuit anno 1748, et paulo longius Llanera et Roglá. In hac igitur valle, quæ tredecim lapidibus a mare distat, Ceratoniae conspiciuntur, nunc oleis immixtæ in agris qui rigari nequeunt, nunc montium radices occupantes: adeo ut sive recta in Sætabim tendas, hincque in Valldignam atque Orospedæ radices; sive in Carceris saltus, e quibus in immensam planitiem descendas notam vulgo *Llano de Quarte* nomine, Ceratoniae ubique videntur, oleæ aut vites, tractu excepto qui rigari potest. Nunc vero si a Catalauniæ finibus Valentiae maritima lustrentur per triginta et amplius lapides Ceratoniae passim observantur, quarum numerus supputari vix potest a Peñiscola ad Saguntum usque. Grata sunt ipsis saxa et terra illa quæ sæculorum lapsu ab aquis in planities adpostata fuit, dummodo calore gaudeat, qui gelu nunquam permittat. Vidi enim inter oppida Trahiguera et Vallibona Ceratoniae radices, quarum arbores destruxit hiems horrida anni 1788, quin vicinas oleas vulnerasset. Vidi etiam vallem integram Barig, vix leuca a mari seiunctam, in qua nulla crescit Ceratonia, quamquam in inferiori Valldigna, ipsi subiecta, innumeræ crescant sponte ibi nascentes inter saxa nuda vix terram continentia. Calor ergo huic arbori necessarius est et montosa loca, aut terra sicca.

Multiplicantur facillime seminibus, quæ terræ commissa germinant, sive casu id fiat, sive dedita opera. Atque notandum quod quum boves, aut muli ventrem exonerantes semina cum stercore deponunt, citius ista germinare, quam quæ ex fructu eruta seminantur. Lente crescit arbor perinde ac illæ omnes quarum vita longa et lignum durissimum: secundo tamen ætatis anno orgialis est atque digitum crassa, ramulis alternis ornata, tuncque ipsi cortex virido-ruber, qui annorum tractu induratur, crescit atque finditur. Si nulla hominum cura accederet, cresceret ulterius caudex, ramisque iterum iterumque ramosis obduceretur: attamen ut fructus suo tempore commode colligantur, illorumque paretur magna copia, tum etiam ut et morbi quoad fieri possit arceantur, caudex non ultra quinque pedes crescere permittitur, conservatis tribus aut quatuor divergentibus ramis ad dictam altitudinem, amputatis oblique cæteris et perpendiculari: illis ut arboris substantia in superiores adscendat, hoc ut aëri pateat in interiora aditus. Si e loco natali aut seminario in alium transplantanda sit, mense Februario parentur fossæ sexaginta pedes ab invicem distantes, in quarum singulas arbor immitatur cum radicibus, quæ in fundo expansæ terra teguntur. Debet hæc esse sicca atque sensim disseminari super illas, quæ interim commoventur, elevata tantisper arbore, et alternando demissa iterum: quo fit ut terra undique radices contingat, nulla relicta cavitate. Fossa ita repleta, pedibus comprimitur, tum continuo irrigatur, idque iterandum bis aut ter in mense, si aquæ copia adsit, ut radices succo intumescant. Descendunt hæc haud multum in terra, et ad horizontem ferme parallelæ quaquaversus excurrunt; indurantur tempore et femoris crassitiem acquirunt; quibus arbor firmatur ventis resistens, qui quando validissimi, ramos ad summum findunt atque confringunt, arborem vero nunquam eradicare possunt.

Ceratoniae ut dixi omnes aut masculi sunt, aut feminae aut hermaphroditi: quum vero sine sexuum concursu fructus in natura obtineri non possit, curandum est ut et mares et feminae conserventur in agris, aut in diversis arboribus ut natura monstrare videtur; aut insertionem in una eademque arbore si id utilius aut commodius videatur. Vix agricolam in regno Valentino reperias, quem hæc duo fugiant, scilicet feminam propriorem masculo plus fructus afferre, et masculini sexus præsentiam necessariam esse. Nihilominus tantum



in his hominibus valet parentum consuetudo ut novam arborem insertione feminam constituent, nihil aut parum de marito curantes. Probe norunt, naturam providam ad magnas distantias masculorum auram per aërem transmittere in feminas, hacque de causa mares negligunt: perficeret illa quidem intentum finem, si masculorum inimici nulli essent, hoc est si agricolæ masculos conservarent qui ex seminibus proveniunt; at quum istos videant infructuosos, feminas vero fructiferas, male sibi consulentes extirpant in illis sexum, femineum sufficientes, qui foecundatur uno alterove ramulo casu prodeunte, in quibus masculus conservatur, qui *Iudio bort* vernacule nominatur. Fatendum est tamen, non ubique incuriosos esse agricolas, Sagunti præsertim. Hic enim Dianii, et in Raspeig perplures ne dicam omnes Ceratoniæ ramo ornantur masculo, quo foecundantur feminæ. Experimentis ulterius compertum est, non hermaphroditum, sed vere masculum inseri oportere in unaquaque femina; quia hermaphroditus perpauca fructus, hosque graciles atque breves producit; pollinis item in istis minor copia est quam in masculis.

Compertum id fuit cuidam agricolæ, qui nullum in masculis fructum videns, aliquos vero in hermaphroditis arboribus, ut omnes arborum ramos fructiferos haberet, amputavit masculos, in quorum loco ramulos inseruit hermaphroditos: verumtamen paucorum annorum intervallo paucitate fructuum de errore admonitus in pristinum statum reposuit omnia, singulis nempe arboribus ramum masculum denuo inserens, unde magna fructuum copia apparuit. Utinam huius exemplo cæteri prudentiores fierent! Res certe eorum familiaris magnum incrementum caperet eisdem impensis. Videant quanta diligentia palmarum Ilicis cultores masculos in feminarum viciniis multiplicent: atqui quamquam unus triginta feminas, easque dissitas fecundare valeat, nihilominus tertia palmarum pars masculini est sexus. Itaque Ceratoniæ cultores optime sibi consulent, si singulis arboribus ramum unum masculum attribuant, sive insertione id fiat, sive ipsa natura, reliquos feminas. Atque id quod ad sexum attinet.

Est tamen aliud quod curandum in primis est, quodque neglectum vidi per universum regnum, ramorum scilicet putatio, cum numerosi, vetusti, fatiscentes aut immundi sunt. Peccare se in naturam credunt isti homines, si securim Ceratoniis admovere præsumant, quia a parentibus hanc incuriosam praxim acceperunt, et quia falso credunt ramorum multitudine fructum augeri, eo quod flores non in novis ramulis, sed in vetustis proveniant: attamen certissime errant, suaque parum curant, dum maxime curare videntur. Observentur enim Augusto et Septembri vetustiores arbores, eæ præsertim quarum altitudo et latitudo est circiter viginti quinque pedum, quæque ramis undique obrutæ solis radiis et aëri vix aditum permittunt; illarum interiora florum racemis innumeris ornata, ne dicam tecta conspiciantur: verumtamen si mense Novembri iterum examinentur, quando scilicet foecundata germina dumtaxat remanent, multum horum numerum ab infinita florum copia distare patebit. Duplici id causæ tribuendum est, masculorum scilicet exiguo numero, et ramorum multitudini: horum plerique semimortui sunt, plures crusta pollicari tecti, quæ ex induratis exurgit tuberculis, e quibus pependerit fructus; alii demum ita vicinis approximati ut se invicem noceant. Accedit quod in tanta ramorum multitudine insumatur tota pæne arboris substantia, quæ cæteroqui in fructuum copiam, et perfectionem abiret.

Itaque Ceratoniæ cultores maximam utilitatem reportabunt si in unaquaque ramum masculum conservent; si vetustos fatiscentes et immundos amputent; si læte vigentium denique eos conservent, qui fructibus ferendis magis idonei sint, nec vicinos numero offendant. Oportune id fiet quando fructus maturi sunt Augusto scilicet. Neque florum copia, quæ tunc apparere incipit, detertere debet agricolas quominus inutilibus ramis securim admoveant, quamquam in ipsis flores videant; uberiorem enim hac methodo parabunt sibi messem.

Ceratoniæ sæpe videas tanta fructuum copia, ut unaquæque octingentas libras sustentet. Eorum collectio facilis: ubi primum legumina castaneum colorem induunt, aut cadunt sponte, aut levi percussione cedunt. Robustiores ad id seliguntur arundines<sup>(a)</sup> sexdecim aut

(a) Arundo Donax Linnæi, quæ vulgatissima est ad fluminum et canalium ripas.



viginti pedes longæ, in quibus incurvæ radices conservantur, ut facilius atque commodius legumina pendentia commotione aut ictu ab arbore separentur, quæ exsiccata in horreis reponuntur. Illorum pondus augetur si pluat maturationis tempore; utilissima etiam pluvia eisdem vel ab arbore seiunctis et in terra iacentibus. Leguminum color sapor atque magnitudo non eadem in omnibus arboribus: harum tres varietates cultores numerant vernacule dictas *Melars*, *Llindars* et *Costelluts*. Huic sunt folia maiora, atque saturatius viridia; legumina sæpe pedalia; attamen minus solida minusque gustui grata: illi vero sunt folia breviora, pariterque legumina, quæ solidiora sunt atque dulcissima. Nominantur *Melars* quasi dicas *Melleas*, quia guttulas mellis fructus continet, cuius mellis quandoque tanta copia ut in terram stilet, atque apibus alimentum præbeat. Visitant istæ Ceratonix flores et masculorum pollen ad feminas adsportant; adeo ut si nectaria furentur inopia coactæ, debita persolvant foecundando feminas, fructusque præparantes.

Ceratonix legumina saluberrimum præbent alimentum equis, mulis, cæterisque animalibus; adeo ut in regno Valentino fere neque hordeo, neque avena utantur, sed unico Ceratonix fructu, quo, palea, atque medicamine sativa robusta conservantur animalia. Legumina matura dulcia sunt, at mense Maio et Iunio cum viridia adhuc conspiciuntur, valde styptica: quare si casu animal masticet illa, aut quod peius est deglutiat, fere semper perit: esophago enim hærent legumina, nec facile in stomachum descendunt. Optimum inde Valentini Medici, duce D. Micó, contra lienteriam hauserunt remedium, quod quia præsentissimum certumque est in Pharmacopea Matritensi reperitur hoc titulo: *Iusculum pulli gallinacei Valentini*.

Ceratonix folia ad coria perficienda utilia sunt: lignum denique caminis alendis, aut carboni conficiendo.

#### ANTIRRHINUM CRASSIFOLIUM. Tab. 114.

123. ANTIRRHINUM foliis oppositis, ovatis, crassiusculis, limbo reflexo: floribus laxè spicatis: fauce pervia.

Orontium saxatile thymifolio, flore rubello. *Barr. ic. 1313.*

Antirrhinum saxatile, foliis serpilli. *Bauh. pin. 212.*

Radix sublignosa, brevis, fusca, petrarum fissuris arcte adhærens.

Caules herbacei, spithamæi, teretes, versus apicem villosi præsertim teneri.

Folia opposita, floralia alterna, breviter petiolata, ovata, crassa, limbo revoluto, saturate viridia, parva.

Flores racemosi, racemis laxis terminalibus, in quibus flores alterni, pedunculati, pedunculis ad bracteam axillaribus.

Calicis foliola quinque, lanceolata, quorum superius longius.

Corolla albido-purpurea: tubus inverse conicus, compressus, sulcatus, terminatus inferne calcari brevi obtuso: limbus bilabiatus patens; labium superius bifidum, erectum, laciniis rotundatis emarginatis; inferius latius, profundiusque trifidum, laciniis orbiculatis emarginatis: faux denique pervia.

Staminum filamenta brevissima, quorum duo altiora, omniaque imæ tubi parti adfixa: antheræ ovatæ.

Germen ovatum: stylus capillaris: stigma simplex.

Capsula globosa, parva, calice contenta, bilocularis, bivalvis.

Semina numerosa, minutissima, nigra, ovata.

Habitat passim in montibus Sagunti, Sætabis, Sucronis, Valldignæ, et Engueræ. ☉ Floret tota æstate. In umbrosis crescunt *Asplenium cetarach*, *Iungermania complanata*, quæ colorem incarnatum induit, et *Adiantum æthiopicum*, quod fortasse varietas est *Adiantum capillus-veneris*: alibi vigent *Sedum villosum*, *Cotyledon umbilicus*, *Arum arisarum*, *Trifolium stellatum*, *lapaceum*, *angustifolium*, *Myagrum hispanicum*, *Chrysanthemum corymbosum*, et *montanum*, *Campanula erinoides* &c.



*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Corolla. *c* Huius dimidia pars expansa, labium scilicet superius, ubi genitalia observantur. *d* Labium inferius calcare terminatum. *e* Genitalia aucta. *f* Capsula. *s* Semina. *S* Semen auctum.

*Obs.* Inter Barrelierii Orontia quæ ad Antirrhinum reduxit Linnaeus quatuor notantur designata tabulis 598, 1102, 1103, 1313, quæ in unum hic coniunxit, nominavitque *Antirrhinum organifolium*, addens *plantam esse polymorpham, variantem foliis ovatis et lanceolatis, atque fortasse filiam Antirrhini minoris*. An huius celeberrimi Botanici probandæ semper sunt et opiniones et coniecturæ, quando de plantis præsertim agitur in Hispania crescentibus, quæ foliis discrepare videntur nunc crassis glabris ovatis limboque revolutis, nunc lanceolatis et glutinosis?

## PHOENIX.

### CHARACTER GENERICUS.

#### *Masculi flores.*

Spatha universalis, compressa, altero latere dehiscens: spadix ramosus.

Calix monophyllus, urceolatus, semitrifidus, persistens.

Corolla monopetala, coriacea, triloba, persistens.

Staminum filamenta sex, brevia: antheræ ovatæ, adnatæ interiori parieti filamentorum: germen nullum.

#### *Femina in distincta planta.*

Spatha, spadix, calix et corolla ut in mare.

Staminum antheræ effatæ, steriles.

Germina tria, basi coalita: stylus vix ullus: stigmata tria brevia, fissa.

Fructus: drupa ovata, unilocularis: semina solitaria, ossea.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Eadem est omnino fructificatio palmarum in Hispania crescentium, quas Linnaeus cæterique Botanici vulgarunt ut diversa genera constituentes: sunt hæc Chamærops, et Phoenix ex quibus unicum dumtaxat conservari oportet.

2.<sup>a</sup> In Linnæi Phoenice duo cuiusque floris germina abortum patiuntur, tertio in fructum abeunte; illorum remanent rudimenta, quæ sunt puncta duo fusca in interna corollæ superficie. In Chamærope vero non ita semper: aliquando enim tria, sæpe duo, sæpius unicum remanet.

3.<sup>a</sup> Stamina in Phoenice libera sunt, in Chamærope monadelphæ.

## PHOENIX HUMILIS. *Tab.* 115.

124. PHOENIX frondibus palmatis, petiolis spinosis.

Palma humilis, vel chamæripes. *Bauh. hist.* 1. pag. 368.

Chamæripes tricarpus spinosa: folio flaveliformi. *Ponted. anth. pag.* 147. *tab.* 8.

Chamærops frondibus palmatis: stipitibus spinosis. *Linn. sp. pl. tomo* 4. *pag.* 632.

Radices filiformes, teretes, coronatæ substantia albicante, suberoso-fungosa, eduli: cui imbricantur sub terra petiolorum bases, sublignosæ, luteo rubentes, sensim acutæ, inferne latæ, quarum limbus augetur substantia sicca, fibrosa, intertexta, tegente tunicas inferiores. Petioli longi sæpe pedales, compressi, sublignosi, armati spinis alternis, sursum adpressis ad latera angustiora: dilatantur hi versus apicem atque terminantur folio palmato, laciniis fere viginti octo, lineari-acutis, basi coalitis, pedem longis.

Flores axillares: spatha ovato-oblonga, compressa, intra petioli basim recondita, tuncque edulis: huius limbus lanatus, lana initio alba, postea rufescente.

Spathæ apex inflorescentiæ tempore, Maio scilicet, elongatur, prodiitque per axillas, tuncque finditur altero latere, qua spadix apparet ramosus, ramis alternis, multifloris, in quibus flores sedent alterni.



Calix et corolla luteo-albicantes.

Filamentorum urceolus in femina præsertim germina cingit, atque terminatur sex dentibus, totidem antheras effatas sustentibus, interne adnatas.

Germina in femina in globum adproximata: stigmata longitudinaliter fissa in vulvæ formam. Fructus ovatus, pelle rubenti glabra tectus, in centro continens os durissimum, similiter ovatum, inter quod et pellem caro existit filamentosa, succulenta, dulcis, ossi intime adhærens.

Habitat in regno Valentino, passimque in maritimis. *h* Floret Aprili et Maio, fructus perficit Octobri.

*Explic.* tab. *A* Spatha cum spadice femineo. *B* Idem spadix extra spatham. *C* Spadix masculus. *a* Calix expansus. *b* Corolla situ naturali. *c* Eadem expansa. *d* Filamentorum urceolus expansus. *e* Germina. *E* Germen auctum in quo stigma apparet. *F* Fructus. *g* Huius sectio. *h* Seminis ossei sectio. *i* Stamina in mare. *k* Stamen et anthera aucta.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Hæc species fere semper acaulis est in regno Valentino; nihilominus in tractu illo vernacule dicto *Desierto de las Palmas* nonnullas vidi, in quibus caudex erat bipedalis, quatuor pollices crassus, coronatus foliis, quorum nullum nisi vetustiorum vestigia in dicti caudicis longitudine. In Sicilia, Pontedera teste, altius erigitur ad octo nempe cubitos; foliis idem per integram longitudinem ornatur, si figura supra citata plantam sistat naturali proportione: in Xabææ denique ditone prope Dianium in miram crescit altitudinem. Vidi plures quatuordecim pedes altas, et unam triginta.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Planta hæc perutilis est Valentini regno. Magna enim illius pars, ea scilicet terræ infossa, quæque radicibus incumbit, est edulis; substantia scilicet firma, albicans, dulcis, pollicem est amplius crassa, ac trium pollicum plerumque diametri: flores item dum teneri sunt et spathis semipedalibus inclusi, saporis sunt haud iniucundi: sed folia sunt præcipue quæ utilitatem suppeditant. Hæc enim materia sunt cophinis, storeis, scopis, funiculis, quibus conficiendis occupantur pueri, mulieres ipsi etiam viri hibernis noctibus.

*Obs.* 3.<sup>a</sup> Hanc Valentini vernacule nominant *Margallonera*; *Margallons*: fructus vero *Datils de rabosa*, id est Vulpis dactyli.

## PHOENIX EXCELSIOR.

125. PHOENIX frondibus pinnatis, foliis complicatis ensiformibus.

Phoenix. *Linn. tomo 4. pag. 634. Lamarck Dict. tomo 2. pag. 261.* aliique ibi videndi.

Quamquam in pluribus Hispaniæ provinciis crescat Palma Phoenix, nullibi quod sciam colitur nisi Illice nobilissimo regni Valentini oppido, quod Lucentum inter et Dianium iacet. Numerantur ibi plusquam sexaginta palmarum millia quæ non casu hic illic disseminatæ sunt ut in variis eiusdem regni oppidis, sed in hortis muro circumdatis. Horum solum ad horizontem aptatur, ut commodius irrigari valeat: tum in quadratas areas dividitur centum passuum et amplius, quæ fossis ab invicem separantur, quarum profunditas sesquipedalis est, latitudo orgialis: utramque fossarum ripam palmæ occupant recta positæ, sex circiter pedum intervallo distantes; areas Gossypium peruvianum, Medicago sativa, oleraceæ plantæ aut gramineæ. Sponte germinant illarum fructus, dactyli scilicet quando maturi in terram decidunt; atque plantulæ inde provenientes, ibidem conservantur tribus sexve annis, transferendæ alio, cum opus fuerit. Ad hoc parantur fossæ in loco debito tres pedes profundæ, tuncque eradicantur novæ palmæ, conservata radice, quæ trunco crassior est, ovata, atque radiculis teretibus stipata. Palmulæ in paratas fossas immissæ, terra teguntur ea methodo, quam supra inuimus de Ceratonia agentes, et continuo irrigantur, quod singulis hebdomadis iterandum est. Plantam in nova terra vivere signa sunt, si viridis ea conservetur, si nova folia prodeant. Crescit lente utpote longæva: truncus illi erectus est et solitarius, sexaginta quandoque pedes altus, ut plurimum brevior. Dum orgialis est debitam



crassitiem adquisivit, sesquipedalem scilicet, tuncque foliis ornatur a basi ad apicem, quæ postea aut a cultoribus amputantur, aut tractu temporis fatiscunt et decidunt. Sunt folia decempedalia, alata: eorum foliola duobus ordinibus oppositis sedent, ensiformia, plicata, acuta; petiolo sustentata communi crasso, versus basim aculeato, sensimque ampliato, et caulem amplexante. In palmis vetustioribus caulis apparet nudus per integram longitudinem, exasperatum foliorum veterum cicatricibus, quæ mutuo sese excipiunt, ita ut inter duas inferiores tertia semper existat superior: apex tandem coronatur foliis circiter quadraginta, quorum quæ centrum occupant erecta sunt et breviora; quæ externe locantur, patula atque deorsum recurva; reliquis a centro divergentibus. Raro florent palmæ ante decimum ætatis annum. Vidi aliquas inflorescentiæ tempore Maio scilicet, quarum spathæ quatuor dumtaxat pedibus a terra distabant. Mares sunt aut feminae in distinctis arboribus, nunquam hermaphroditæ. Spathæ sunt durissimæ, bipedales, compressæ, axillares et solitariae, quæ versus apicem finduntur, qua spadix prodit fere tripedalis, ramosus, ramis flexuosis, in scopæ formam primo adproximatis, postea divergentibus. Flores sedent distantes in ramulis: constant calice atque corolla coriaceis tripartitis, quorum lacinia erecta et adproximata sunt: horum color dilute luteus ad album accedens. In masculo numerantur stamina sex brevia, et antheræ totidem oblongiusculæ; germen nullum. In femina vero tria germina basi coalita, quæ totidem stigmatibus terminantur.

Botanicorum plures, veterum præsertim, credidere feminas minime masculis foecundari, negantes horum pollen per aërem ad illas transmitti; quare palmarum alias steriles, alias fructiferas dixerunt: at cultores hodie, ne dicam Botanici, de masculorum munere et necessitate certi, ut feminae foecundentur, fructusque edant, masculos inter feminas multiplicant adeo, ut tertia palmarum pars masculini sit sexus. Palmæ omnes quamquam habitu convenire videantur, nec fructificatione inter se differant, duas tamen præcipuas distinguunt varietates illarum cultores; unam scilicet cuius fructus dulcissimi sunt, quique in arbore nonnihil corrugantur, *Candits* vernacule hac de causa nominati; et alteram, quæ fructus fert stypticos. Edules hi sapidique redduntur levi aceti vulgaris aspersione, qua peracta, biduo eos conservari oportet undique tectos, ut ibi mascerentur. Veruntamen notari oportet diu illos conservari posse, hos vero post macerationem intra quinque dies consumendos esse, quippe qui iis elapsis corrumpuntur.

Læte vivit atque delectatur palma in solo humedo, haud procul ab oris maritimis seiuncto: quam ob rem palmarum hortos bis in mense irrigant cultores, terque etiam si æstus ingravescat. Aqua utitur Illice ex fontibus salsis fluente in Eldæ finibus, qui in rivulum abeuntes, Noveldam præterfluunt, atque in Illicis ditionem intrant irrigandis agris. Utinam cunctis sufficeret, quorum maxima pars, cæteroqui frugifera, nihil aut parum utilitatis adfert pluviarum defectu.

Palmarum cultus difficilis est et plenus aleæ: arboris in primis altitudo; ventorum deinde vis, qua illa undulationes satis amplas peragit; acuti atque frequentes petiolorum aculei; hominum tandem exempla qui ex alto cecidere abunde probant haud satis securum esse ad ipsas ascensum. Nihilominus tanta est Illicentium peritia, audacia tanta ut impavidi, lætique etiam ad altissimam quamque conscendant unico contenti fune, quo arbore et se ipsos laxè cingunt. Itaque altero pede hocque nudo trunco innitentes, atque manibus eodem tempore funem altius elevantes, dici non potest quam brevi ad fastigium perveniant, quanta ibi facilitate arboris comam integram circumeant, fructus visitent, folia amputent, cæteraque perficiant necessaria. Triplici de causa ad palmas conscendunt; prima ut fructus colligant; secunda ut post foecundationem Iulio mense feminarum spadices funiculis ligent ad foliorum petiolos, ne ventorum impetu teneri fructus damni quidquam accipiant, aut penitus separentur; tertia denique ut masculorum folia, et feminarum etiam quæ fructum ferre recusant in conum erectum colligant, quem arcte ligant paleisque tegunt. Fiet hoc opportune ab Aprili ad Iunium; curandumque est ut spadices maneant liberi, quo masculorum flores munere fungentur a natura præscripto. Coni apex tunc temporis apertus relinquitur, ut interiora folia quæ præstantiora sunt, ulterius crescant; Augusto tamen conus absolvitur,



incarceratis undique foliis, qui non nisi Quadragesimæ tempore ligamentis liberatur. Solis luce atque atmosphæræ varietatibus per id tempus privantur folia, quæ proinde viridem exuunt colorem, et lutea apparent, quando in Palmarum Dominica per universam Hispaniam et Italiæ partem distrahuntur. Incommoda ista atque foliorum spoliatio non nisi trienio peracto eidem arbori recurrit.

Si in adscensu periculum existit; et si hoc in firmandis feminarum spadicibus augetur, quantum illud erit in formando et absolvendo cono? Animus oculique reformidant spectaculum, hominis scilicet in eo discrimine constituti, qui postquam in summam arboris altitudinem pervenit, scalam debilem incepto cono aligat duodecim pedes altam, et ad huius superiorem gradum ascendit, ut conii apicem formet, tegat, funibusque contineat. Mortem ipsi minitantem contemni diceres, nisi peritiam hominis, audaciam, consuetudinem cognosceres. Non enim quæstu aut lucro ducitur quod contemni debet si cum discrimine conferratur; sed facilitate, sed consuetudine. Vix duodecim folia ex unoquoque cono proveniunt, quæ vili prætio venduntur. Feminæ vero uberiores messem præbent: earum nonnullæ ducentas fructuum libras; maxima vero pars vix octoginta suppeditat; adeo ut singulis fructiferis octoginta dactylorum libras quotannis assignari possit. Folia quorum magnus numerus amputatur singulis annis exsiccata sole, caminis alendis destinantur. Dactyli vero, dulces præsertim in deliciis habentur: pectorales sunt; stomachum atque intestina debilitata roborant; dissenteriarum quæ ex fibrarum debilitate provenit inimici sunt. Hominem tamen novi roboris plenum, qui neque dulcissimos impune comedebat: ubi enim primum dactylos, amygdala, aut nuces masticabat, eius labra hinc inde intumebant, neque prius tumor evanescebat, quam pustulæ prodirent.

*Obs.* In palmarum hortis sponte crescunt, florentque Iulio mense Cynanchum monspeliacum, Chenopodium botrys, Frankenia levis: hæc ab Illicitanis ut præstans habetur in mitigandis symptomatibus calculosis. Veruntamen Asplenium ceterach, Rosæ caninæ fructus, et quæ potentissima est Arbutus uva-ursi *calculum non solvit, sed sabulum et calculos renales pellit, illosque abire facit cum facilitate, dicente Bergio Mat. med. pag. 380*: quare idem fortasse dicendum de Frankenia.

## USTERIA. <sup>(a)</sup>

### CHARACTER GENERICUS.

Calix quinque partitus, laciniis acutis, persistentibus.

Corolla monopetala, campanulata: tubus patens deorsum ventricosus: limbus quinquepartitus, laciniis emarginatis; quarum duæ superiores erectæ, inferiores patulæ.

Staminum filamenta quatuor, quorum basis callosa, ovata et crassior; apex curvus: longitudo per paria inæqualis: antheræ ovatæ, sessiles.

Germina duo coalita, quæ corpus efficiunt ovatum sulcatum: stylus subulatus longitudine staminum: stigma simplex.

Fructus capsulæ duæ coalitæ; quarum quælibet apice dehiscit valvulis quinque brevibus, reflexis: loculamentum simplex. Receptaculum carnosum, planum qua parte alteri adhæret; convexum ubi sunt semina semifixa: hæc denique sunt ovata, granulosa.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Planta scandens, glabra, foliis alternis hastatis, floribusque solitariis axillaribus.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> A Chelone, cui cæteroqui affine, hoc genus differt fructu bicapsulari, atque quinti staminis defectu.

## USTERIA SCANDENS. *Tab.* 116.

126. USTERIA caule scandente: foliis hastatis alternis; floribus axillaribus solitariis.

(a) In honorem Pauli Usteri Helvetici, Turici Botanici professoris.



Caulis glaber, ramosus, scandens, longissimus.

Folia alterna, hastata, breviora petiolis: hi cirrhi vices gerunt; contorquentur enim atque vicina corpora arcte complectuntur, quo fit ut caulis ramique scandere possint.

Calix campanulatus, profundissime quinquepartitus.

Corolla dilute violacea, aliquando rubescens: per labium inferius et tubi huic respondentis partem lineæ duæ protuberantes excurrunt albicantes, latæ.

Staminum basis ovata, villosa-tomentosa.

Capsulæ compressæ vix ciceris magnitudine.

Semina nigricantia ovata: quæ si lente vitrea examinentur, undique exasperata apparent, et quasi composita ex granulis superimpositis, fulcro longiore laterali sustentatis.

Habitat in Mexico. ♀ Floret tota æstate. Vidi vivam in horto Botanico Exc. Archiepiscopi Valentini in oppido Puzol, et in Regio horto Matritensi.

*Explic.* tab. *a* Corolla secta et expansa, ubi staminum situs atque bases callosæ conspiciuntur. *b* Germen. *c* Filamentum. *d* Fructus. *e* Huius sectio ut capsularum interiora pateant, per quarum medium transit stylus veluti vaginatus. *f* Idem dehiscens. *g* Semen. *G* Idem auctum. *h* Capsulæ pars cum receptaculo.

### TEUCRIUM AUREUM. *Tab.* 117.

127. TEUCRIUM foliis ovatis, crenatis, tomentosis, limbo revoluto: florum spicis terminalibus, ovatis, foliosis.

Teucrium aureum corymbis terminalibus pilosis, foliis ovatis serratis, caulibusque dense lanatis, summitatibus luteis nitidis. *Schreb. unil.* 43.

Polium luteum spicis oblongis; foliis obtusis crenatis tomentosis? *Mill. Dict. num.* 2.

Radix lignosa, fibrillis teretibus ramosis stipata.

Caulis erecti, teretes, fruticosi, vix pedales, ramosi, ramis erectis, tomento brevissimo denso vestiti, cuius color varius ut plurimum luteus, quandoque aureus.

Folia opposita, sessilia, ovata, crenata, limbo revoluto, tomentosa, superiora præsertim et floralia aurei coloris.

Flores terminales, spica ovata, foliosa, densa.

Calix valde tomentosus, quinquedentatus.

Corolla lutea, calice maior.

Stamina atque reliqua ut in congeneribus.

Habitat passim in collibus regni Valentini. ♀ Pulcherrimam varietatem omnino aurei coloris vidi in Carrascal de Alcoy, in Moxente et Engueræ collibus. Floret Maio, Iunio et Iulio. Florent ibi Thlaspi saxatile, Ononis aragonensis, Alyssum spinosum, vernacule *Bufalaga vera*, altera ex quatuor plantis, quæ in pulverem reductæ viperarum venenum destruunt.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix expansus. *c* Germen. *d* Semina.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Vidit Linnæus, Teucris species plurimas esse ulterius examinandas, quarum plures in unam coniunxit Polii nomine: quam ob rem quas vivas vidi describam, atque iconibus repræsentabo.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Planta hæc distinguitur a Polio montano III Clusii pag. 361, et a Polio montano luteo supino, capitulo oblongo Barrelierii tab. 1082, quia florum spicis gaudet ovatis, foliosis, inferne cinctis foliorum involucre. Horum vero auctorum planta quæ Lucenti atque Sætabis colles habitat, partim procumbens est et florum terminatur spicis aphyllis, nec solitariis. Hæc eadem est Teucrium flavicans D. Lamarck Dict. encycl. vol. 2. p. 700, quare a mea diversa. Differt etiam a Polio montano V purpureo flore; quod sat bene delineavit Clusius hist. 1. pag. 362. Caulis enim in Clusiana sunt prostrati, atque tota planta tomento alba: ramuli plures suberecti vix bipollicares, magna florum copia terminati, qui conglomerantur in spicam brevem; horum corolla purpurea aut rosea est. Vernacule no-



minatur *Zamarilla* crescitque in collibus Aranjuez, Chinchillæ, Engueræ, et alibi mense Maio.

*Obs.* 3.<sup>a</sup> Capitula, aut florum spicæ fere semper solitariæ sunt: nihilominus plantam reperi, cuius ramuli tribus spicis pedicellatis terminabantur; totaque erat coloris saturate sulfurei.

*Obs.* 4.<sup>a</sup> Varietas crescit in Valldignæ collibus foliis vix coloratis, quæ vernacule nominatur *Tomello mascle*, qua incolæ ut valde carminante utuntur.

### TEUCRIUM LIBANITIS. *Tab.* 118.

128. TEUCRIUM foliis linearibus, limbo revolutis: spicis ovatis foliosis.

*Polium hispanicum montanum pumilum, rosmarinifolio, flore rubro. Tournef. inst. 207.*

*Polium montanum maius erectum rosmarinifolio. Barr. tab. 1090.*

*Polium montanum pumilum angustifolium, caule incano. Idem tab. 1092, 1093.*

Teucrium libanitis spicis subtrotundis, foliis confertis linearibus, revolutis, integerrimis, cauleque tomentosus. *Schreb. unil. 48. num. 52.*

Radix ramosa, dura, fibrosa, ex qua cauliculi eriguntur spithamæi, filiformes, candido-tomentosi, ita ut calce liniti appareant.

Folia opposita, sessilia, erecta, linearia (omnino rosmarini, sed breviora) limbo revolutis, superne viridia, inferne canescentia.

Flores spicati, spicis ovatis, terminalibus, foliosis.

Calix turbinatus, glaber, monophyllus, apice quinquefido; lacinia superiore longiore, ovata; denticulis duobus inferioribus brevissimis, lateralibus paulo maioribus.

Corolla dilute lutea, aliquando rubescens: labium inferius tripartitum, lacinia media ovata, concava; lateralibus brevibus acutis, supra quas utrimque lacinula ovata.

Stamina exerta, deorsum arcuata: antheræ rubentes.

Germen ut in congeneribus: stylus simplex, per filamentorum paria exurgens: stigma bifidum.

Semina quatuor, in fundo calicis, nigra, ovata, punctulis excavata.

Habitat copiose in monte Urchillo prope Orcellim, in collibus maritimis inter Villajoyosa et Lucentum, tum etiam in Illicitanis et Enguerinis. ♀ Floret Iunio et Augusto.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Calix auctus et expansus. *c* Corolla expansa. *d* Germen, stylus, stigma. *f* Folium auctum, pagina inferiore spectatum.

### TEUCRIUM CAPITATUM *Linnaei. Tab.* 119.

129. TEUCRIUM capitulis pedunculatis: foliis ovatis crenatis, tomentosus, limbo revolutis.

Teucrium capitulis pedunculatis: foliis lanceolatis crenatis, tomentosus: caule erecto. *Linn.*

*sp. pl. tomo 3. pag. 24. Lamarck. Dict. encycl. tomo 2. pag. 699.*

Teucrium belion capitulis subtrotundis breviter pedunculatis; foliis lanceolatis, crenatis, tomentosus, niveis, caule erecto. *Schreb. unil. 47. num. 49.*

*Polium valentinum fruticosum, angustifolium, flore albo. Barr. tab. 1048.*

*Polium montanum, album, serratum. Barr. tab. 1078, 1079.*

Radix lignosa descendens, ex qua radiculæ teretes disseminantur.

Caules plures teretes, tomentosi, erecti, palmares aut pedales.

Folia opposita, sessilia, ovata, crenata, tomentosa, limbo ita revolutis, ut teretia aut cylindracea appareant tuncque angustissima.

Flores capitati; capitulis pedunculatis lateralibus et terminalibus: hæc non sunt basi cincta foliorum involucri, ut in præcedentibus.

Calix quinquedentatus, externe tomentosus.



Corolla rosea, quandoque albicans, eiusdem omnino formæ cum præcedenti.

Semina ovata, nigra, insculpta punctulis profundis: lateraliter et inferne qua placentæ adhærent alba.

Habitat in collibus regni Valentini, floret Iunio et Iulio. 2

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix auctus. *c* Idem expansus. *d* Germen. *e* Semen. *E* Idem auctum. *F* Folium auctum.

*Obs.* Mira in hac specie varietas. Per tractum vulgo *San Fernando* et *piul de Ribas* plusquam pedalis est, omnino alba, atque capitulis terminatur pedicellatis oppositis per quatuor pollicum longitudinem: in collibus Engueræ, Moxente, Noveldæ semipedalis, et quamquam semper tomentosa non ita albicans; huius cauliculi terminantur capitulo unico, sub quo duo paria ad totidem foliorum oppositiones: in Buñol caules sunt longiores et debiliores per integram fere longitudinem instructi pedicellis oppositis sesquipollicaribus florum capitulo terminatis: in viciniis aridis oppidi Alberique foliorum limbus non est ita revolutus, florumque capitula non globosa sed ovato-oblonga sunt.

In Vallidignæ collibus florebant eodem tempore Panicum paradoxum, Festuca ciliata, Datura stramonium, Gnaphalium luteo-album, Filago pyramidata, Aira canescens, Ferula tingitana, Dianthus virgineus et superbus, Campanula erinoides, Chrysanthemum montanum: in Moxente vero Convolvulus cneorum, Ononis fruticosa et aragonensis quam cum Ononide crispa coniunxit Linnæus: Atractylis cancellata, Andryala integrifolia, Silene cretica et buplevroides, Astragalus incanus et monspeliensis, Althæa hirsuta, Malva mauritiana, Hypocrepis multisiliquosa, Coronilla iunca et minima &c.

### TEUCRIUM IVA Linnæi. Tab. 120.

130. TEUCRIUM foliis sublanceolatis, utrimque bidentatis: floribus axillaribus solitariis sessilibus.

Teucrium foliis subtricuspidatis linearibus: floribus sessilibus, lateralibus, solitariis. *Linn. sp. pl. tomo 3. pag. 13.*

Teucrium villosum, foliis ligulatis bidentatis, sæpe etiam serratis, floribus axillaribus, solitariis, sessilibus. *Lamarck Dict. encycl. tomo 2. pag. 698.*

Chamæpitys moschata, foliis serratis. *Tournef. 208.*

Anthyllis altera. *Clusii hist. 2. pag. 186. figura mala.*

Radix teres fibrillis stipata, ex cuius summitate caules prodeunt sæpius prostrati, raro erecti, tripollicares et amplius, villosi.

Folia opposita, sessilia, adproximata, lanceolato-linearia, apice tridentata, duobus sæpius dentibus utrimque versus apicem aucta, villosa, grave olentia.

Flores axillares, solitarii, foliis breviores.

Calix villosus quinquedentatus.

Corolla purpureo-rubens, folio brevior, lacinia media maxima, patula, emarginata; lateralibus brevibus linearibus.

Stamina exerta, quorum duo breviora: stigma bifidum.

Semina nigricantia, maiora quam in præcedentibus, punctisque excavata.

Habitat prope Castulonis oppidum, frequentius vero in Vallidignæ collibus humidis et in agris. ☉ Floret a Maio ad Octobrem: hoc mense copiose floret Scilla maritima et autumnalis, Narcissus serotinus, Asparagus acutifolius.

*Explic.* tab. *a* Calix et corolla. *b* Calix expansus. *c* Fructus. *d* Semen magnitudine naturali. *D* Idem auctum postice spectatum. *E* Idem qua placentæ adhæret.

*Obs.* Crescit copiose cum hac planta Teucrium pseudo-chamæpitys Linnæi, cuius caules erecti, et flores solitarii, albi et pedunculati. Utuntur hoc agricolæ contra febrim intermittentem, pari succesu quo alibi Parisiis præsertim Gentiana centaurio.



TEUCRIUM SAXATILE. *Tab. 121. fig. 1.*

131. TEUCRIUM fruticosum, foliis obovatis, crenatis, subtus incanis: floribus capitatis terminalibus.

Polium saxatile, purpureum chamædryoidis, ampla coma. *Barr. tab. 1086.*

Polium hispanicum, chamædryos folio, purpurascente flore. *Tourn. 206.*

Teucrium foliis ovato-rhomboidibus, crenatis, petiolatis, subtus tomentoso-incanis, caulibus fruticulosus, floribus subracemosis. *Lamarck Dict. tomo 2. pag. 699.* Ubi ad suam plantam refert Polium saxatile chamædryoides rotundo folio, supinum minus. *Barr. tab. 1095.*

Radix lignosa ex qua cauliculi prodeunt fruticosi, tripollicares, incani, sæpe ramosi.

Folia opposita, breviter petiolata, obovata, crenata, limbo nonnihil reflexo, superiori pagina glabra, inferiore candida, tomento brevi obducta.

Flores capitati, terminales, sessiles.

Calix glaber, obscure purpureus, quinquedentatus.

Corolla albicans, sæpius rubescens, villosa: labii inferioris lacinia media concava, candida: lateralibus lanceolatis, subviolaceis.

Filamenta rubra quorum duo breviora, omniaque tubo corollæ inserta, apice arcuata: antheræ nigricantes.

Germen tetragonum: stylus ruber; stigma bifidum.

Habitat in saxorum fissuris et foraminibus siccis.  $\mathcal{N}$  Vulgatissimum in montibus Sucronis, Orcellis, Sætabis, Sagunti: crescit ibidem Buphtalmum maritimum, Hypericum ericoi-des, Thymus piperella, Viola censis, Avena fragilis &c.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Calix expansus. *c* Corolla. *d* Eadem aliter spectata. *e* Genitalia.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Linnæus de Teucrio pyrenaico agens, definitionem atque figuram plantæ addidit quam Barrelierius dedit tabula 1086, dicitans *folia male*. Male certe, si Barrelierius ibi Teucrium pyrenaicum sisteret; optime vero si aliam plantam delineavit Linnæo incognitam, quod re vera fecit.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Planta hæc si in locis contra meridiem crescat durior atque brevior est, in umbrosis vero; quod rarius evenit, ad sex pollices extenditur, foliisque instruitur remotioribus, in quibus limbus vix revolutus est, parceque crenatus. Ita delineavit Barrelierius tab. 1094.

*Obs. 3.<sup>a</sup>* In Vallidignæ collibus crescit planta, quæ D. de Lamarck est Teucrium saxatile, *Diction. encycl. tomo 2. pag. 699*, quamque Barrelierius expressit tabula 1095. Habitu quidem diversa videtur ab illa quam supra descripsi: caulis enim vix erigitur; folia sunt late ovata, et duplo maiora, atque magis tomentosa, in reliquis omnino eadem.

SCORZONERA PUMILA. *Tab. 121. fig. 2.*

132. SCORZONERA acaulis, foliis pinnatis, pinnulis linearibus glabris, apicibus albis.

Radix brevis, teres, vix fibrosa.

Folia radicalia numerosa, saturate viridia, carnosae, pinnata, pinnulis linearibus, acutis, terminatis corpusculo candidissimo, in setulam abeunte.

Scapi radicales, uniflori, duos tresve pollices alti, in quibus squamulæ sparsæ, breves, acutæ.

Flores solitarii terminales, magni, lutei.

Calix communis subcylindraceus, longus, squamis imbricatus lanceolatis, acutis, rufescenti-viridibus.

Corollæ ligulatæ, exterioribus longioribus, omnibus quinquedentatis.

Receptaculum nudum: papus sessilis pilosus: reliqua ut in congeneribus.



Habitat prope Sucronis oppidum ad montis radices contra mare, et in incultis Noveldæ ditionis. ☉ Floret Maio et Iunio.

*Explic.* tab. *f* Flosculus. *g* Semen papo coronatum. *h* Folii apex auctus ut corpuscula candida appareant.

### HYPERICUM ERICOIDES *Linnæi. Tab. 122.*

133. *HYPERICUM fruticosum*, foliis subulatis, verticillatis, verticillis quadrifoliis.

*Hypericum floribus trigynis*, foliis linearibus imbricatis. *Linn. sp. pl. tomo 3. pag. 594.*

*Hypericum ericoides minimum*, foliis cinereis. *Pluk. alm. 189. tab. 93. fig. 5. pauperrima.*

Radix crassa, lignosa, ramulis, fibrisque instructa, ex qua caules adsurgunt ramosi, tortuosi, vix semipedem longi; quorum cortex cinereus, foliorum lapsu cicatricibus notatus.

Folia verticillata, verticillis adproximatis quadrifoliis: sunt illa cinerea, subulata, vix lineam longa, limbo reflexo, punctisque nigris variegato: petiolus brevissimus glandula notatus.

Flores corymbosi terminales.

Calix quinquephyllus, foliolis basi coalitis, ovato-acutis, striatis, quorum margines punctis ornantur nigris.

Corolla saturate lutea, ex quinque petalis ovato-oblongis, patentibus.

Staminum filamenta viginti septem circiter, luteo-alba, corolla breviora, in tria corpora basi coalita: antheræ luteæ, reniformes.

Germen pyriforme, albidum: styli tres, acuti, divaricati: stigmata rubentia.

Capsula parva, trilocularis, trivalvis, polysperma: semina minuta.

Habitat passim in saxis aridis Orospedæ, Sagunti, Satabis, Sucronis, Engueræ, Bocayrente &c. *h* Floret Iulio et Augusto, una cum Teucro lucido, Sedo villosa, et Ammi coptico *Linnæi*, quod est *Daucus coptica* *Lamarck* figurata a *Iacquino* tab. 196 horti *Vindobonensis*: veruntamen semina in planta *hispanica* sunt vere pilis hispida, caulis scaber, et involucri universalis folia trifida.

*Explic.* tab. *a* Floris capitulum magnitudine naturali. *A* Idem auctum. *b* Calicis folium auctum. *c* Flos expansus. *d* Petalum. *e* Germen cum stylis. *f* Filamenta. *g* Capsula. *h* Folium auctum postice spectatum, in quo observantur puncta marginalia, et glandula petiolaris. *i* Ramuli pars aucta.

### CONVOLVULUS PENTAPETALOIDES *Linnæi. Tab. 123. fig. 1.*

134. *CONVOLVULUS* foliis lanceolatis, obtusis, nudis, lineatis: ramis declinatis: floribus solitariis, semiquinquefidis. *Linn. spec. pl. tomo 1. pag. 444.*

Radix fusiformis, alba, fibrosa.

Caules basi prostrati, postea erecti, tripollicares.

Folia lanceolata, obtusa, alternatim imbricata, sessilia, subcanaliculata; dum tenera villosa.

Flores axillares, solitarii, subsessiles.

Calix profunde quinquepartitus; laciniis ovato-acutis villosis, in tubum approximatis, persistentibus: ad basim bracteola evanescens.

Corolla campanulata, semiquinquefida, laciniis dilute violaceis, limbo subvillosa: faux lutea.

Staminum filamenta quinque, immæ corollæ adfixa; quorum duo nonnihil longiora: antheræ erecto-incumbentes, apice acutæ, basi emarginatæ.

Germen superum, villosum, ovato-acutum: stylus simplex albus, semibifidus: stigmatibus cornuum instar divaricatis.

Capsula globosa, lateribus oppositis nonnihil compressa, bilocularis; loculis monospermis. Semina globosa.



Habitat in Cerro negro prope Matritum. ☉ Floret Maio una cum Convolvulo lineato et althæoide: horum magna copia in regno Valentino.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla expansa. *c* Germen. *d* Calix auctus ad cuius basim bracteola. *e* Corolla aucta cum genitalibus. *f* Fructus. *g* Capsulæ sectio. *h* Semen.

### ANAGALLIS TENELLA *Linnæi. Tab. 123. fig. 2.*

135. ANAGALLIS foliis orbiculatis planis: floribus axillaribus, solitariis, longe pedunculatis.

Numularia minor, purpurascente flore. *Bauh. pin. 310. prod. 139.*

Lysimachia tenella, in Linnæi prioribus editionibus, in ultima tamen anni 1779 Anagallis tenella foliis ovatis, acutiusculis, caule repente. *Tomo 1. pag. 424.*

Lysimachia foliis subrotundis, floribus solitariis, longe pedunculatis. *Guet. stamp. 2. pag. 119.*

Lysimachia foliis orbiculatis planis; floribus solitariis, rubellis, caule repente. *Sawv. monsp. 135.*

Radices capillares breves, ex quibus caulis prodiit solitarius, glaber, filiformis, raro ramis instructus, vix quatuor pollices altus, basi prostratus et subrepens, postea erectus inflorescentiæ tempore.

Folia opposita, brevissime petiolata, orbiculata, glabra.

Flores axillares, ad folium solitarii, pedunculati, pedunculis internodo longioribus.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis acutis, carinatis.

Corolla rubella, laciniis quinque oblongis, basi angustioribus, vix connexis.

Staminum filamenta quinque, basi hirsuta: antheræ ovatæ.

Germen globosum, superum: stylus filiformis.

Capsula globosa, circumscissa, unilocularis, polysperma.

Semina minima.

Habitat in humidis cultis oppidi Buñol, et in valle vulgo *Sirer del racó* prope Orospedæ saltus, necnon in humidis circa oppida Cortes de Pallas et Sumacarcel. ☉ Floret Maio et Iulio. Florebant ibi Genista tinctoria, Vinca maior, Tribulus terrestris, Coronilla minima, Scrophularia canina, Avena bromoides, Bromus squarrosus, Geranium pulverulentum &c.

*Explic.* tab. *k* Corollæ lacinia. *l* Stamina. *m* Capsula. *n* Eadem aucta, et dehiscens. *o* Semen.

### PLANTAGO ALBICANS *Linnæi. Tab. 124.*

136. PLANTAGO foliis lanceolatis, obliquis, villosis: spica cylindrica erecta: scapo tereti. *Linn. sp. pl. tomo 1. pag. 322.*

Plantago foliis lanceolato-linearibus: scapo foliis duplo longiore: spica oblonga. *Sawv. monsp. 26.*

Holosteum hirsutum albicans maius. *Bauh. pin. 190.*

Holosteum salmanticense maius. *Clus. hist. 2. pag. 110.*

Radix fusiformis, semipedalis, teres, fusca.

Folia omnia radicalia, lanceolato-linearia, versus apicem nonnihil latiora, tandem acuta, candidissima, valde pilosa.

Scapus teres, erectus, foliis duplo longior, tomentosus, candidus.

Flores spicati, spica tereti terminali, inferne interrupta, suffulti bractea concava, ovato-acuta.

Calix profunde quadrifidus.

Corolla albicans, limbo quadrifido reflexo, laciniis ovato-acutis.



Stamina flore longiora: antheræ ovatæ, compressæ.

Germen superum ovatum: stylus staminibus longior villosus: stigma simplex, acutus.

Fructus: capsula ovata, circumscisa, bilocularis, loculis monospermis.

Semina ovata, extus convexa, intus concava, tuberculo oblongo notata.

Habitat in vineis prope Lucentum.  $\mathcal{Z}$  Florebat ultimo Iulio.

*Explic.* tab. *a* Floris bractea. *b* Flos integer. *c* Corolla semina fovens. *d* Calix. *e* Capsula. *f* Eadem absque operculo. *g h* Semina.

### PLANTAGO AMPLEXICAULIS. *Tab.* 125.

137. PLANTAGO caule brevi: foliis lanceolatis, amplexicaulibus, pilosis: floribus spicatis: pedunculis axillaribus elongatis.

Radix brevis, teres, sensim versus basim angustior, fibrosa.

Caulis simplex, bipollicaris, erectus.

Folia alternatim sparsa, adproximata, amplexicaulia, lanceolata, pilis adpersa.

Flores spicati, spica ovata, quæ sustentatur pedunculo communi semipedali, solitario, axillari: flos quilibet subsessilis, bractea suffultus ovato-acuta, concava.

Calix et corolla ut in præcedenti, at paulo breviores.

Capsula maior quam in præcedenti, ovata, bilocularis, loculis monospermis.

Semina oblongo-elliptica, extus convexa, glabra, nitida, et lutescentia; intus concava atque tuberculo oblongo umbilicali notata.

Habitat in Saguntinæ arcis vetustissimo muro. Floret Maio; una cum Teucro lucido et capitato, Thymo vulgari et piperella, Ononide parviflora D. de Lamarck, Smilace aspera, Ruta montana, Lavathera maritima, Urtica pilulifera &c.

*Explic.* tab. *a* Floris bractea extus visa. *b* Eadem parte concava. *c* Flos integer. *d* Idem a calice *e* seiunctus. *f* Corolla vestiens capsulam. *g* Calix. *h* Capsula. *i* Eadem operculo destituta. *k* Dissepimentum planum, sculptum. *K* Idem auctum. *l* Semen parte concava, in cuius centro existit tuberculum oblongum. *m* Idem parte convexa.

### DE SAGUNTINO MONTE.

Iacet Sagunti oppidum ad montis radices, quo ab austri et occasus flatibus defenditur: purissimis Euri atque maritimis ventis recreatur, tum amoenissima valle, quam Palentia rivulus ab occasu in ortum præterfluit. Paulo altius et iuxta suburbia oppidi existit adhuc Saguntinum theatrum, quod Clarissimus Emmanuel Martinus ex oblivionis tenebris eduxit, quodque alii post ipsum illustrarunt. Montis cacumen coronatur arce muris turribusque permultis munita: quæ omnia vetustate et incuria ruunt, utpote quæ nec præsidio in præsentiarum utilia sunt, nec oppugnatu digna. Nihil hic de veterum Saguntinorum gloria, nihil de monumentis dicam quæ passim prostant, sed ea dumtaxat delibabo, quæ ad naturalem historiam pertinent.

Totius montis substantia calcaria est in massas coalita, quarum durities eo maior quo particulæ tenuiores sunt atque duriores, arctiusque copulatæ. Massæ istæ strata formant marmorea inter se parallela, atque horizonti parumper inclinata, quorum profunditas varia quatuor pedum et amplius. Separantur ab invicem sedimento margaceo, aut ex lamellis tenuissimis composito, aut ex crusta crassiore, coloribus variegata rubente, fusco, luteo, pro diversa scilicet aut metallorum calce, aut vegetabilium residuis, quibus sedimentum commixtum fuit. Huius durities item varia, at semper marmorea minor. Ex marmoribus quæ montem componunt copiosius est griseum, quod fortasse fuerit marmor unicolor venetum Vallerii; quod quum frangitur puncta sistit micantia et aliquando lineas rubras. In huius stratis sæpe laminæ perpendiculariter descendunt tres pollices latæ ex marmore albo, cuius



particulæ sunt subtilissimæ et duræ, quodque perfectam politionem recipit: alternant cum illo et sæpe commixtæ sunt alabastræ massæ, in quibus undulationes apparent; illarum aliquæ observantur homogeneæ, zonisque circularibus, quæ marmoræ adhærent castanei coloris, venis saturatoribus variegato, cum quo commixtæ sunt crystalæ spathi calcarii; cuiusmodi spathum videtur pellucidum albicans Vallerii. Alia denique strata reperiuntur perfectissimi, atque durissimi marmoris, cuius color niger venulis sanguineis variegatus; fractio quasi squamosa; et grana compacta, quod Vallerius ita definivit, *marmor variegatus niger*. Plures ulterius in hoc monte marmorum species invenirentur, si excavationes profundæ fierent, quia in eodem strato variare illas constat. Terra haud frequens in cacumine præsertim; versus radices vero copiosior, quæ rubra est et calcario-argillacea, illi similis quam in Castulone descripsimus. Nullus fons, nulla scaturigo in monte aut in oppido existit; nihilominus plantæ innumeræ ubique crescunt.

In Sagunti viciniis passim prostant Anacyclus valentinus, Anagyris foetida, Physalis somnifera, Punica granatum, Nerium oleander, Scorpiurus sulcata, Poa rigida, Cynosurus aureus. Montis radices ornant Pistacia lentiscus, Phoenix humilis, Rhamnus alternus et lycioides, Marrubium hispanicum, alyssum, et pseudo-dictamus, Lavathera maritima, Urtica pilulifera, Silene nocturna, et quinquevulnera, Melica nutans, Trifolium stellatum, et Cactus opuntia: huius magna copia, cuius fructus edules et dulces sunt: folia atque caudicis fragmenta sæpe observantur, olim a planta separata, quæ pluviarum atque solis actione macerata, nihil amplius quam duriores fibras conservant: formant istæ lamellas sibi invicem parallelas; ramificationibus innumeris nunc confluentibus, nunc miro modo divergentibus ornatas, suntque illæ ita tenuissimæ ut septem sæpe numerari atque ab invicem separari possint, quorum omnium crassities vix lineam superat: idque mirandum, quod si alteram alteri iterum subiicias, venulæ respondententes venas perfecte tegant, foraminibus iisdem interiectis, quæ ante illarum separationem existebant. Planta hæc ex America olim in Hispaniam invecta læte crescit in monte Saguntino, in quo Aloëm perfoliatam etiam vidi. Agavem americanam in nostro solo crescere atque fructus perficere notum est Botanicis<sup>(a)</sup>; verumtamen Aloëm perfoliatam in regno Valentino delectari, nullus quod sciam dixit; neque ullibi unquam ipsam reperi, nisi in Saguntini montis parte, quæ meridiem spectat, illius altitudine a septentrionalibus et maritimis ventis defensa. Non unam aut alteram plantam ibi vidi, sed innumeras; atque ob oppidanis didici, solere olim Aloëm hepaticam parari ex earum foliis, viscosam horum substantiam inspissando, qua folia turgent. Superiora montis tegunt Polygala amara, Thymus vulgaris et piperella, Hypericum ericoides, Cistus fumana, numularius, crispus, albidus et racemosus, Caparis spinosa, Asparagus horridus, Plantago amplexicaulis, albicans et lusitanica, Ononis capitata, Melissa fruticosa, aliæque innumeræ stirpes Botanicis notæ. Ceratonia siliqua frequens ubique est. Primum hic arborem hermaphroditam vidi, quam frustra quæsieram per universum regnum. Flores omnes in ea instructos observavi utroque sexu; at fructus qui tunc adhuc existebant, erant numero pauci, graciles, tortuosi et fere inutiles. Quam ob rem male sibi consulat qui ex huiusmodi arboribus ramum summat, feminis inserendum.

#### POA MARITIMA. Tab. 126.

138. POA culmo ramoso: spica ovata: spiculis compressis, glomeratis.

An Gramen caninum maritimum spicatum *Pluk. alm. tab. 33. f. 3?*

Radix teres, albicans, profunde in arena fixa, ex qua caules prodeunt subrepentes, postea erecti, ramosi, vix semipedales.

Folia vaginantia, adproximata, brevissima, acutissima, carinata, glabra.

(a) D. de Lamarck in Dictionario encycl. dixit condonandum est homini qui Hispaniam nunquam pag. 52. vol. 1. *Il fleurit rarement en Europe*: quod vidit.



Flores spicati, spica ovato-oblonga, ex spiculis pluribus composita ovatis, compressis, glomeratis subduodecimfloris.

Calix bivalvis, valvulis carinatis, acutis; inferiore brevior.

Corolla bivalvis: valvulis æqualibus, exterior concava acuta; interior lineari plana.

Staminum filamenta tria, corolla longiora, capillaria: antheræ oblongæ, emarginatæ.

Germen breve ovatum: styli duo: stigmata villosa.

Semen ovatum, parvum.

Habitat in arena iuxta mare per tactum integrum inter Lucentum et Santapola. Florebat

Julio; una cum Eryngio maritimo, Euphorbiis peplide et paralias, Arenaria maritima,

Crucianella maritima, et Salsolis trago, sativa &c.

*Explic. tab. a* Spicula. *b* Eadem aucta. *c* Corolla. *d* Calix. *e* Genitalia.

### ECHINOPHORA SPINOSA *Linnæi. Tab. 127.*

139. ECHINOPHORA foliis pinnatis; pinnis subtriquetris, cuspidate spinoso terminatis.

Echinophora foliis subulato-spinosis integerrimis. *Linn. sp. pl. tomo 1. pag. 660. Lamarck Dict. tomo 2. pag. 338. Miller Dict. num. 1.*

Echinophora foliis decompositis. *Wach. ult. 200.*

Crithmum maritimum spinosum. *Bauh. pin. 288. Dod. pempt. 705.*

Radix teres, albicans, ramosa, longissime descendens, Pastinacæ sativæ odore, colore atque gustu similis, quamquam nonnihil salsedine affecta.

Caulis pedalis et ultra, angulosus, sulcatus, valde ramosus, ramis alternis ad folium axillaribus.

Folia glabra, alterna, pinnata et bipinnata, pinnis subtriquetris, 3-13, per paria oppositis, terminatis cuspidate spinoso.

Flores umbellati: umbella universalis radiis pluribus inæqualibus, quorum qui centrum occupant breviores; partialis multiflora, flosculis subsessilibus, centrali unico femina, sessili.

Involucrum universale polyphyllum, foliis inæqualibus, ovato-acutis, patentibus; parziale pariter polyphyllum, foliolis exterioribus maioribus, in mucronem terminatis.

Calix proprius superus, dentatus, dentibus acutis, inæqualibus.

Corollæ petala quinque, inæqualia, orbiculata cum acumine intus inflexo et plicato, adeo ut bifida appareant, initio dilute violacea, postea alba.

Staminum filamenta quinque, corolla triplo longiora, erecta, alba: antheræ subrotundæ, sulcatæ.

Germen inferum, in flore femina inmersum in pedunculo incrassato, in reliquis qui sunt masculi, oblongum, inferum, effatum: styli in femina duo divaricati: stigmata simplicia.

Semina duo ovato-acuta, inclusa in pellicula, atque immersa in pedunculi incrassati substantia: aliquando etiam semen est solitarium.

Habitat copiose in Valentini maris littore, præcipue vero contra oppidum vulgo *Almasera*: floret Septembri, ibique etiam Agrostis pungens, Chrithmum maritimum, Polygonum maritimum, *Oenanthe croccata*, Euphorbiæ peplis, paralias et pilosa, aliæque stirpes maritimæ.

*Explic. tab. a* Flosculus. *b* Germen calice terminatum. *c* Petalum diverso modo spectatum. *d* Umbella partialis fructifera. *e* Pedunculi incrassati sectio, in qua locus observatur ubi semen *f* erat incarceratum. *g* Semen denudatum pellicula.

### CARTHAMUS TINGITANUS *Linnæi. Tab. 128.*

140. CARTHAMUS foliis radicalibus pinnatis: caulinis pinnatifidis: caule unifloro. *Linn. species plant. tomo 3. pag. 699. Mill. Dict. num. 4.*



Cnicus hispanicus coeruleus, calcitrapæ folio. *Tournef. inst. rei herbar. Garidel. tab. 112.*

Radix teres, fusca, fibris stipata.

Caulis solitarius, teres, erectus, glaber, sulcatus, semipedalis, uniflorus.

Folia radicalia pinnata, pinnulis inæqualibus, decurrentibus, dentato-spinosis, quarum inferiores breviores sunt: caulina alterna, sessilia, pinnatifida; omnia glabra, et nonnihil glauca.

Flos unicus, terminalis.

Calix communis ovato-oblongus, imbricatus squamulis lanceolatis, apice rotundato foliaceis, foliolis brevibus scariosis, denticulatis: obvallatus basi bracteis foliiformibus; harum interiores sunt semper breviores, exteriores vero longiores, et patulæ.

Corolla composita uniformis, corollulis infundibuliformibus, quarum tubus gracilis, albicans, pollicaris; limbus profundissime quinquepartitus, laciniis æqualibus, linearibus, coeruleis.

Staminum filamenta quinque, capillaria, brevissima, alba, tubi apice inserta: anthera cylindrica, apice quinque-dentata, violaceo-nigra.

Germen ovatum: stylus flore longior, violaceus: stigma obscure bifidum.

Receptaculum alveolare, alveolis pilorum alborum corona ornatis.

Papus plumosus, pilis brevissimis, adeo ut pilosus appareat.

Semen ovato-triquetrum, altera parte convexum, superne truncatum, inferne obtusum.

Habitat in incultis Noveldæ et Valldignæ, quandoque etiam in agris cultis. ☉ Floret Maio et Junio. In collibus Engueræ, et præcipue in tractu vulgo *Santich*, florebant cum isto, Carduus pinnatifidus, Serratula mollis, Statice alliacea, Melissa calamintha, Carduus monspessulanus, Sideritis hirsuta, incana et hyssopifolia, Scabiosa stellata, Brassica vesicaria, Gallium montanum, Herniariæ glabra, hirsuta et polygonoides &c.

*Explic. tab. a* Flosculus integer. *b* Stylus auctus et anthera expansa. *c* Squamula calicina.

*d* Semen coronatum papo. *e* Idem papo destitutum. *f* Plumula aucta.

## QUERCUS VALENTINA. Tab. 129.

141. QUERCUS foliis ovato-lanceolatis, serratis, serraturis spinosis, subtus subpubescentibus.

*a* Robur III. *Clusii hist. 1. pag. 18.* et *Quercus lusitanica. Lamarck Dict. t. 1. p. 719.*

Arbor quercu illice altior, minus ramosa, saturate viridis.

Folia alterna, petiolis brevibus sustentata, ovato-lanceolata, serrata, serraturis spinosis, superiori pagina glabra atque saturate viridia, inferiori subpubescentia.

Fructus axillaris, subsessilis, ovato-oblongus, calice duplo et amplius longior: calicis squamulæ virent, et terminantur acumine rubescenti.

Habitat copiose in montibus vulgo *del Maestrazgo de Montesa*, passim etiam prope oppidum Serra de Engarceran, appellatur Roure. *h* Fructiferam vidi. Gallas alit globosas glabras, quarum magnitudo sistit figura B, aliquando etiam maiores, tribus punctis protuberantibus exasperatas. Fructus sunt amari.

*Obs.* Clusii figura supra citata nostræ arbori quadrat; fortasse varietas huius erit, quum ille scribat in arborem pussillam excrescere stirpem ab ipso delineatam. Dominus item de Lamarck Clusii auctoritate, eadem scripsit scilicet: *cette espece comprend plusieurs variétés, qui ne sont que des arbrisseaux fort bas, sujets à poster des galles.* Veruntamen ut clarius cognoscatur hæc arbor sciendum est 1.º foliis ipsam quotannis expoliari eodem modo et tempore, quo *Quercus robur*. 2.º Fructus, quibus abundat hæc species, maturos esse mense integro priusquam *Illicis* fructus; quamquam ambæ in eodem monte crescant: unde valde utilis hæc arbor, quia diutius saginantur porci, horumque maior copia; quod minime posset fieri, si et *Illicis*, et nostræ arboris fructus eodem tempore maturi existerent. 3.º Denique, quod supra iam innui, proceriorem hanc arborem esse *Illice*, paucioribus ornari ramis, atque colore saturare viridi gaudere.



Plures in hoc monte crescunt arbores Pinus scilicet pinea, et sylvestris rubra: Quercus *roure* supra descripta: Quercus coccifera *cascoll roge* vulgo, quæ humilis semper persistit; hac, tenera potissimum, delectantur capræ, quarum ibi magna copia: Quercus ægylops foliis integerrimis, quæ vulgo dicitur *Carrasca clafolluda*, a calicis magnitudine qui vernacule *Clafoll* nominatur: Quercus illex *Carrasca* dicta, cuius tres sunt præcipuæ varietates; prima foliis gaudet ovatis integerrimis duos pollices longis, quæ parum fructus præbet: secunda cuius folia sunt lanceolato-ovata, absque dentibus et parva, quæ plus fructus adfert: tertia denique foliis parvis, ovatis, dentatis, cuius fructus dulcis magna copia. Omnium lignum præstantissimum est sive carboni conficiendo, sive caminis alendis. Arbustis etiam pluribus ornatur mons iste: prostant passim Iuniperus communis et oxycedrus, Rhamnus alaternus, Erica vulgaris et purpurascens, Anthyllis cytisoides, Rosmarinus officinalis, Arbutus unedo et uva-ursi, et aliæ permultæ stirpes.

Fontes haud multi sunt in hac ditione, quæ aquarum penuria laborat: hominum tamen atque iumentorum potui sufficiunt, minime vero irrigandis agris. Hiberno tempore nives pluviamque frequentes sunt, quarum nihil fluit ad montium radices. Tali etenim modo compaginata sunt calcarisæ massæ, terraque montis, ut rivuli, qui saxa haud mediocria suo impetu pellant et volvunt, ictu oculi pereant, montis interiora permeantes, non amplius conspiciendi, nisi in maris litore, postquam scilicet per plures leucas sub terra fluxere. Aër ibi purissimus, situsque saluberrimus. Homines passim videas octogenarios, valetudinem perfectam et robur in cæteris. Lucem in hoc oppido Serra de Engarceran vidit Excelentissimus D. Philippus Bertrandus, Valentiniæ academiæ decus atque ornamentum, Salmanticensis Episcopus, et universæ Hispaniæ supremus Inquisitor, vir doctrina atque moribus præstantissimus.

### MEDICAGO MARINA Linnæi. Tab. 130.

142. MEDICAGO caule humifusso tomentoso: pedunculis racemoso-capitatis: leguminibus cochleatis, tomentosis.

Medicago pedunculis racemosis, leguminibus cochleatis, spinosis; caule procumbente, tomentoso. *Linn. sp. plant. tomo 3. pag. 575. Mill. Dict. num. 1. aliique apud Linnæum.*

Trifolium cochleatum, maritimum, tomentosum. *Bauh. pin. 329.*

Medica marina. *Clus. hist. 2. pag. 243. Lamarck Flor. Franc. pag. 584.*

Radix teres, albicans, ramosa, in arena movili profunde fixa.

Caules plures, ramosi, quatuor pollices longi, humifussi, tomento candido copiosoque obducti, quemadmodum tota plantula.

Folia ternata, foliolis cuneato-obtusis, petiolo communi ipsis brevioribus sustentata: stipulæ acutæ.

Flores racemoso-capitati, pedunculo communi sustentati axillari, solitario, foliis longiore.

Calix turbinatus, quinquedentatus; dentibus subulatis, quorum duo superiores longiores.

Corolla calice longior saturate lutea: vexillum ovatum plicatum; alæ breviores ovatæ, basi falcatae, unguibusque capillaribus innitentes: carina adhuc brevior ovata, plicata, inferne bipartita.

Stamina decem, alba, quorum unum liberum: antheræ ovatæ, luteæ.

Germen ovatum, villosum: stylus brevis: stigma minimum.

Legumen in spiram contortum, cuius striæ fere tres, adpressæ, estque valde tomentosum, minime vero spinosum, ut Linnæo placuit: semina ovata.

Habitat passim in maris littore prope Castulonem, Valentiam, Sucronem, Lucentum et alibi.

¶ Floret Maio et Junio. Habitat ibi etiam Convolvulus soldanella, Ononis maritima, Eryngium, Pancratium, Euphorbiæ aliæque plantæ maritimæ supra notatæ, una cum Anetho graveolente.

*Explic. figuræ. a* Flos integer. *b* Calix auctus. *c* Corolla expansa item aucta quemadmo-



modum *d* staminum corpus. *e* Genitalia. *f* Fructus absque tomento ut figura et striæ conspiciantur. *g* Idem extensus. *h* Semen.

*Obs.* Clusii figura plantæ habitum sistit; tomento caret.

### HERNIARIA POLYGONOIDES. *Tab.* 131.

143. *HERNIARIA* caule suffruticoso: foliis ovato-acutis, apice setosis, glaberrimis.

*Paronychia hispanica fruticosa myrti folio?* *Tournef. inst.* 508.

*Illecebrum suffruticosum.* *Linn. spec. pl. vol. 1. pag.* 581.

Radix teres, ramosa, ex qua caulis prodiit nunc erectus, nunc repens semipedalis: ex isto ramuli eriguntur spithamæi, teretes, iterum ramosi, articulati, polygonæ æmulantes, et ad nodos inter folia stipulati; stipula diaphana, lanceolata, apice acuto setoso.

Folia opposita subsessilia, floralia solitaria; omniaque subcarnosa, enervia, ovato-acuta, apice terminata setula brevi.

Flores axillares et terminales: axillaris solitarius, sessilis: versus apicem bini, terni, aut quaterni: capitula sunt minima, turbinata, apice retusa.

Calix monophyllus, persistens, semiquinquepartitus, laciniis concavis, adproximatis.

Corolla nulla.

Stamina: annulus germen cingens, brevissimus, in cuius limbo superiore sunt filamenta decem subulata, alba, brevia: horum quinque, cum laciniis calicis alternantia, antheris carent; reliqua vero dictis laciniis respondentia, fertilia sunt et longiora: antheræ ovatæ luteæ.

Germen superum, minimum, ovatum, apice acutum: stylus vix ullus: stigmata tria brevissima.

Fructus: semen unicum globosum, minimum, tectum pellicula rubente.

Habitat copiose in collibus Vallidignæ, Bocayrente, Lucenti, Sætabis regni Valentini. ♀  
Floret Maio et Iunio.

*Explic. tab.* *a* Capitulum valde auctum. *b* Flos postice spectatus *c* Idem antice. *d* Annullus filamentorum. *e* Idem expansus. *f* Germen. *g* Fructus magnitudine naturali. *h* Idem auctus.

*Obs.* Planta observatu difficilis, quæ non nisi viva definiri potest: fructificationis partes adeo minutæ sunt ut non nisi lente vitrea distinguantur et numerentur. Archetypum quo Linnæus fuit usus pro construendo Illecebro suffruticoso, nunquam vidi: ignoro etiam num ille plantam vivam viderit; veruntamen tanta est affinitas, dicam verius idemtitas inter meam *Herniariam* et plantam illam a Linnæo et a D. de Lamarck descriptam Illecebrum suffruticosi nomine, ut minime dubitem quin una eademque sit planta. Ad hæc Tournefortii definitio, quam ad Illecebrum suffruticosum trahunt auctores Linnæo duce, huic *Herniariæ* convenit. Si ergo stabilitis characteribus standum est, quibus Illecebrum ab *Herniaria* distinguitur, filamentis videlicet quinque sterilibus, quæ cum totidem longioribus alternant in *Herniaria*; dicendum erit, posita plantarum idemtitate, Linnæi Illecebrum suffruticosum nullum esse, utpote quod *Herniariis* consociandum.

### RHUS LUCIDUM *Linnæi.* *Tab.* 132.

144. *RHUS* foliis ternatis; foliolis sessilibus, cuneiformibus, lævibus. *Linn. sp. pl. tomo 1. pag.* 731.

*Rhus africanum trifoliatum minus, glabrum, splendente folio subrotundo integro.* *Pluket. alm.* 319. *tab.* 218. *f.* 9.

*Rhus arboreum trifoliatum, latifolium.* *Burm. af.* 252. *tab.* 91. *fig.* 2.

*Vitex trifoliata minor, indica rotundifolia.* *Comm. hort.* 1. *pag.* 181. *fig.* 93.



Caulis fruticosi, cortice fusco striato vestiti, valde ramosi, tripedales (hic in hibernaculo Matritensi).

Folia sparsa, adproximata, ternata, coriacea, utrimque lucida, cuneiformia, rotundata atque emarginata apice; lateralia breviora, omniaque sessilia in extremitate petioli brevis, communis, canaliculati.

Flores dioici, parvi, racemosi; racemis axillaribus folio longioribus.

Calix inferus, minimus, quinquepartitus.

Corolla luteo-viridis, rotata, cuius quinque petala sunt ovato-acuta, calici infra germen inserta, atque cum illius laciniis alternantia.

Stamina in masculo quinque, albicantia, subulata, arcuato-erecta, petalis paulo breviora: antheræ luteæ incumbentes: germen nullum.

In femina stamina nulla, germen superum globosum: styli tres virides, divaricati: stigmata incrassata rubra.

Fructus: bacca globosa, rubens, monosperma.

Semen globoso-subcompressum, basi acutum.

Habitat in Mexicano Imperio. *h* Vulgo *Lenguamora*. Vidi vivam in Regio horto Matritensi.

*Explic.* tab. *a* Flos masculinus. *b* Idem auctus antice spectatus. *c* Idem postice. *d* Stamina corporis fungosi margini inserta. *e* Flos femineus. *f* Idem auctus. *g* Germen. *h* Fructuum racemus magnitudine naturali. *i* Bacca. *k* Semen.

### ASTRAGALUS MACRORHIZUS. Tab. 133.

145. *ASTRAGALUS* foliis radicalibus pinnatis, pinnulis lato-ovatis, incanis: scapis radicalibus: leguminibus ovatis.

Radix descendens, sesquipedalis, crassa, cortice nigricante tecta, intus alba, fibrosa, succulenta, dulcis, apice ramosa, unde scapi et folia prodeunt.

Folia supra terram expansa, sesquipollicaria, pinnata, pinnulis fere septemdecim orbiculatis, incanis uti tota planta; in harum apice setula brevis, et sustentantur petiolo communi inferne nudo.

Scapi foliis paulo longiores, crassiusculi, florentes erecti; fructiferi declinati.

Flores spicati, terminales, floribus sessilibus, bractea lanceolata suffultis.

Calix tubuloso-gibbus, rubescens, striatus, apice quinque-dentatus, denticulis brevibus, æqualibus.

Corolla rubra: vexillum longum, lateribus reflexum, emarginatum, suberectum: alæ oblongæ, basi callosæ, unguibus capillaribus, albis: carina alis subæqualis, emarginata, bilinguiculata.

Stamina diadelpa, quorum novem in unum corpus coalita, germen vaginans: decimum liberum: antheræ ovatæ sulphuræ.

Germen ovato-oblongum: stylus subulatus, apice adscendens: stigma obtusum.

Legumen sphaeroidale, ante exsiccationem rubescens, subtomentosum, biloculare; loculis polyspermis.

Semina reniformia fere septem in unoquoque loculamento.

Habitat in Cerro negro prope Matritum, et in collibus Moxente regni Valentini. Floret Aprili et Maio. *z* Crescebant hic Coronilla iunca et minima; Spatium patens et spinosum; Convolvulus lineatus, capitatus et althæoides; Sideritis romana, hyssopifolia et hirsuta; Ornithopus compressus; Hippocrepis comosa; Colutea arborescens; Ononis tridentata, fruticosa et viscosa; Scabiosa stellata &c.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Calix expansus. *c* Vexillum postice spectatum. *dd* Alæ. *e* Carina. *f* Genitalia. *g* Germen. *h* Stamina aucta. *i* Legumen dehiscentes. *k* Huius alterum loculamentum.



*Obs.* Hæc planta affinis est Astragalo montano Linnæi, quem Iacquinus delineavit tab. 167 Aust. et Astragalo incano Linnæi; a quibus inter alia differt leguminibus ovatis, ut nihil de radice dicam, quæ bipedalis aliquando est et pollicem crassa, plantulam sustinens bipollicarem.

### SAPONARIA OCYMOIDES Linnæi. Tab. 134.

146. SAPONARIA calicibus cylindricis villosis; caulibus dichotomis, procumbentibus Linn.  
*sp. pl. tomo 2. pag. 330.*

Saponaria caulibus decumbentibus, nodosis: foliis ovato-lanceolatis: calicibus tubulosis, hirsutis. *Hall. helv. num. 909.*

Saponaria minor quibusdam. *Bauh. hist. 3. pag. 344. mala.*

Lychnis vel Ocymoides repens, montanum. *Bauh. pin. 206. Scheuch. alp. 7. pag. 514.*

Ocymoides repens, polygoni folio. *Lib. ic. pag. 341. apud. Linn.*

Radix crassa, bipedalis, ramosa, tenera, cortice atro-rubente tecta.

Caulis villosus, horum qui non florent repentes, pedales; florentes vero erecti, tripollicares.

Folia opposita, sessilia, nonnihil connata, ovata, glabra, subciliata, et basi postice villosa: in caulibus sterilibus fere pollicem longa; in floridis brevia, et aliquando acuta, semperque villosa.

Flores subcorymbosi, in caulium dichotomiis, pedicellati.

Calix cylindricus, villosus-glutinosus, apice quinquedentatus.

Corolla carneo-rubra, pentapetala; petalorum unguibus albis longitudine calicis, deinde ovata, patentia, emarginata: in faucis centro corona observatur ex decem lacinulis, quarum binæ in-unoquoque petalo.

Staminum filamenta decem immo germini inserta, quorum alterna profundiora: antheræ ovatæ, versatiles fulvæ: filamenta aliqua observantur castrata.

Germen cylindricum: styli duo divaricati: stigmata simplicia.

Capsula ovato-acuminata, unilocularis, quadrivalvis.

Semina plura, ovata, nitida: receptaculum conicum.

Habitat in umbrosis humidis oppidi Buñol, præcipue ad margines fontis Sancti Ludovici rivulum efformantis. Florebat Iunio.  $\mathcal{R}$  In collibus prope fontem crescunt Pistacia lentiscus et therebintus; Fraxinus ornus; Lonicera caprifolium; Buplevrum fruticosum; Saponaria vaccaria; Lotus hirsutus, siliquosus, erectus, corniculatus; Linum narbonense, suffruticosum et gallicum; Aphyllantes monspeliensis; et Coris monspeliensis; Fumaria eneaphylla et spicata; Teucrium lucidum, pseudo-chamæpitis, iva et capitatum; Osyris alba; Iasminum fruticans &c.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Petalum. *c* Germen. *d* Stamina. *e* Fructus. *f* Idem dehiscent. *g* Semina. *i* Alterum separatum.

Gratissimus situs atque oppidi circumscriptio: ex collium cacumine versus septentrionem montium multitudo observatur miræ altitudinis, quos alii excipiunt nunc altiores, nunc depressiores, quorum acervus Cabrillas vulgo audit. Non steriles putes, ut alibi per Hispaniam observatur, sed arboribus, fructibus, atque plantis ornatos. Fontes passim fluunt, iique copiosi, qui ruunt præcipites irrigandis collibus et agris profundioribus. Aquæ sæpius per montium rimulas intrantes, antrorum superiora occulte permaneant; quarum stillæ tractu temporis stalactitas efformarunt alabastri pulcherrimi: columnas istæ, conos, aliasque formas sistunt; quæ quia fundum premunt quandoque terreum, post imbres sæpe ruunt cum pavimenti tectique parte. Sciant hoc viatores atque curiosi, ne periculo se committant, cavernas intrantes observandi gratia.



MALVA ALTHÆOIDES. *Tab.* 135.

147. MALVA caule prostrato: foliis inferioribus lobatis: superioribus quinquefidis, floribus solitariis longe pedunculatis.  
 Radix fusciformis, fibrilis stipata, ex qua caules prodeunt bipedales aut breviores prostrati, teretes, pilosi.  
 Folia radicalia orbiculata, cordata, crenata: inferiora quinquelobata; reliqua subpalmata, lobis scilicet quinque lanceolatis, serratis, medio productiore: petioli radicales longi, cæteri folio subæquales: stipulæ lanceolatæ.  
 Flores axillares, solitarii, pedunculis erectis, elongatis.  
 Calix duplex hispidus: exterior ex tribus foliolis lanceolatis, ciliatis: interior profunde semiquinquepartitus, laciniis acutis ciliatis: ciliorum basis tuberculo brevi insistit.  
 Corolla patens, magna, roseo-albicans, ex quinque petalis apice mucronatis, basi nonnihil connexis.  
 Staminum tubus albicans, corolla brevior, versus apicem filamentosus: antheræ ovatæ.  
 Germen orbiculato-compressum: stylus simplex in 12-16 lacinias violaceas partitus: stigmata simplicia.  
 Fructus figura germinis, ex tot capsulis monospermis compositus, quot fuerunt stigmata.  
 Semina reniformia, parva, fusca.  
 Habitat copiose prope Engueræ oppidum in tractu vulgo *Lloruz*. ☉ Floret Maio et Junio.  
*Explic.* tab. *a* Calices. *b* Petalum. *c* Genitalia. *d* Germen, stylus, stigmata. *e* Fructus. *f* Capsula. *g* Semen.

*Obs.* Malvacearum species paucas alit Hispania. In regno Valentino præter hanc speciem, quam Vallidignæ etiam vidi vulgo *Malvilla*; semel dumtaxat reperi Malvam tournefortianam, ad viam scilicet qua versus Alciram a Sucrone veniebam: Malvam mauritianam et parvifloram prope Moxente una cum Althæa hirsuta; rotundifoliam passim in agris, et incultis humidis: reliquas in Hispania crescentes descripsi in Monadelphæ: nuperrime copiose vidi Hibiscum trionum in agris prope oppidum Villanueva de Alcolea.

ASPARAGUS HORRIDUS *Linnæi. Tab.* 136.

148. ASPARAGUS aphyllus, fruticosus, pentagonus; aculeis tetragonis, compressis, striatis.  
*Linn. sp. plant. tomo 2. pag. 70. Lamarck Dict. tomo 1. pag. 296.* ubi spinas pro foliis habendas dixit. Stet pro ratione voluntas.  
 Asparagus hispanicus, aculeis crassioribus horridus. *Tournef. inst. 300.*  
 Radix tuberosa, tuberculis elongatis, sæpe ovalibus.  
 Caulis pedalis et amplius, striatus, erectus, durus, obscure pentagonus, glaber, ramosus; ramis sparsis, patulis, adproximatis.  
 Folia nulla nisi aculeos dicas: aculei solitarii, sparsi, adproximati, pollicem sæpe longi, compressi, spina terminati acutissima, dura, glauca. Ad istorum basim existit bractea albicans, lanceolata.  
 Flores bini ad utrumque aculei latus, quorum pedunculi breves, articulati.  
 Corolla sexpetala, persistens; petalis ovatis, quorum tria inferiora paulo angustiora: omnibus patentibus, superne luteis, inferne macula longitudinali rubente notatis.  
 Calix nullus.  
 Staminum filamenta sex, subulata, brevia, basi crassa, inter germen et petala inserta: antheræ ovatæ, luteæ, incumbentes.  
 Germen superum, ovato-trigonum: styli tres coaliti: stigmata simplicia.  
 Bacca globosa, trilocularis, loculis dispermis. Semina globosa.  
 Habitat copiose in Monte Saguntino et in collibus Vallidignæ, Sucronis, Sætabis, et alibi. ☿  
 Vidi floridum et fructiferum mense Maio.



*Explic. tab. a* Flos antica superficie. *b* Idem postica. *c* Flos auctus. *d* Germen auctum.  
*e* Stamen. *f* Bacca. *g* Huius sectio. *h* Semen.

*Obs.* Fructu maturo styli videntur separati.

### CISTUS SALVIFOLIUS *Linnæi. Tab. 137.*

149. *CISTUS* fruticosus, exstipulatus; foliis petiolatis, ovatis, rugosis, subhirsutis: pedunculis longis, unifloris. *Lamarck Dict. tomo 2. pag. 15.*

*Cistus* arborescens, exstipulatus: foliis ovatis, petiolatis, utrimque hirsutis. *Linn. sp. plant. tomo 2. pag. 592. Iacq. Coll. vol. 2. pag. 120. tab. 8.*

*Cistus* fruticosus, foliis petiolatis, ovatis, rugosis, serratis. *Hall. helv. num. 1031.*

*Cistus* femina. *Clus. hist. 1. pag. 70. Bauh. pin. 474.*

Caules fruticosi, durissimi, pedales et amplius: horum cortex cinereo-ruber; rami oppositi, divaricati.

Folia opposita, petiolis brevibus sustentata, ovata, rugosa, utrimque scabra, præsertim vustiora, subtiliter denticulata, denticulis fasciculo pilorum terminatis, qui lente conspiciuntur vitrea: stipulæ nullæ.

Flores terminales, solitarii, pedunculis elongatis, articulatis.

Calix pentaphyllus, foliolis tribus exterioribus ovatis, basi que cordatis; duobus interioribus acutis.

Corolla candida, unguibus luteis, petalis emarginatis.

Stamina numerosa lutea: antheræ ovata.

Germen superum, globosum, coronatum stigmatem hemisphærico, subsessili.

Capsula ovata, quinquelocularis, quinquevalvis, polysperma. Semina parva.

Habitat in collibus Buñol, Vallidignæ et passim in tractu vulgo *Pla de Quart* scilicet in planitie quæ a quarto Romanorum lapide <sup>(a)</sup> a Valentia versus septentrionem protenditur.

Frequens etiam in *Dehesa* valentina, et alibi. *h* Floret Maio.

*Explic. figuræ. a* Calix. *b* Germen. *c d* Petala. *e* Capsula. *f* Eadem dehiscens.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Variat aliquando petalorum numero 5, 6, 7.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Plures *Cistorum* species Hispania alit: in regno Valentino triginta vidi floridas.

Huiusmodi sunt populifolius, laurifolius, monspeliensis, salvifolius, albidus, crispus, halimifolius, libanotis, umbellatus, lævipes, fumana, marifolius, tuberaria, gutatus, lædifolius, salicifolius, squamatus, numularius, hirtus, glutinosus, thymifolius, racemosus, helianthemum, ericoides, lævis, cinereus, violaceus, serratus, linearis, glaucus. Genus certe specierum numero, plurium etiam affinitate difficile. De hoc copiose egit in secundo Encyclopædiæ volumine D. de Lamarck, ubi sexaginta species descripsit: harum aliquæ a cæteris facile distinguuntur inspectis archetypis: plures tamen iconum defectu vix recognosci possunt. Quare in scienciæ profectum, et ut Botanicis, qui huius generis monographiam desiderant, morem aliquo modo geram, Hispaniæ indigenas species iconibus repræsentabo in operis decursu.

### CISTUS HALIMIFOLIUS *Linnæi. Tab. 138.*

150. *CISTUS* fruticosus, exstipulatus, foliis oblongo-ovatis: pedunculis ramosis, subpaniculatis. *Lamarck Dict. tomo 2. pag. 19.* addens foliis *subacutis, in petiolum attenuatis, utrimque incanitis.*

(a) Romanorum lapide mille passus intelliguntur, lapidibus. Consulatur itiner. Ant. ubi Saguntum inter aut pedes quinquemille: Hispanorum vero lapides quibus hodie utimur, constant quatuor Romanorum hodie quatuor ponunt.



*Cistus arborescens*, exstipulatus, foliis duobus calicinis linearibus. *Linn. sp. plant. tomo 2. pag. 594. Mill. Dict. num. 17. Sawv. monsp. 147.*

*Cistus femina portulacæ marinæ* folio latiore, obtuso. *Bauh. pin. 465.*

Caulis fruticosus, pedalis, aliquando etiam bipedalis, ramosus, ramis teretibus, teneris scabriusculis, quorum scabrities provenit ex innumeris pilis brevissimis glomeratis.

Folia ovato-oblonga, integerrima, glauco-albida ut et tota planta, basi in petiolos attenuata et subconnata, inferiora opposita; floralia solitaria, sessilia, nervo unico longitudinali prominente, duobusque lateralibus vix conspicuis; stipulæ nullæ.

Flores subpaniculati, in ramulis alterni, pedunculis pollicaribus, unifloris.

Calicis foliola duo exteriora linearia, breviora; tria reliqua ovato-acuminata, crassiuscula.

Corolla dilute lutea; petalis quinque orbiculatis, subcrenatis.

Stamina numerosa, lutea: antheræ saturatiores.

Germen globosum, superum: stylus vix ullus: stigma germine maius, albicans, mamillare.

Capsula trilobularis, trivalvis, polysperma.

Habitat copiose prope mare Mediterraneum in Sucronensi monte, et in tractu vulgo *Dehesa*. *h* Floret Maio.

*Explic. fig. a* Calix. *A* Flos integer. *b* Germen auctum cum stigmate. *c* Idem magnitudine naturali. *d* Capsula dehiscens.

*Obs.* Probari nequit Linnæi sententia, quando caules fruticosos et humiles, arborescentes posuit, quod sæpius scripsit, tum præcipue in hac et in præcedenti specie. Neque plus arridet opinio D. de Lamarck, quia Millerii et Clusii plantas cum Cisto halimifolio confundit. Millerii enim tab. 290 planta repræsentatur floribus oppositis, non alternis: Clusii figura cap. 47. hist. 1. floribus orbata difficile nostræ aptari potest.

### CISTUS SQUAMATUS Linnæi. Tab. 139.

151. *Cistus suffruticosus*, stipulatus; foliis obtectis squamulis orbiculatis. *Linn. spec. pl. tomo 2. pag. 601. Lamarck Dict. tomo 2. pag. 23.*

*Cistus humilis*, compactis in verticillos minoris halimifoliis. *Barr. ic. 327. et Bocc. mus. 2. pag. 76. tab. 64.*

Caules lignosi, semipedales, erecti, ramosi, ramis oppositis, inferne subtetragonis: atque stipularum exsiccatarum residuis scabris.

Folia glauca ut et tota planta, opposita, lanceolata, integerrima, crassiuscula, obtecta squamulis orbiculatis minimis, centro depressis: stipulæ subulata, utrimque binæ, non racemosæ, ut dixit Linnæus: petioli breves.

Flores racemosi, terminales, quorum pedunculi partiales lineam longi sunt atque erecti, dum florem sustinent, cernui vero quando fructum.

Calicis tria foliola ovato-acuta: quartum et quintum breviora, subulata, externe posita.

Corolla patens, saturate lutea, cuius diameter vix trium linearum; petalis integris, ovatis.

Stamina lutea, brevia, numerosa, situ congenerum: antheræ luteæ, parvæ.

Germen superum, obovatum, minimum: stylus staminibus longior: stigma capitatum, globosum.

Fructus calice connivente tectus: estque capsula ovato-oblonga trilobularis, trivalvis, valvulis ovatis, concavis; dissepimenta valvulis opposita: semina globosa, basi acuta, rufescentia, duo aut plura in quolibet loculamento.

Habitat copiose in Eldæ atque Noveldæ collibus aridis. *h* Floret ultimo Maio, Iunio et Iulio. Florebant ibidem *Thymus cephalotos*, *Frankenia lævis* et *pulverulenta*, *Lygeum spartium*, *Atriplex glauca* et *laciniata*, *Phoenix excelsior* et *humilis*, *Passerina glabra*, *Statice limonium* &c.

*Explic. tab. a* Flos magnitudine naturali. *b* Calix. *c* Capsula. *C* Eadem aucta, dehiscens. *d* Semen. *D* Idem auctum. *F* Folium auctum. *S* Squamula valde aucta.



*Obs. 1.<sup>a</sup>* Cistorum species aliquæ stylo gaudent staminibus longiore, aliæ vero stylo sunt penitus destitutæ, tuncque stigma maius, et sessile.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* In Linnæi loco citato, ubi Barrelierii verba transcribuntur, per errorem legitur *floribus in verticillos compactis*; flores enim racemosi sunt, et non verticillati.

### CISTUS RACEMOSUS *Linnæi. Tab. 140.*

152. CISTUS suffruticosus, stipulatus; foliis lanceolato-linearibus, subtus tomentosus. *Linn. sp. pl. tomo 2. pag. 603. Lamarck Dict. tomo 2. pag. 25.*

Cistus lavandulæ folio thyrsoides. *Barr. 293.*

Fruticulus erectus, glaucus, pedalis, cuius radices lignosæ, tortuosæ, fibris stipatæ: caulis a basi etiam ramosus, ramis oppositis: cortex in vetustioribus glaber, ruber; in teneris albicans, subtomentosus.

Folia opposita, breviter petiolata, lanceolato-lineararia, margine revoluta, inferiori pagina tomento brevi cana: stipulæ utrimque binæ, lanceolatæ, erectæ.

Flores racemosi, racemis terminalibus, sæpe binis: illorum pedunculi partiales breves, alterni, erecti dum florent, cernui vero quum fructum sustinent.

Calix glaber, albicans, pentaphyllus, cuius tria foliola interiora ovato-acuta, ciliata; exteriora vero breviora, sublanceolata, angusta.

Corolla lutea, cuius diameter pollicaris; ex quinque petalis orbiculatis, integris: in quorum unguibus puncta rubra notantur.

Stamina numerosa, breviora, lutea: antheræ ovatæ, eiusdemque coloris.

Germen ovatum: stylus filiformis, erectus, staminibus longior: stigma viride, capitatum.

Capsula intra calicem, ovato-oblonga, trilobularis, trivalvis, polysperma.

Semina orbiculato-compressa.

Habitat passim per universum regnum Valentinum in siccis montosis. *h* Floret a Maio ad Octobrem. Nulla species ista frequentior.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Germen. *c* Calix. *d* Idem expansus fructum sustinens.

*e* Capsula dehiscens aucta. *f* Semen.

*Obs.* Crescit etiam in Africa unde adportatus fuit a D. Desfontaines.

### CISTUS CINEREUS. *Tab. 141.*

153. CISTUS exstipulatus, suffruticosus: foliis oppositis, subtomentosis, ovato-acutis: floribus racemosis; racemis subternis terminalibus.

Radix lignosa, fusca, ramosa, ex qua caules prodeunt spithamæi, erecti, valde ramosi, ramis oppositis, albido-cinereis, uti tota planta ex tomento scilicet brevissimo.

Folia opposita, ovato-acuta, integerrima, petiolis connatis multoties longiora: stipulæ nullæ.

Flores racemosi, racemis plerumque tribus aut quatuor, terminalibus; pedicellis propriis brevibus alternis sustentati.

Calix ovatus, rubescens, pilis albis coopertus, pentaphyllus: foliola tria interiora ovata, duo exteriora minima, setacea.

Corolla patens, lutea, immaculata, figura et magnitudine Cisti squamati.

Stamina lutea: antheræ ovatæ.

Germen superum ovatum: stylus brevis: stigma incrassatum.

Capsula intra calicem, ovato-acuta, glabra, trivalvis, trilobularis, polysperma, dissepimento in valvularum medio, valvulis scilicet opposito.

Habitat in tractu montoso et collibus regni Valentini inter Villenam, Eldam, Noveldam.

Crescit etiam in monte Palomera Ayoræ ditionis. *h* Floret et fructificat mense Maio.



Vivunt ibi *Cistus squamatus*, *racemosus*, *thymifolius*, *helianthemum*; *Stipa tenacissima* et *iuncea*; *Avena bromoides*; *Ononis tridentata*; *Statice pruinosa*; *Thymus cephalotus*; *Festuca ciliata*, *Millium lendigerum*.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Flos integer antice spectatus. *c* Germen. *d* Capsula. *e* Eadem dehiscens.

### CISTUS NUMULARIUS *Linnæi. Tab. 142.*

154. *CISTUS* suffruticosus stipulatus; foliis inferioribus orbiculatis, superioribus ovatis.

*Linn. sp. pl. tomo 2. pag. 601. Lamarck Dict. tomo 2. pag. 24.*

*Cistus humilis*, vel *Chamæcistus numulariæ* folio. *Magn. monsp. 293.*

*Helianthemum numularium. Miller. Dict. num. 12. Bauh. hist. 2. pag. 20.*

Radix lignosa, ramosa, fibris aliquot, ex qua caules prodeunt pro soli natura vel tripollicares, vel semipedem longi, circa radicem prostrati, postea erecti, florentes præsertim: tomentum ipsis est, vix nudo oculo conspicuum.

Folia omnia opposita, breviter petiolata, quorum inferiora, ea potissimum quæ super terram expansa sunt, orbiculata cum acumine, superiora ovata; pagina inferiore albido-tomentosa, superiore viridia, nitida: stipulæ ovatæ, breves, marcescentes, deciduæ.

Flores racemosi, racemis terminalibus, sæpe binis.

Calix villosus, parvus, ovatus, cuius tria foliola maiora ovata, duo reliqua exteriora minima, subulata.

Corolla lutea, patens, vix trium linearum diametri, petalis orbiculatis.

Stamina breviter, numerosa, lutea: antheræ ovatæ.

Germen ovatum, superum, minimum: stylus brevis: stigma capitatum.

Capsula brevis, trivalvis.

Habitat passim in collibus regni Valentini, et in Castellæ consimili solo. *h* Floret Maio et Iunio.

*Explic. tab. a* Capitulum. *b* Calix auctus et expansus. *d* Germen.

*Obs.* In solo arido rubescit tota planta, ibique pygmæa est.

### CISTUS MARIFOLIUS *Linnæi. Tab. 143.*

155. *CISTUS* suffruticosus, exstipulatus; foliis oppositis, oblongis, petiolatis, planis, subtus incanis. *Linn. sp. pl. tomo 2. pag. 597.*

*Helianthemum luteum, thymi durioris folio. Barr. tab. 441.*

Radix lignosa, teres, ramosa, ex qua caules prodeunt lignosi, prostrati, ramosi, ramis divaricatis, oppositis: apice floridis erectis, et subtomentosis.

Folia opposita, ovato-acuta, magis minusve elongata; superne viridia et pilosa, inferne tomento albicantia: petioli breves: stipulæ nullæ.

Flores racemosi, terminales, pedicellis propriis brevibus tomentosus sustentati.

Calix ovato-conicus, tomentosus, cuius foliola tria ovato-acuta concava, duo reliqua exteriora setacea, breviter.

Corolla lutea, petalis orbiculatis, immaculatis, calice paulo maioribus.

Stamina numerosa, lutea: antheræ ovatæ, versatiles.

Germen globosum: stylus brevis: stigma globosum, mamillare.

Capsula trivalvis.

Habitat in regno Valentino prope oppidum Betera. *h* Floret Iunio.

*Explic. tab. a* Capitulum. *b* Calix expansus. *c* Corolla. *d* Germen. *e* Idem auctum.

*Obs.* Huius plantæ folia simillima sunt *Teucri mari* foliis: qua de causa *Linnaeus* apposite eam *Cistum marifolium* nominavit. Probarunt hoc nomen Botanici, quod minime arripit *Domino de Lamarck*, qui ex hac planta et *Cisto cano Linnæi* tum et etiam ex alia non-



dum incissa speciem quasi novam descripsit titulo *Myrtifolii*. Encycl. tomo 2. pag. 20. num. 31. Nihilominus tanti viri pace liceat mihi et nomina et species Linnæi conservare *marifolium* et *canum* scilicet; quia et diversæ plantæ sunt et nominibus gaudent a foliorum natura mutuatis. Observetur etiam, dictum Encyclopediæ auctorem ex *Cistis fumana* et *calicino* Linnæi, speciem unicam componere, quamvis calicis foliorum numero discrepare constet.

### CISTUS SALICIFOLIUS *Linnæi. Tab. 144.*

156. CISTUS herbaceus, patulus, villosus, stipulatus: floribus racemosis, erectis; pedicellis horizontalibus. *Linn. sp. pl. tomo 2. pag. 600. Lamarck Dict. tomo 2. pag. 27.*

*Helianthemum salicifolium*, et fugacium. *Mill. Dict. num. 21.*

*Helianthemum annuum humile*, foliis ovatis, flore fugaci. *Segu. ver. 3. pag. 297. tab. 6. fig. 3.*

*Cistus annuus I. Clus. hist. 1. pag. 76.*

Radix brevis, teres, fibrosa, dura, ex qua caules prodeunt, basi prostrati, deinde erecti, teretes, scabriusculi, aliquando ramosi, semipedales.

Folia opposita, floralia solitaria, breviter petiolata, ovato-oblonga, integra, obtusa, subrugosa, subvillosa: stipulæ ovato-oblongæ.

Flores solitarii, foliis oppositi, pedunculis basi horizontalibus, postea erectis, calice paulo longioribus.

Calicis foliola tria interiora ovato-acuta, striis tribus villosis notata: duo reliqua exteriora breviora, lanceolata.

Corolla lutea, cito decidua, ideoque fugax; petalis calice longioribus, ovatis.

Stamina lutea: antheræ ovatæ.

Germen globosum: stylus erectus: stigma globosum, mamillare.

Capsula vix calice maior, glabra, ovata, apice trigona, trivalvis polysperma.

Habitat Sagunti, copiose autem in collibus Aranjuez, et in prædio rustico vulgo *Casa del Campo* prope Matritum. Floret Maio. ☉ Florebant hic *Biserrula pelecinus*, *Ortegia hispanica*, *Loëflingia hispanica*, *Cistus ledifolius* et *gutatus*, *Aristolochia longa*, *Thymus mastichina*, *Andryala lanata*, *Lythrum hyssopifolium*: in Aranjuez vero inter alias benemultas stirpes *Malva trifida*, et *Malva ægyptia* caule prostrato, *Æchinops ritro*, *Hiacinthus serotinus*, *Ornitogalum luteum*, *Asphodelus ramosus*, *Stipa tenacissima*, *Iberis nudicaulis*, *Lysimachia linum-stellatum*, *Biscutella lyrata*, *Lepidium subulatum* et *iberis*, *Cheiranthus tristis*, *Lithospermum dispernum*.

*Explic. tab. a* Calix postice spectatus. *b* Germen. *c* Capsula. *d* Eadem dehiscens. *e* Semina. *f* Semen auctum quod est rufum, ovato-compressum altera parte acutum.

### CISTUS LÆVIS. *Tab. 145. fig. 1.*

157. CISTUS suffruticosus, stipulatus, lævis: foliis linearibus, brevibus, oppositis, margine revolutis.

An *Chamæcistus luteus thymifolio polianthes* seu maior? *Barr. icon. 443.*

Radix lignosa, fibris duriusculis.

Caulis fruticosus brevis, cuius rami oppositi, erecti, semipedales, teretes, glaberrimi quemadmodum tota planta, si summitates excipiantur in quibus villi brevissimi.

Folia sessilia, angusta, brevissima, linearia, margine utrimque revoluta; floralia solitaria, bistipulata; caulina et ramea opposita; stipulæ quatuor, lanceolatæ.

Flores racemosi, racemis terminalibus, quatuor aut quinque flores sustentibus; pedunculi uniflori, floribus longiores: capitula conica.

Calicis foliola tria, ovato-acuta, concava, striis quinque; duo reliqua exteriora brevissima, lineari-setacea.



Corolla calice maior, saturate lutea, petalis orbiculatis, integris, immaculatis.

Stamina numerosa, corolla breviora: antheræ subreniformes, dilutiores.

Germen ovatum: stylus staminibus longior.

Capsula calice brevior, trilocularis, trivalvis, loculis submonospermis.

Semina ovato-acuta, externe convexa, intus acuta, apiceque setula instructa, quæ dissepimento adhærent.

Habitat in collibus Engueræ et in *Collado* de Bocayrente. *h* Floret ab ultimo Maio usque ad Augustum.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Germen. *c* Capsula. *d* Eadem expansa cum seminibus. *e* Semen.

*E* Idem auctum, parte acuta spectatum. *f* Idem lateraliter visum. *F* Folium auctum.

*Obs.* Plantam siccam possideo quæ in Betica crescit, quæque media videtur inter Cistum lævem et glutinosum: color illi viridis, at capitula et ramorum summitates valde villosa: fructu caret, quo species determinari posset, loculamentorum nempe numero, atque seminum.

### CISTUS GLUTINOSUS *Linnæi. Tab. 145. fig. 2.*

158. Cistus suffruticosus, stipulatus, foliis minimis obovatis limbo revoluto: pedunculis villosis glutinosis: capsulis dehiscendo patulis.

Cistus suffruticosus, stipulatus: foliis linearibus oppositis, alternisque; pedunculis villosis, glutinosis. *Linn. sp. pl. tomo 2. pag. 602. Lamarck Dict. tomo 2. pag. 25.*

Cistus thymifolius suffruticosus, stipulatus, procumbens, foliis linearibus oppositis, brevissimis, congestis. *Linn. sp. pl. ibidem. Sauvag. monsp. 148.*

Chamæcistus luteus, thymifolio oliganthes. *Barr. ic. 444. satis accurata.*

Helianthemum folio thymi incano. *I. B. 2. pag. 19.*

Radix lignosa, durissima, fibris stipata duris.

Caules lignosi, inferne ramosi et prostrati, postea erecti, tres aut quatuor pollices longi, cortice tecti fusco, scabro ex foliorum et stipularum reliquiis: superiore parte glutinosis et ferrugineis pilis tecti.

Folia omnium Cistorum brevissima, obovata, limbo revoluto, virido-cinerea, subpubescentia: omnia opposita, floralibus exceptis, quæ sunt longiora et linearia: stipulæ pro singulis foliis binæ, ovatæ, terminatæ setula vix conspicua.

Flores racemosi, racemis brevibus, terminalibus, glutinosis.

Calix pentaphyllus, valde glutinosus, tener præsertim; foliolis tribus interioribus ovato-acutis concavis striatis; duobus exterioribus brevissimis.

Corolla lutea, calice brevior, petalis integris.

Stamina numerosa, lutea: antheræ ovatæ.

Germen globosum.

Capsula calice brevior, ovata, trilocularis, trivalvis, loculis dispermis.

Semina ut in præcedente.

Habitat in aridis prope oppidum Gilet, leuca a Sagunto seiunctum. *h* Floret Maio.

*Explic.* tab. *g* Pars caulis cum foliis aucta. *h* Corolla. *i* Capsula intra calicem nondum matura. *k* Eadem matura situ naturali. *l* Semen. *m* Idem auctum parte acuta spectatum.

*n* Idem lateraliter visum.

*Obs.* In unum coniungo Cistos glutinosum et thymifolium *Linnæi*, quod iam fecit *D. de Lamarck* in suo Dictionario. Fruticulus foliorum figura varius, qui tamen corollis brevissimis, capsularum valvulis expansis natura ipsa in figuram trigonam, foliorum oppositorum frequentia, atque racemis glutinosis, pilisque rufescentibus vestitis, facile a reliquis distinguitur. *Barrelieri* figura 415, huic meæ plantæ nullatenus convenit; quare silentio eam prætermisi etiamsi ad Cistum glutinosum tractam a *D. de Lamarck*.



CISTUS HIRTUS *Linnæi. Tab. 146.*

159. CISTUS suffruticosus stipulatus, foliis ovatis, calicibus hispidis. *Linn. spec. plant. vol. 2. pag. 604.*

Radix lignosa, ex qua caules assurgunt trium aut quatuor pollicum, teretes, ramosi.

Rami oppositi, erecti, plusquam semipedales, hispido-albicantes, racemo florum terminati.

Folia ovata, opposita, breviter petiolata, limbo revoluta, superne viridia, pilisque brevibus subtomentosis hirta; inferne albicantia, tomentosa: floralia solitaria, linearia, sessilia, absque stipulis: existunt istæ in reliquis quaternæ, oblongæ, acutæ.

Florum racemi tripollicares, pedicellis et capitulis cernuis, candidis pilorum multitudine.

Calix pentaphyllus; cuius tria foliola interiora ovato-acuta, striata; duo exteriora breviora.

Corolla calice maior, saturate lutea, petalorum unguibus fulvo colore maculatis.

Staminum filamenta lutea, numerosa, brevissima: antheræ ovatæ.

Germen ovatum: stylus staminibus longior, versus apicem crassior: stigma crassiusculum.

Capsula parva intra calicem, trilobularis, trivalvis, seminibus paucis orbiculatis fætâ.

Habitat prope oppidum Llanera ad viam regiam in regno Valentino.  $\zeta$  Florebat Maio, ibique Borrago officinalis, Echium vulgare, Cyperus longus &c.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Germen. *c* Petalum. *f* Folium.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Silentio pressi Clusii Ledon VIII. hist. 1. pag. 80. in quo flores non sunt racemosi, sed axillares, oppositi, foliaque linearia et oblonga, quæ minime conveniunt meæ plantæ. Diversum etiam ab hac reputo Cistum angusto-serpillifolio Barrel. tab. 488. quod nullus inficiabitur iconibus comparatis.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Cistus hispidus D. de Lamarck ab hoc nostro hirto vix alio quam corolla differt, lutea scilicet in hirto, alba in hispido. Neque a colore dumtaxat differentias specificas desumsit laudatus Encyclopædiæ auctor, sed a calicum etiam hirsutie aut lævitate. Hunc characterem sprevit Linnæus, nihil aut parum curans de calicum habitu; qui quidem minime laudandus videtur, quando pro Cisto piloso calices læves exigit, cui postea in synonymia plantas adiungit calicibus tomentosis, et valde hirsutis. Discrepantes characteres inconsulto copulat, ut ego quidem arbitror, qui plantas hic in patria vidi certe diversas, tamen affines foliorum atque stipularum figura. Gerardus item parvi pendit corollarum colorem, utpote qui ad Cistum pilosum refert species omnes parvas albo flore, quarum certe plures ab invicem differre nullus inficiabitur, qui in solo natali observet ipsas atque comparet. In tanta ergo plantarum copia, nihil contemnendum arbitror, ut omnes in bona luce collocentur. Separari ergo primum oportet Cistos omnes in duas phalanges, exstipulatos scilicet et stipulatos, quod Botanici Linnæus et Lamarck iure merito fecerunt. Numerentur deinde in utrisque capsularum loculamenta atque in istis semina, ut in sectiunculas separentur. Observetur ulterius foliorum figura, horumque limbus num revolutus sit aut planus. Veniat postea florum color atque petalorum maculæ si adsint, tum etiam figura et integritas: calices demum examinentur si læves sint, si pilosi, si hirsuti. Aliquas observavi plantas, fruticasas omnes, Thymi vulgaris habitu; plures etiam, eoque difficiles Teucrium polium et capitatum æmulantes foliorum figura, quæ semper integra sunt, et apparent linearia limbo revoluta. In re itaque difficili, quam alii difficiliorem nominibus rediderunt, condonandum mihi erit, nunc primo monographiam agredienti, si ab ipsorum sententia et nomenclatione aliquando recedam. Icones omnes dabo e plantis vivis et in patria crescentibus mutuatas, quibus in posterum alii utentur ad proprios, aut meos fortasse errores corrigendos. Itaque propter calices læves, colorisque purpurei sequentem plantam describam, diversam ab Apennino Linnæi, et a Cisto splendente D. de Lamarck.



CISTUS VIOLACEUS. *Tab. 147.*

160. CISTUS suffruticosus, stipulatus: foliis oppositis, linearibus, subtomentosis: calicibus lævibus violaceis.

Radix lignosa, et caules suffruticosi, declinati, unde rami prodeunt erecti, semipedales, oppositi, tenuissimo tomento subalbi, inferne foliosi, superiore parte nudi.

Folia opposita subsessilia, linearia, limbo revoluta, subtomentosa, brevia: stipulæ quaternæ, subulata.

Flores racemosi, terminales, pedicellati, pedicellis basi stipulatis.

Calix violaceo-ruber, glaber, pentaphyllus: cuius tria foliola interiora ovato-acuta, striis protuberantibus: duo reliqua exteriora brevia, ovata.

Corolla calice maior, alba, petalis integris, quorum unguis saturate lutei.

Stamina numerosa, brevia, lutea: antheræ saturatiores, obovata.

Germen superum globosum: stylus staminibus duplo longior: stigma capitatum.

Capsula ovata, trivalvis, .....

Habitat in collibus aridis regni Valentini, Sagunti, Valldignæ. *h* Florebat Maio.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Germen.

*Obs.* Diversus videtur a Cisto splendente D. de Lamarck foliis minimis, neque viridibus et splendentibus, quo ab Apenino Linnæi etiam differt. Calices colore et habitu characterem haud contemnendum suppeditant.

IASIONE FOLIOSA. *Tab. 148. fig. 1.*

161. IASIONE radice crassa perenni: foliis ovato-oblongis, sessilibus, sparsis: caulibus striatis, omnino foliosis.

Radix alba, crassa, fustiformis, cortice lutescente vestita, ex qua plures exsurgunt caules vix semipedales, basi prostrati, postea erecti, striati, lævissimi, a basi ad apicem valde foliosi.

Folia radicalia numerosa, in rosam expansa; exteriora pollicaria, angusta et veluti spatulata, raro dentata: interiora dimidio et amplius breviora, integerrima, omnia glaberrima: caulina sparsa, valde adproximata, sessilia, sublinearia, obtusa, inferne angustiora, uninnervia.

Flores capitati terminales, quorum involucri commune polyphyllum, compositum, ex duodecim fere foliolis ovato-oblongis, sessilibus, duobus ordinibus: flos quilibet pedicellatus.

Calix superus, persistens, profunde quinquepartitus; laciniis acutis, viridibus.

Corollæ petala quinque, calice duplo longiora, angustissima, saturate violacea, basi angustiora, albicantia et subconnexa.

Staminum filamenta quinque, alba, subulata, incurvo-conniventia: antheræ albicantes, oblongæ, basi subconnexæ.

Germen inferum ovato-turbinatum: stylus corolla longior, albicans: stigma violaceum, clavatum, apice emarginatum.

Fructus deerat.

Habitat copiose prope cacumen montis Orospedæ vulgo *Mariola* in tractu *Alt de Moncabrer* contra septentrionem in saxorum fissuris. *z* Floret Augusto. Vidi ibidem *Erinum alpinum*, *Anthyllidem ericaceam*, *Potentillam albam* foliis viridioribus, magisque pilosis quam in planta figurata a D. Iacquino Aust. tab. 115. *Geranium saxatile*, *Cratægum rotundifolium* et *ariam*, *Drabam alpinam*, *Silenem saxifragam*, *Arenariam iuniperinam*.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Flos integer auctus. *c* Petalum. *d* Stamina aucta.

*Obs.* Differt hæc species a *Iasione montana* Linnæi (quam D. de Lamarck *undulatam*



nominavit) foliis glaberrimis minime undatis, et radice perenni: a Iasione perenni supplementi caulibus omnino foliolis. Omnes in Hispania crescunt, undata scilicet in Mentridæ viciniis; perennis in Aragoniæ montibus; foliosa in Orospedæ et Idubedæ cacuminibus.

LOËFLINGIA PENTANDRA. *Tab. 148. fig. 2.*

162. LOËFLINGIA foliis oppositis, subulatis, connatis, utrimque unidentatis: floribus trigynis. Radix sesquipollicaris, duriuscula, parce fibrosa, ex qua cauliculi prodeunt vix bipollicares, ramosi, teretes, prostrati, villosi.

Folia ad nodos opposita, connata, brevia, subulata, basi ampliata, limboque unidentata, denticulo in setam abeunte.

Flores fasciculati, ad axillas solitarii, sessiles.

Calix persistens, ex quinque foliolis ovato-acutis, quorum tria exteriora versus mediam longitudinem bidentata.

Corolla alba, calice brevior, petalis quinque ovato-oblongis, adproximatis.

Staminum filamenta quinque, brevia, vix longitudine corollæ: antheræ ovatæ.

Germen superum, ovatum: styli tres breves: stigmata simplicia.

Capsula ovato-acuta, trivalvis, unilocularis, polysperma, calice clausa.

Semina ovata, albicantia, puncto rufo notata, qua receptaculo brevi sunt affixa.

Habitat in arena inter mare Mediterraneum, et lacum vulgo *Albufera* secundo a Valentia lapide. ☉ Floret Maio, una cum Ephedra distachia, Polycarpo diphillo, Salicorniis herbacea et fruticosa, Salsolis rosea, trago, kali &c.

*Expl. tab. A* Folium. *B* Calix. *C* Corolla. *D* Germen. *E* Capsula. *F* Semen: omnia aucta.

*Obs.* Huius plantæ habitus est omnino idem cum Loëlingia hispanica; genitalia diversa. An rectius inter *alsines* utræque collocandæ, quemadmodum et Minuartia montana? Loëlingia hispanica ab alsine differt stylium atque staminum numero; hæc vero *Pentandra* non nisi calicis foliolis basi denticulatis, quæ certe parvifacienda sunt.

LEONTODON HISPIDUM *Linnæi. Tab. 149.*

163. LEONTODON foliis oblongis, dentatis, hispidis: calicibus erectis hispidis.

Leontodon calice toto erecto: foliis dentatis, integerrimis, hispidis, pilis furcatis. *Linn. spec. plant. tomo 3. pag. 634.* apud quem videantur synonyma.

Radix brevis, stipata fibris, ex qua folia prodeunt numerosa, radicalia, et caules: isti sunt teretes, semipedales, erecti, uniflori, prope florem incrassati, nunc squamulis brevibus lanceolatis; nunc foliis, idque rarius, lanceolatis integris aut dentatis ornati, pilis numerosis albis, aliquando furcatis, hispidi.

Folia oblonga, versus basim angustiora, dentata, dentibus oppositis, qui quandoque adeo magni profundique sunt, ut illa subpinnata appareant, quæ tecta sunt etiam supra dictis pilis.

Flores terminales, solitarii, dilute lutei.

Calix communis imbricatus, oblongus, squamulis lineari-acutis, valde hispidis, exterioribus brevioribus erectis.

Corolla composita, imbricata, uniformis: propria monopetala, ligulata, truncata, quinque-dentata.

Stamina quinque, brevissima: anthera cylindræa, fusca.

Germen ovatum: stylus corolla brevior: stigmata duo reflexa.

Semina oblonga, nigra, insculpta, coronata papo sessili, candido, plumoso.

Receptaculum punctatum et subalveolare.

Habitat copiose in tractu vulgo *Pinar del Provenzo*, et prope Almansa ad viam regiam; in



collibus etiam contra conventum Sanctæ Annæ de *Albayda*. ☉ Floret initio Maii. Florebant ibi *Cistus rosmarinifolius*, *libanotis*, *helianthemum*, *umbellatus*: *Antirrhinum pellisserianum* et *hirtum*, *Adonis vernalis*, *Onosma echioides*, et *Anthericum ramosum*.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Flosculus integer. *c* Semen. *d* Plumula aucta. *e* Semen auctum. *ff* Pili, quorum alter simplex, furcatus alter.

*Obs.* Species certe difficilis auctorum numero, qui de plantis tractarunt, quas in unam speciem coniunxit Linnæus: pilos apice furcatos hic postulat inter characteres específicos, quos ego simplicissimos fere semper vidi. *Leontodon* ulterius iuxta Lamarck (*Flore françoise*, pag. 112.) scapo gaudet foliis squamulisque destituto, cuius opinio si semel admittatur, eliminandæ ab hoc genere erunt species aliquæ. A fructificatione ergo quam Linnæus dedit, probavitque Iussieus, aliique Botanici plantas determinare malui quam ab habitu. Quam ob rem supra descripta planta *Leontodon* proculdubio est; ab *hirsuto* diversum, quia calice gaudet valde hirtio, et semina præbet paposa, papo sessili plumoso, numquam caliculo terminata: ergo a calice toto erecto, aliisque characteribus *Leontodon* hispidum dici debet. Folia fateor polymorpha sunt in hac planta, dentibus scilicet nunc brevibus, nunc profundissimis, adeo ut pinnata aliquando videantur.

### ANTHYLLIS ONOBRYCHIOIDES. Tab. 150.

164. ANTHYLLIS caule fruticoso brevi: ramis erectis: foliis pinnatis, pinnulis sublinearibus. Radix lignosa, ex qua caulis exurgit fruticosus, brevis, crassiusculus, cortice obductus fusco: rami plurimi sesquipedales: magna parte nudi, teretes, glabri, versus apicem dumtaxat subvillosi.

Folia alterna, impari-pinnata, pinnulis 9-11 sæpe alternis, aliquando oppositis sublinearibus: stipularum loco observantur tuberculi duo rubentes, acuti.

Flores umbellato-capitati, quorum pedunculus communis solitarius, axillaris ad folium profunde trifidum, aut potius ternatum laciniis linearibus: capitula globosa ex duodecim fere floribus subsessilibus, suffultis folio unico præcedenti simile.

Calix tubulosus, villosus, apice quinque-dentatus, dentibus superioribus paulo longioribus.

Corolla lutea, minima, papilionacea: vexillum ovatum, erecto-reflexum: alæ breves, falcatae, carina ovata, paulo breviores.

Stamina decem, connexa: antheræ ovatae.

Germen teres: stylus adscendens: stigma incrassatum.

Legumen ovatum cum acumine arcuato, breve, monospermum.

Semen ovatum.

Habitat in saxosis versus superiora montium Vallidignæ, qua adscendimus ad fontem vulgo *del Abadejo*, in *barranc del Sirer*, et alibi in dictis montibus. ♀ Floret Maio stipata *Cistis* racemoso, albido, crispo, *Thalictro* tuberoso &c.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Calix. *d* Corollæ partes. *e* Staminum tubus expansus. *f* Germen. *g* Legumen. *h* Semen.

### POLYCARPON DIPHYLLUM. Tab. 151. fig. 1.

165. POLYCARPON foliis oppositis, orbiculatis.

Radix albicans, fibrosa, bipollicaris, ex qua cauliculi exurgunt herbacei, teretes, bi-tripollicares, basi prostrati, postea erecti, glabri.

Folia opposita, numquam quaterna, orbiculata, integerrima, petiolis brevibus sustentata: stipulæ utrimque binæ, scariosæ, ovato-acutæ, marcescentes.

Flores racemoso-corymbosi, terminales.

Calix pentaphyllus, foliolis concavis, apice fornicatis, cuspidatis.



Corollæ petala quinque, alba, sublinearia, basi acuta, apice bifida.

Staminum filamenta tria, corolla breviora, erecto-incurva: antheræ ovatæ.

Germen globosum: styli tres: stigmata simplicia.

Capsula globosa, unilocularis, trivalvis, polysperma.

Habitat copiose prope oppidum Puig, et in tractu vulgo *Dehesa* iuxta Saler. ☉ Maio floret, simulque Rumex spinosus, Arenaria rubra, Ononis pinguis, Asparagus horridus.

*Explic.* tab. *a* Calix auctus. *b* Huius foliolum. *c* Corolla. *d* Genitalia. *e* Germen: omnia aucta. *f* Stipulæ. *g* Istæ auctæ.

*Obs.* Fortasse hæc planta pro varietate habenda erit Polycarpi tetraphylli Linnæi, cum idem sit utriusque habitus; verumtamen notandum est, inter innumeras plantulas quas passim vidi, nullam me reperiisse foliis quaternis: quare si eadem est cum Linnæana specie, nomen specificum *tetraphyllum* improprium.

### LEPIDIUM GRAMINIFOLIUM Linnæi. Tab. 151. fig. 2.

166. *LEPIDIUM* foliis linearibus: superioribus integerrimis, caule paniculato, virgato: floribus hexandris. *Linn. sp. pl. tomo 3. pag. 219.*

Radix perennis, fustiformis, descendens, tripollicaris et amplius, stipata fibris: ex cuius summitate incrassata et subramosa, caules exsurgunt pedales, glaberrimi, teretes; rami nulli.

Folia radicalia numerosa supra terram expansa, basi angustiora, versus apicem sensim ampliora, ibique 3-5-dentata: caulina integerrima, sessilia, sparsa, omnia glabra.

Flores spicati, spicis terminalibus sensim elongatis, sæpe solitariis, aliquando ternis: in quibus flores adproximati, alterni, pedicellati.

Calix purpurascens, tetraphyllus, foliolis obovatis, deciduis.

Corolla alba, petalis calice paulo longioribus, rotundatis, basi angustis.

Staminum filamenta sex, lutea, tetradynama: antheræ ovatæ.

Germen ovato-acutum, compressum: stylus brevissimus: stigma obtusum.

Silicula brevis, compressa, ovato-acuta, stylo terminata, bilocularis, bivalvis: dissepimento diaphano, valvulis carinatis parallelo.

Semina solitaria, ovata, dissepimenti apice hinc inde adfixa, valvulis deciduis.

Habitat in monte vulgo *Mollet* ditionis Villafamés. Florebat Septembri. ♀

*Explic.* tab. *A* Flos. *B* Petalum. *C* Genitalia. *D* Corolla et calix. *E* Siliqua. *F* Valvula semen fovens. *G* Semen: omnia aucta.

*Obs.* In plantis quæ ibi crescunt, numquam vidi folia radicalia *pinnato-lyrata*, qualia Linnæus attribuit *Lepidio* graminifolio.

### ONONIS TRIDENTATA Linnæi. Tab. 152.

167. *ONONIS* fruticosa; foliis ternatis, carnosis, sublinearibus, tridentatis: pedunculis bifloris. *Linn. sp. pl. tomo 3. pag. 431. Lamarck Dict. tomo 1. pag. 508. Mill. Dict. num. 4.*

*Anonis* hispanica frutescens, folio tridentato, carnosio. *Tournef. inst. 408. Robert. tab. 36.*

Caulis fruticosus, sesquipedalis, valde ramosus, ramis erectis: horum cortex albicans tomento brevi, minime glutinosus.

Folia ternata, glauca, crassa, linearia, apice mucronata, raro tridentata, breviter petiolata.

Stipulæ imo petiolo adnatæ, breves, basi latæ, apice acutæ.

Flores racemosi, terminales; pedunculis axillaribus, articulatis, villosis, uni-bifloris, quorum longitudo vix trium linearum.

Calix campanulatus, villosus, profunde quinquepartitus, laciniis crassis, subulatis, patulis.



Corolla papilionacea, rosea, basi albicans: vexillum ovatum, reflexum, longitudinaliter sulcatum, ibique saturate roseum: alæ adproximatæ, basi auriculatæ, et prope auriculam interne corniculo auctæ: carina brevior, dilutior, et fere alba, basi bifida, unguibus brevibus.

Stamina decem, albicantia, quorum novem in vaginam coalita, decimum liberum, omniaque intra carinam alasque recondita: antheræ ovatæ, luteæ, versatiles.

Germen ovato-acutum: stylus staminibus longior: stigma simplex.

Fructus legumen polyspermum, subpollicare, pendulum, compressum, villosum, terminatum stylo.

Semina reniformia 2-4.

Habitat copiose prope Llanera in montibus vulgo *Port de Carcer*: crescit etiam inter Domeño et Chelva; Xixona et Tibi; Ialance et Cofrentes; Eldam et Noveldam. ♀ Floret Iunio, hicque Cistus squamatus, Statice pruinosa et limonium, Thymus cephalotus, Anthyllis cytisoides, Festuca phoenicoides, Lygæum spartium, Stipa tenacissima et iunca &c.

*Explic.* tab. a Calix. b Petala expansa, ubi 1 vexillum, 2 alæ, 3 carina. c Genitalia. d Legumen. e Semen.

*Obs.* Nihil nitidius, nihil accuratius dari potest Robertiana tabula supra laudata. Plantam sistit habitu atque foliis a mea nonnihil diversam: in Valentinis plantis unum aut alterum folium observatur apice tridentatum; sunt enim fere omnia integerrima. Ramulum ergo pinxi ut huius speciei varietas cognoscatur.

### ONONIS BARBATA. *Tab.* 153.

168. ONONIS foliis ternatis, ovatis, serratis, glabris, superioribus solitariis: calicis laciniis subulato-setosis: corolla longioribus: florum spiculis terminalibus.

Radix teres, fibrosa, ex qua caules prodeunt 4-6-pollicares, basi reclinati, postea erecti, glabri ut et tota planta.

Folia alterna, caulina ternata, foliolis ovatis, serratis, basi angustioribus: floralia simplicia, longiora: stipula petiolo adnata, striata, bifida, laciniis subulatis, vix dentata.

Flores in caulium summitate subspicati, ad folium axillares, subsessiles: spica pollicaris.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis subulato-setaceis, corolla longioribus.

Corolla lutea, striata: vexillum ovatum plicatum: alæ breves ovatæ, basi auriculatæ, setaque instructæ: carina alis longior, vexillo brevior.

Stamina decem, connexa in tubum germen vaginans, apice libera: antheræ luteæ, globosæ.

Germen oblongum: stylus simplex, filiformis, adsurgens: stigma obtusum.

Legumen ovatum, fere glabrum, intra calicem auctum; bivalve, trispermum.

Semina reniformia.

Habitat in Sucronis, Sagunti, Sætabis, et Valldignæ montibus. ♀ Floret Maio, una cum Stipis capillata, tenacissima et contorta, Bromis squarroso, molli, rubente &c.

*Explic.* tab. a Flos integer. b Idem aliter spectatus. c Petala. d Genitalia. e Calix fructifer. f Legumen. g Idem apertum. h Semen. S Folium cum stipulis.

*Obs.* Planta affinis Ononidi saxatili Lamarck Dict. a qua differt calicibus corolla longioribus, et foliis superioribus simplicibus. Diversa est etiam ab eiusdem auctoris Ononide parviflora, mox describenda, quia corolla gaudet magna, habita ratione ad plantam, foliis superioribus duplo longioribus, floribus in ramulorum summitate, stipulisque subulatis.

### ONONIS PARVIFLORA *Lamarck.* *Tab.* 154. *fig.* 1.

169. ONONIS floribus sessilibus, axillaribus: foliis inferioribus ternatis, ovatis, dentatis; superioribus simplicibus; calicibus corolla longioribus.



Ononis floribus sessilibus, lateralibus; foliis inferioribus ternatis, superioribus simplicibus, longe petiolatis; calicibus basi scariosis, corolla longioribus. *Lamarck Dict. tomo 1. p. 510.*  
 Caules teretes, ramosi, prostrati, pubescentes, vix semipedales.

Folia ovata, dentata, striata, inferiora ternata, petiolis subæqualia, medio petiolato; superiora simplicia, sustentata petiolis duplo longioribus: stipula semiamplexicaulis, petiolo adnata, dentata, bifida, minime in laciniam subulatam terminata.

Flores axillares, solitarii, per caulium atque ramulorum longitudinem sessiles.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis subulatis, corolla duplo longioribus.

Corolla lutea, calice multo brevior, raro conspicua, minima: vexillum ovatum plicatum: alæ breves, ovatæ, basi falcatæ: carina alis paulo maior.

Stamina ut in præcedente.

Germen minimum: stylus capillaris.

Legumen intra calicem subglobosum: vix villosum, terminatum stylo arcuato: semina tria, reniformia.

Habitat iuxta oppidum Sierra de Engarceran. Floret Augusto.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Corolla. *c* Eadem expansa. *e* Legumen. *f* Semina intra valvulam. *g* Semen solitarium. *S* Stipula.

### ONONIS CAPITATA. *Tab. 154. fig. 2.*

170. ONONIS caulibus prostratis, ramosis, filiformibus: foliis ternatis: floribus capitatis. Radix teres, fibrosa, ex qua caules prodeunt filiformes, teretes, ramosi, glabri, 6-10-pollices longi, prostrati.

Folia alterna, ternata, ovato-oblonga, basi acuta, dentata, glabra.

Flores in summitate caulium atque ramorum alterni et axillares; verumtamen adeo approximati ut capitulum referant.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis subulatis, corolla brevioribus.

Corolla lutea, figura præcedentis.

Stamina decem, omnia connexa in vaginam elongatam; postea libera: antheræ luteæ.

Germen ovatum minimum: stylus filiformis longus, apice adsurgens: stigma incrassatum.

Legumen glabrum, ovatum, nigricans ut in præcedenti.

Semina quatuor, parva, reniformia.

Habitat cum præcedenti; copiose etiam in montibus Saguntinis, Sætabinis &c. Floret a Iunio ad Augustum.

*Explic. tab. A* Flos integer. *B* Calix. *C* Petala. *D* Genitalia. *E* Germen. *F* Fructus. *G* Valvula cum seminibus. *H* Semen.

*Obs.* Præter species supra descriptas vidi in montibus Orospeðæ, Carrascal de Alcoy, et Morellæ Ononidem aragonensem, quorum folia eadem vi diuretica gaudent cum Arbutu uva-ursi: in collibus iuxta oppidum Moxente Ononidem fruticosam: ad viarum margines et passim per regnum Valentinum Ononidem arvensis et pinguem: prope oppidum Quesæ, Bolbayte et Navarres Ononidem viscosam, quæ omnes florent Maio et Iunio. In eodem regno Valentino crescit Ononis rotundifolia et aleopecuroides.

### CORONILLA SQUAMATA. *Tab. 155.*

171. CORONILLA caule herbaceo, erecto: foliolis undenis, ovatis, subtomentosis: leguminibus pendulis, squamatis.

Ex eadem radice crassa, caules plurimi prodeunt herbacei, erecti, spithamæi, sulcati, ramosi, subtomentosi.

Folia impari-pinnata, pinnulis ovatis, subtomentosis, æqualibus, sustentatis petiolo crassiu-



sculo, inferne nudo: stipulæ petioli basi adnatæ, breves, ovatæ, scariosæ, minime ab illo distinctæ ut Iussieus possuit inter generis notas.  
 Flores umbellati, sex ut plurimum, subsessiles.  
 Calix brevis, campanulatus, bifidus, nonnihil tomentosus, dentibus tribus inferioribus brevioribus, superioribus duobus coalitis.  
 Corolla papilionacea, lutea: vexillum ovatum, reflexum, lineis saturatioribus, alis paulo longius, cuius unguis calice longior: alæ ovatæ, sursum conniventes, deorsum dehiscentes: carina compressa, acuminata, adscendens, alis brevior.  
 Stamina decem, quorum unum liberum, reliqua in vaginam connexa: antheræ ovatæ.  
 Germen oblongum, teres: stylus setaceus, adscendens, basi quasi bisquamatus: stigma obtusum.  
 Legumina pendula, nonnihil sinuata, recta squamulis furfuraceis.  
 Habitat ad viam regiam prope oppidum Lamota del Cuervo. Florebat ultimo Aprilii.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix auctus. *c* Petala. *d* Vexillum. *e* Genitalia. *f* Stamina aucta. *g* Germen. *h* Legumen auctum.  
*Obs.* Ab squamulis quæ legumen undique vestiunt nomen dedi. Sunt istæ transparentes, nunc hirtæ, nunc depressæ.

### LOTUS CRETICUS *Linnæi. Tab. 156.*

172. LOTUS leguminibus subternatis; caule suffrutescente; foliis sericeis nitidis. *Linn. sp. pl. vol. 3. pag. 567.*  
 Lotus argentea cretica. *Pluk. alm. 226. tab. 43. fig. 1.*  
 Radix alte in arena defossa, filiformis, fibrosa.  
 Caules prostrati, semipedales, ramosi, tomento brevi argentati.  
 Folia ternata, ovata, incana, argentea, minima, subsessilia, sustentata petiolo communi brevi, plano: stipulæ foliis similes, attamen nonnihil acuminatæ.  
 Flores terminales, capitulis dimidiatis, subquadrifloris, ad cuius basim folium ternatum absque stipulis.  
 Calix tubulosus, semiquinquepartitus, laciniis superioribus subæqualibus, longioribus: inferiorum media productiore.  
 Corolla papilionacea lutea: vexillum ovatum, emarginatum, lineis notatum rubentibus: alæ breviores subauriculatæ: carina brevissima acuta, basi bisetosa.  
 Stamina decem, quorum alterum liberum, reliqua in vaginam connexa: apicibus liberis, alternis brevioribus, clavatis: antheræ ovatæ, quasi clavis implantatæ.  
 Germen oblongum: stylus capillaris, adsurgens: stigma simplex.  
 Legumen teres, rubescens, rectum, polyspermum.  
 Semina fusca, obovata.  
 Habitat in arena mobili iuxta mare Valentinum, copiose tamen in Sucronense littore. Floret Maio et Iunio.  
*Explic.* tab. *a* Flos. *b* Calix auctus. *c* Petala. *d* Germen. *e* Stamina. *f* Apex valde auctus. *g* Legumen. *h* Semen. *H* Idem auctum.  
*Obs.* 1.<sup>a</sup> Diversus a Loto cytisoide *Linnæi* si *Barrelieri* tabulæ 1031 standum est, quam ad suum cytisoidem ille refert. Conferantur icones.  
*Obs.* 2.<sup>a</sup> Ubique prostratum vidi, nisi in littore maris prope Castulonem, ubi durior est foliisque instruitur duplo longioribus.

### LOTUS EDULIS *Linnæi. Tab. 157.*

173. LOTUS leguminibus subsolitariis gibbis incurvis. *Linn. spec. plant. tomo 3. pag. 565.*  
*Mill. Dict. num. 11.*



Pentaphyllos siliqua cornuta. *Bauh. pin.* 332.

Caulis prostratus, ramosus, semipedalis, tener villosus.

Folia ternata, petiolo communi brevi plano sustentata, ovata, ciliata: stipulæ cordatæ, acutæ.

Flores solitarii, suffulti folio ternato absque stipulis, sustentati pedunculo axillari, pollicari.

Calix basi tubulosus, terminatus in quinque lacinias longas lineares.

Corolla lutea, venis saturatoribus variegata in vexillo quod est integrum alisque longius: apex carinæ niger: reliqua ut in præcedente.

Legumen sesquipollicare, arcuatum, subcylindraceum, polyspermum. Semina globosa, hinc inde ad valvularum parietes declinata, suturæ affixa.

Habitat in Sucronense monte, præcipue tamen in atrio Sanctuarii, quod est in montis cacumine. Floret Maio et Iunio.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *c* Vexillum. *d* Ala. *e* Carina. *f* Germen. *g* Stamina. *h* Stamina aucta. *i* Apex cum anthera. *k* Legumen. *l* Idem aliter observatum. *m* Idem dehiscens.

*Obs.* Iuxta Linnæum loco citato sutura dorsalis recta est: incurvam ego vidi.

### ASCLEPIAS FOETIDA. *Tab.* 158.

174. ASCLEPIAS caule tereti volubili: floribus racemosis: foliis oppositis, cordatis, acuminatis.

Caulis geniculatus teres, contra solis motum volubilis, fruticosus, ramosus, ramis alternis.

Folia opposita, cordata, ovato-acuta, acumine producto, supra viridia, inferne glauca: petioli teretes, arcuati, foliis paulo breviores.

Flores foetidi, racemosi, racemis lateralibus, solitariis.

Calix parvus, profunde quinquepartitus, laciniis acutis, rubescentibus.

Corolla herbaceo-lutescens, laciniis quinque linearibus, canaliculatis, revolutis: corniculi albicantes erecti, genitalia cingentes. In horum centro locatur theca brevis, cui sacculi penduli sunt adpressi, ut in congeneribus (*Videatur tom. 1. pag. 5*).

Antherarum radices quinque, minimæ, rubræ, in totidem angulis corporis fungosi pentagoni locatæ, ex quarum basi filamenta duo oriuntur tenuissima, brevia, in clavas terminata, quæ in sacculis absconduntur.

Germina duo in fundo thecæ adproximata, in stylos subulatos desinentia: stigma simplex, pentagonum, albicans in cuius angulis ut dixi antherarum radices implantatæ sunt.

Fructus.....

Habitat in Mexicano imperio.  $\mathcal{Z}$  Hospitatur in Regio horto Matritensi: floret Octobri et Novembri: nondum fructificavit.

*Explic.* tab. *a* Calix auctus. *b* Flos integer. *c* Genitalia corniculis cincta. *d* Corniculum interne spectatum. *e* Genitalia. *f* Eadem sacculis orbata. *g* Sacculi postice spectati. *h* Idem antice.

### CYNANCHUM NIGRUM. *Tab.* 159.

175. CYNANCHUM caule glabro volubili: foliis cordatis, ovato-cuspidatis: corollis nigris.

Caulis glaber, uti tota planta, teres, volubilis, geniculatus, ad genicula incrassatus, sexpedalis et amplius in caldario.

Folia opposita, petiolis longiora, cordata, ovato-cuspidata, uninervia, nervo ramoso.

Flores racemosi: pedunculus communis solitarius, crassus, inter foliorum petiolos: flores alternatim bini, pedicellis semiuncialibus, ad insertionem suffultis squamula acuta.

Calix monophyllus, brevis, laciniis quinque, acutis.



Corolla nigra, primum expansa, deinde contra pedicellum reflexa, monopetala, laciniis acutis.

Corollæ centrum occupant genitalia hoc modo: germina duo ovata adproximata locantur in fundo corporis crateriformis, ipso undique tecta: excurrunt illa in totidem stylos conicos contra stigma commune, quod est corpus fungosum pentagonum. In huius angulis implantatæ sunt antherarum radices prominentes. Ex unaquaque radice filamenta duo subtilissima oriuntur divaricata, in clavas aucta situ horizontali: teguntur hæc omnia pellicula pentagona in cuius centro puncta duo prominent: lateribus vero quinque adpressæ sunt squamulæ totidem, quæ descendunt usque ad corpus crateriforme, arcubus quinque circumscriptum, in quo foveæ quinque luteæ continentur.

Habitat in Mexico.  $\mathcal{Z}$  Nondum fructificavit hæc nova species biennio iam in hortum Regium Matritensem introducta, quæ flores protulit mense Octobri.

*Explic.* tab. *a* Capitulum. *b* Flos integer magnitudine naturali. *c* Stigma cum antheris. *d* Antheræ duæ cum radice. *e* Corpus crateriforme. *f* Germina. *g* Flos: omnia aucta.

*Obs.* Hæc species adeo similis est *Cynancho grandifloro*, ut pro eodem habebatur quoad usque flores protulit.

### OPHRYS LUTEA. *Tab.* 160.

176. OPHRYS bulbis ovatis: foliis ovato-acutis, caulinis amplexicaulibus, canaliculatis: corollæ petalo maiore tripartito luteo.

Bulbi duo, albicantes, ovati, in fundo stirpis, supra quos radiculæ filiformes.

Caulis teres, foliosus, vix pedalis.

Folia radicalia, amplexicaulia, ovato-acuta, lineata, superne viridia, inferne argentea: caulina canaliculata, sensim breviora.

Flores versus caulis apicem alternatim positi, axillares ad foliolum oblongum.

Calix viridis ex foliolis tribus ovatis, superiore concavo.

Corolla tripetala in cruce expansa: petala superiora brevia, lutea, cum calicis foliolis alterna; tertium magnum, superne carinatum, carina fusca, brevi tomento lucida: limbus luteus expansus tripartitus, lacinia media emarginata. In centro floris fovea exstat cucullata, genitalia fovens, cuius fundum punctis est exasperatum.

Antheræ duæ oblongæ sub cucullo locatæ, quarum apex inferior terminatur globulo diaphano supra foveam pendulo.

Germen oblongum inferum: stylus adnatus basi foveæ: stigma obsoletum.

Fructus ut in congeneribus.

Habitat passim in humidis umbrosis prope Albaydæ oppidum, præsertim ad collis radicem iuxta fontis originem. Floret Martio et Aprili. Vulgo *Abelletes grogues* id est apes luteæ.

*Explic.* tab. *a* Flos integer magnitudine naturali. *b* Calix, cui suffulta bractea aut foliolum. *c* Petalum minus. *d* Germen auctum cum genitalibus foveæque asperitatibus. *e* Anthera inferne globulo terminata.

### OPHRYS SCOLOPAX. *Tab.* 161.

177. OPHRYS bulbis ovatis; caule tereti; foliis lanceolatis: cuculli rostro prolongato.

Bulbi duo ovati, aliquando oblongi, albicantes, duriusculi, solidi: supra quos radiculæ filiformes, teretes, diaphanæ, sæpius horizontales.

Caulis teres, foliosus, pedalis et amplius.

Folia lanceolara, vaginantia, lineata, pagina superiore viridia, inferiore nonnihil argentea, quod tribuendum est protuberantibus globulis, aut vesiculis, oculos fugientibus.

Flores alterni versus caulis superiora, et sessiles ad bracteam acutam cucullatam.



Calix dilute violaceus, ex tribus foliolis ovato-acutis.

Corollæ petala tria, quorum duo superiora, minima, acuta, dilute violacea; tertium magnum dependens, trilobum; lobo medio maiori, limboque utrimque ita revoluta ut tubum ventricosum efformet, extremitate antice in caudæ formam prominente: lobi duo laterales antice eriguntur limbo reflexo.

In floris centro fovea exstat, absque asperitatibus, cucullata, cucullo in rostrum producto quemadmodum in Scolopace videtur.

Antheræ duæ, oblongæ, sessiles, sub cucullo locatæ, terminatæ inferne totidem globulis diaphanis, supra foveam pendulis.

Germen ac reliqua ut in præcedenti.

Habitat floretque cum præcedenti. Vulgo *Abelles*; id est apes.

*Explic.* tabulæ, quæ plantam sistit magnitudine naturali, et flores diverso modo positos.

*a* Flos auctus. *b* Antheræ.

### HIBISCUS SPIRALIS. *Tab.* 162.

178. *HIBISCUS* caule fruticoso: foliis ovato-acutis, serratis: corollis convolutis.

Caulis orgialis, ramosus, ramis alternis.

Folia alterna, ovato-acuta, inæqualiter serrata, petiolis longiora: stipulæ subulatæ, erectæ, tandem marcescentes.

Flores axillares, solitarii, pedunculis geniculatis.

Calices glabri: exterior subnovemphyllus, foliolis basi coalitis, linearibus, acutis: interior tubulosus, paulo longior, semiquinquefidus.

Corolla tubulosa ex luteo et incarnato variegata, cuius lacinia quinque, profundissima, basi connexa, ovato-oblonga, in tubum spiraliter convoluta. Ex harum centro exsurgit staminum tubus, unum idemque corpus cum corolla efformans: hic est corolla longior, inferne albicans, superne rubens et ad funis instar contortus, filamenta innumera versus apicem sustinens capillo graciliora: antheræ reniformes, fusco-rubentes.

Germen ovato-oblongum, subvillosum: stylus simplex, apice quinquepartitus: stigmata quinque globosa, pilosa.

Fructus (si ex germine coniciendus) est capsula quinquevalvis, quinquelocularis, loculis polyspermis.

Habitat in Mexico, unde in Regium hortum introductus nomine *Rosæ sinensis*.  $\hbar$  Florebat Novembri.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Petalum. *c* Genitalia ante foecundationem. *d* Eadem foecundato germine. *e* Germen, stylus, stigmata.

Miror equidem Linnæum de petalorum numero in malvaceis a Tournefortio dissentire, postquam ipse in *Philosophia botanica* <sup>(a)</sup> dixit: *tot petala numeramus, in quot resolvitur flos deciduus*. Etenim malvacei flores foecundato germine in terram decidunt, non in partes resoluti, sed corpus unicum efformantes, corolla constans et staminum tubo. Vidi semper idipsum in malvis, sidis, et hibiscis, ideoque in Monadelphia scripsi pagina 44, corollam et staminum tubum, unum idemque corpus efformare, quia illius lacinia numquam sponte

(a) Paginis 58 et 72 edit. Matritensis anni 1792.

Hoc idem opus recudendum curaverat Berolini anno 1790 Carolus Ludovicus Willdenow, qui in scientiæ profectum, quæ nova, quæque utiliora post celeberrimi Linnæi mortem detecta fuere tyronibus obtulit. Hanc novissimam editionem viderat D. Ortega quando suam dedit, diversam sane ut in præfatione ipse confitetur, etenim religioni pene habens textum invertere aut intercipere; haud sibi proposuit Linnæi doctrinam amplificare, aut textum im-

mutare. In quo quidem Ortega noster minime laudandus videtur. Professoris enim est aliorum dicta et opiniones numquam recudere nisi criterio castigatas, nisi nova luce perfusas: indignum vero, religionis nomine oscitantias tegere atque velare. Consultius egisset D. Ortega si sua potius quam aliena curans, crassissimum fasciculi errorem castigasset, ubi ex *Crassula*, planta Botanicis nota, atque in *Dictionario Encyclopedico* descripta, *Sedum* fecit, reluctante caractere generico. Ex *Ungue leonem*.



sua separantur. Hæc opinio, Linnæi dicta lege atque perpetua experientia suffulta, displicuit D. Casimiro Gomez Ortega, qui in annotationibus ad laudatum Linnæi opus ita loquitur; *etsi prælaudato D. Cavanilles assentientes putemus tubum et petala malvarum eiusdem esse substantiæ, simulque decidant, diversa tamen corpora constituere videntur* (pag. 405). Novas observationes a professore factas sperabam, quibus meæ infirmarentur, aut novam legem Linnæanæ contrariam; at momentorum loco frigida verba, ne dicam amplius reperi, quorum hæc summa: *secus monopetali flores existimandi essent, præsertim quum eisdem stamina inserantur. Sed petala vere distincta sunt*. Quasi diceret: etiamsi in malvis flos deciduus integer persistat, quod experientia constat; et tot sint petala dicente Linnæo in quot sponte sua flos deciduus resolvatur; nihilominus diversa corpora, aut petala in malvarum floribus numeranda sunt, *secus enim flores essent monopetali*. Professor hic utitur nova logica; difficultas enim in eo tota versatur, num malvarum flores ex unico an ex pluribus petalis componantur, quam certe minime solvit responso illo quod ipsa quæstio est. Nec validiora sunt verba, quibus annotationem claudit, scilicet: *unguibus a se invicem remotis tubo (petala) attexuntur*: hæc enim post cassum floris unita tubo permanent, adeo ut nullis rimis corpus illud fissile videatur: unguisque ab invicem externe dumtaxat separantur fissuris quinque, quæ minime in interiora penetrant.

### LOTUS ORNITHOPODIOIDES Linnæi. Tab. 163.

179. Lotus leguminibus subternatis, arcuatis, compressis; caulibus diffusis. *Linn. spec. plant. vol. 3. pag. 566.*

Lotus ornithopodii. *Bauh. pin. 332. Tournef. 403. Lamarck Flor. fran. p. 629. n. 613.*

Radix fibrosa, tuberculis minimis per fibras disseminatis.

Caulis herbacei, diffusi, teretes, villosi præsertim teneri, pedales.

Folia ternata, cuneiformia, villosa, petiolo communi longiora: stipulæ cordato-acutæ, foliis breviores.

Flores capitati, capitulis subtrifloris, suffultis folio ternato absque stipulis: illorum pedunculus communis bipollicaris, axillaris.

Calix turbinatus, semiquinquepartitus, villosus, laciniis duabus superioribus æqualibus, inferiorum media productiore.

Corolla papilionacea, lutea: vexillum ovatum, emarginatum, basi acutum: alæ breviores, auriculatæ: carina brevissima, basi bisetosa.

Genitalia ut in congeneribus (Consulantur nn. 172, 173).

Legumen pollicare, compressum, elongatum, aliquando arcuatum, polyspermum.

Semina subgloboso-compressa.

Habitat copiose in humidis Albaydæ. ☉ Florebat fructumque gerebat Aprili.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Corolla expansa. *c* Germen. *d* Calix auctus. *f* Fructus. *g* Semen.

### ALBAYDÆ VALLIS DESCRIPTIO PHYSICA.

Montium frequentia, quibus Valentia regnum exasperatum diximus in causa est, ut perpauca locis in illud expedite ingrediatis. Omnium gratissimus aditus ille est qui a Murcia in Orcellitanam urbem patet: planities scilicet immensa, Seguræ aquis irrigata, quam incolarum cura et industria in viridarium perpetuum transformavit. Secundus iuxta Villenam existit, æque facilis certe atque ille Orcellitanus, at arborum defectu, solo arenoso, atque aquarum inopia semper iniucundus, quousque vallim intres de Byar et Benijama, terram frugiferam, ornatam arboribus, atque hominibus habitatam agrariae artis peritissimis. Tertius denique occurrit sesquileucæ itinere a Villena versus septentrionem. Ubi primum



hinc ad orientem declines, tractus sese offert *Alforins* nomine, partim ad Murciae, partim ad Valentiae regnum pertinens, cui contigua est dives, saluberrima atque populosa Albaydæ vallis, de qua nonnihil dicere in præsentiarum constitui.

Ab ortu in occasum, ubi dumtaxat pervia, protenditur hæc vallis septem leucarum spatio: obvallatur duplici montium serie eadem directione, sesquileuca ab invicem distantium, quæ vallis latitudo est. Australem seriem constituunt montes de Benicadell et Agullent, qui nostram vallem separant a Comitatu Consentinae et a valle de Byar; septentrionalem vero unicus mons, nempe Serragrosa, quo Sætabis, Vallada, Moxente, tractusque ipsis subiectus ab hac Albaydæ valle disterminatur. Utraque series orientali parte illis adhæret montibus, qui a Vallidigna proveniunt, quique producti usque in montem Azafor, Ducatum Gandiæ ab hac valle seiungunt: tractus hic vulgo nominatur *Coll de Llautó*. Non eadem ubique est montium basis: ut plurimum vix dimidiam leucam superat, aliquando sesquileuca maior. Omnium natura calcaria, per strata disposita; nunc marmorea, ut in orientalibus observatur; nunc rudioris substantiæ, præsertim lapidum calci murisque conficiendis aptorum, quod frequentius. Triginta duo existunt oppida in hac valle, tredecimque diversorum ordinum monasteria. Illorum octo abundant populo; quorum primatum obtinet Ontiniente et hominum numero et divitiarum copia. Iacet hoc in vallis profundiore parte versus occasum, agris irriguis undique cinctum, excepta australi plaga, qua rivus Clarianus fluit. Oppidi vicina versus montes in amphiteatrum sunt disposita. In inferioribus utpote irriguis Zæa, Phaceolus, aliique fructus Triticum excipiunt eodem anno: numquam terra vacua. In superioribus Vineæ, Oleæ, Ceratoniæ; adeo ut tota regio semper amoena conspiciatur plantarum copia, vere præsertim quum ridet omnia mira florum varietate, ac frequentia. Huius oppidi ditioni continuantur orientem versus illæ de Ayelo et Olleria: quæ oppida radices occupant Serragrosæ, latioris hic quam uspiam alibi: in horum conspectu, e regione tamen et leucæ intervallo sita sunt Agullent, Benisoda et Albayda, oppidum a quo vallis integra nomen mutuatur. Si Ontinientem excipias vix ullum cum isto certare potest sive hominum industria et indefesso labore, sive soli fertilitate, cæli puritate, aquarum copia, aëris denique salubritate. Nihil certe iucundius quam fluminis Albaydæ vicina et cursus, quod præceps iuxta oppidum fluens vitam plantis et hilaritatem foenerat. Videas ibi Ulmum campestem in octoginta et amplius pedum altitudinem exurgere; Celtim australem, Juglandem regiam, aliasque arbores luxuriare; Vites, Clematidem viticellam, Humulum, Tamum, Bryoniam scandere, suisque intertextis caulibus et ramis tentoria fingere solis radiis impervia. Sequuntur postea in utraque ripa frequentes gradus sensim altiores, in quibus excolitur Morus alba, aliæque arbores fructiferæ, areas implent Triticum, Zæa, oleraceæ plantæ atque fructus illi, qui in consimili solo delectantur. Si ulterius versus orientem progrediaris, disseminata oppida passim conspiciuntur, quorum præcipua sunt, ut alia silentio premam, Montaberner, Belgida, la Pobla, Quatretonda, Beniganim et Luchent quod orientalius est.

Vallis solum margaceum est et albicans ab Ontiniente versus ortum; versus occasum vero ruber, sensimque arenis immixtum, quæ copiosæ sunt Valentini regni limitibus prætergressis. Ferax ubique est, feracius tamen ubi aquis abundat. Perpauci sunt fontes ultra Ontinientem Villenam versus; sed ab Ontiniente in ortum tendentibus occurrunt magno numero, qui erumpunt in montium radicibus septentrionalibus, fere numquam in oppositis, quæ austri flatibus expositæ sicciore sunt. Rivulorum alii ab ortu, ab occasu alii descendunt: eorum aquæ, uti et illæ fontium qui per universam vallim erumpunt in flumen confluunt Albaydæ nomine, quod per Serragrosæ angustias (vulgo *Estrets*) magno impetu excurrit ad Sætabinos agros irrigandos Oryzæ præsertim, donec tandem Sucronem intret prope oppidum Alcozer, funditus novissime deletum horrenda alluvione.

Rivulus Clarianus prope Ontinientem fluit iuxta massam margaceam ad perpendicularium excavatam centum ferme pedibus: tota oppidi orientalis ditio eiusdem margæ est, *Llacorella* vulgo dicta. Strata in ea conspiciuntur octo fere pedes alta, lineis fuscis distincta, sibi que superimposita. Profundiora, qua aquæ fluunt, durissima sunt, colorisque cærulei; quæ



ab aquis remota, cinerea minusque dura; superiora tandem albicantia, quorum extima superficies friabilis es solis atque imbrium alternis impressionibus. In montium radicibus, quæ valle altiores sunt, terra est rubra, illi similis quæ reperitur in tractu vulgo Alforins; in quo dum profunde excavatur, marga offenditur *Llacollera* dicta. Explicari phœnomenon istud poterit mea quidem sententia, si montium origo in memoriam revocetur. Nimirum montes olim in maris fundo efformati, diuque illius aquis immersi, separabantur ab invicem profundissimis sulcis, qua aquæ validius movebantur. Quod si tractu temporis eiusmodi aquarum cursus ob quamcumque demum causam cessaverint, illis stagnantibus necesse fuit, ut innatantes graviorum corporum particulæ in imum peterent, ac subinde strata efficerent horizonti parallela, eoque altiora quo maior aderat materiæ copia, donec tandem depressiora loca nulla remanerent, impleta valle margacea materia, quæ sensim indurata fuerit. Ponamus etiam annorum serie diversæ conditionis terras adsportari (aut potius terrarum elementa) non ita margaceas neque eiusdem cum antiquis coloris, sed rubras, arenisque permixtas: et has oportuit eisdem naturæ legibus fundo margaceo superponi, novasque massas constituere. Post hæc maris aquæ præfinito tempore alio transmigrantes reliquerunt vallim diversis terræ stratis compositam, solumque horizonti parallelum. Manarunt deinde fontes, fluxerunt rivuli, ceciderunt imbres, quæ omnia sæculorum lapsu vallis superficiem deformarunt, adeo ut terra rubra vix ulla supersit ab Ontiniente versus ortum, et in albicante marga profundæ excavationes existant, unde colles enati.

Vallis omnis potest dividi in partes tres, quarum mediam incolunt viginti millia hominum ab Ontiniente usque ad oppidum Montaberner; orientalem reliquorum oppidorum accolæ; occidentalem denique bis mille et amplius homines per Alforins dispersi. Irrigari nequit hæc ultima aquarum defectu; ideoque minus deformata, altior est cæteris: in ea Vineæ vix folia promunt Aprili mense, quando in depressioribus locis florent. Hordeo, Tritico et Vineis destinantur planities et colles trium leucarum spatio, quorum fructuum magna quotannis copia, nisi forte grando vites contuderit. Nulla ibi Ceratonia; pauca Oleæ. Huius ditionis montes Pino sylvestri abundant et arbustorum multitudine, quando contigua illis Murciani regni pars depopulata apparet incuria proculdubio incolarum.

Pars vallis, quam mediam diximus, reliquas superat et naturæ donis et hominum industria. Duabus leucis in longitudinem extenditur, per quam totam rivulis irrigatur Clariano et Albayda. Originem trahit ille ex aquis, quæ Bocayrente, finitimisque oppidis sunt inutiles, quæque per montium tortuosas et angustissimas fauces ruunt versus Ontinientem. In harum fundo puteus existit miræ profunditatis in saxis a natura excavatus, qua limpidissimæ aquæ salunt tanta copia, ut qui ante ipsum vix rivulus apparebat, flumen postea sit. Albaydæ vero flumen ex oppido cognomine initium habet, sensim fontibus augetur, tandem iuxta Montaberner cum Clariano confluit, novis deinceps aquis diversisque rivulis augendum. Toto hoc tractu Oleæ perpetuo virent et Ceratoniæ tanto numero, ut colles et montium radices lucos densissimos credas. Irriguos agros ornant Morus alba atque fructifera arbores, areas relinquentes Tritico, Cannabi, Zææ, reliquisque plantis, quæ perutiles sunt. Dicitur nequit quam gratum atque mirandum conspectum præbeat tota regio eam conspicienti ex finitimis montibus. Quacumque oculos veritas naturæ divitias et hominum artem, solertiam atque rei agrariæ peritiam miraberis. Eminent hæc præsertim in Oleæ cultura, quæ copiosum atque sapidissimum fructum præbet. In unaquaque Olea tres dumtaxat conservantur rami præcipui, cæteris amputatis ut soli et aëri pateat aditus: sunt isti divergentes, initio nudi, innumeris postea ramulis onusti, qui ut plurimum pendent, nonnullis erectis. Quotannis purgatur arbor ut novos ramos proferat intra annum floriferos. Etenim experientia constat, Oleam in novis ramis dumtaxat dare fructum, huncque non ramorum multitudini respondere, sed determinato numero, quem scientia agraria posuit pro soli et atmosphæræ conditione. Utinam Valentini omnes utilem hanc methodum reciperent, quorum Oleas sæpe vidi tanta ramorum multitudine fatigatas, ut parum aut nihil fructus ex ipsis haberetur. His ferrum adhibendum est quod novas fructificandi vires dabit, novam formam.

Tertia et orientior vallis pars mediæ dignitate cedit, quia et minori gaudet aquarum



copia, et a septentrionalibus flatibus vexatur. Veniunt hi magno impetu per Serragrosæ angustias, qua flumen excurrit: nullus illis aditus nisi prælonga et angusta montium faux, ut ex ampla Sætabina ditone vallim intrent: quo fit ut tanta vi arbores petant, ut aut ipsarum ramos confringant; aut quod frequentius est hiberno tempore eas omnino destruant. Vidi ego superiore anno Oleas, Ceratonias, Neria partim enecta, partimque vulnerata a frigidis ventis septentrionalibus, quibus tribuenda est minor arborum frequentia in hac vallis parte, quæ alicubi omnibus destituta est, in tractu præsertim angustiis opposito: in cæteris Oleæ recurrunt, Ceratonix, reliquæque arbores, quæ sapidissimos fructus præbent; frequentius vero Vineæ quarum tantus est numerus in universa valle, ut vinum inde proveniens sexcentum mille talenta pondo quotannis tribuat. Huius vallis Oleum magni habetur, nullique Hispaniæ cedit: eius summa quotannis viginti mille talentorum est. Mitto nunc prætiosissimos fructus Ceratonix, Zææ, Tritici, Hordei, Olosericei, Cannabis, Mellis, Cæræ, cæteros; mitto etiam manufacta ex sparto, lana, lino, oleo, pannisque attritis; mitto reliqua quæ vallim commendant, quæ hominum virtutem prædicant, hominum inquam, qui otio bellum indixere perpetuum.

Transeo nunc ad indigenas plantas, quarum nonnullas hic indigitabo. In montosis et siccis Cisti occurrunt mira varietate; monspeliensis scilicet, salviæfolius, albidus, crispus, fumana, numularius, glutinosus, racemosus, helianthemum, hirtus, lævis et libanotis. Gaudet hic calice triphylo, quemadmodum et Cistus umbellatus, a quo differt capsula quinqueloculari, cæteroque simillimus. Habitant ibidem Pinus sylvestris, Rhamnus alaternus et lycioides, Quercus coccifera, Thymus piperella, cephalotus et vulgaris; Ulex europeus, Coris monspeliensis, Rosmarinus officinalis, Antirrhinum orontium et maius; Mercurialis tomentosa; Linum monspeliense, suffruticosum, gallicum et tenuifolium; Melica nutans; Cynosurus echinatus et lima: Poa rigida et eragrostis; Aira canescens et cariophyllæa; Festuca myurus, bromoides et phœnicoides; Bromus squarrosus, mollis, sterilis et tectorum, et ut reliquas gramineas silentio premam, Stipa contorta, capillata et tenacissima. Hæc ultima utilissima est agricolis, qui storeas, funes, cophinos, calceos ex ipsa construunt, idque tanta copia storearum præsertim ut Adsanetæ incolæ auri unciam quotidie ex huiusmodi manufactis reportent, quin ullum inde res agraria detrimentum capiat.

Si altiora montium conscendas, diversas ibi plantas offendes. In monte *Cova alta* Biscutella crescit coronopifolia, et altera nova, *Montana* nomine, postea describenda; Antirrhinum triphyllum et crassifolium quod variat flore albo rubro et violaceo, quodque immixtum hic Hieraciis pilosellæ et murorum tum et Geo repentis; Fumariæ illic eneaphyllæ, Ranunculo graminifolio et Alysso spinoso saxa ornat florum varietate et multitudine. Alyssum hoc pulverizatum præsentissimum est contra viperarum morsus remedium: crescunt etiam Cotyledon umbilicus; Arum arisarum; Asplenium ceterach; Polypodium vulgare; Adiantum capillus; Iberis umbellata, et Lepidium saxatile. In depressioribus locis haud minor est plantarum copia in quibus læte vivunt Gerania malacoides, moschatum, ciconium, chium, rotundifolium et cicutarium; Lotus rectus, hirsutus, ornithopodioides et dorycnium; Anthyllis tetraphylla et vulneraria; Astragalus hamosus, incanus, epiglotis et monspesulanus; Dianthus superbus et prolifer; Medicago echinata et cochleata; Psoralea bituminosa; Asclepias nigra: Trifolium angustifolium; Plantago albicans, lusitanica et coronopifolia; Nerium oleander; Teucrium aureum, iva et capitatum; Convolvulus lineatus, capitatus et althæoides; Lysimachia ephemerum. Syngenesiæ item magnus in hac valle numerus; Micropus erectus, Buphtalmum spinosum et maritimum; Anacyclus valentinus, Centaurea crupina, pectinata, nigra, pullata, conifera, sonchifolia, aspera, calcitrapa, solstitialis, collina, rupestris, tingitana, galactites; Atractylis humilis et cancellata; Carthamus lanatus, creticus et tingitanus; Carduus monspesulanus, pinnatifidus, nutans, et aliæ innumeræ diversorum generum stirpes, quas ne lucubratio hæc in immensum crescat, prætermitto, per occasionem nominandas in operis decursu.



LOTUS PEDUNCULATUS. *Tab.* 164.

180. LOTUS caule herbaceo: foliolis lanceolatis, medio petiolato: floribus longe pedunculatis.

Caulis herbaceus, teres, tripedalis, glaberrimus ut et tota planta.

Folia lanceolata, apice acuta, non ita ternata, ut tria foliola in apice sedeant petioli communis; sed quemmadmodum in melilotis medium gaudeat proprio petiolo ad cuius basim sedent reliqua: stipulæ ovato-acuminatæ, foliis latiores et breviores.

Flores umbellato-capitati, sustentati pedunculo axillari, solitario, fere semipedali: in huius apice folium ternatum sessile absque stipulis existit, quod involucri vices gerit.

Calix turbinatus, oblongus, semiquinquepartitus, laciniis subulatis, subæqualibus.

Corolla papilionacea lutea: vexillum ovatum alis paulo longius: istæ sunt oblongæ basi que lunatæ: carina brevior, basi bisetosa.

Genitalia ut in congeneribus.

Fructus deerat.

Habitat copiose iuxta oppidum Mentrida in tractu vulgo *Arroyo de Valdegotera*. Floret Julio, ibique etiam Eryngium ametistinum, Anthyllis lotoides et corniculata, Ornithopus compressus, Lonicera peryclimenum, Elymus caput medusæ, Rosa eglanteria, Osyris alba, Biserrula pelecinus, Reseda glauca, Ornithogalum pyrenaicum, Lapsana stellata, Scrophularia canina, Scorzonera laciniata et angustifolia &c.

*Explic. tab.* a Flos integer. b Calix. c Petala expansa. d Germen. e Stamina.

CARDUUS LEUCANTHOS. *Tab.* 165.

181. CARDUUS foliis lanceolatis, denticulatis, glabris, sessilibus: caule unifloro: calicis spinis reflexis.

Caulis vix pedalis, sulcatus, sulcis ex foliorum nervis decurrentibus.

Folia lato-lanceolata, denticulata, denticulis setosis; glabra, sessilia, nervo unico candido per caulem decurrente.

Flores terminales, solitarii.

Calix cylindræus, cuius squamulæ sunt imbricatæ, lineares, adpressæ: interioribus longioribus, muticis, apice scariosis: exteriores terminantur spinula inermi, acutissima, reflexa.

Corolla alba. Reliqua ut in Carduo flavescente vol. 1. pag. 35.

Habitat ad margines agrorum inter oppidum Bicorp et fontem salsum. ☉ Florebat ultimo Junio, Ibidem et in vicinis collibus crescunt Tapsia villosa, Coris monspeliensis, Linum suffruticosum, narbonense et rigidum; Smilax aspera; Coronilla iuncea; Celtis australis; Fraxinus ornus; Pistacia terebinthus et lentiscus; Colutea arborescens; Ononis fruticosa et tridentata; Anthyllis citisoides; Cistus thymifolius, racemosus, albidus, helianthemum, lævis; Centaurea sonchifolia, scabra, calcitrapa; Tamarix germanica; Nerium oleander; Salix viminea &c.

*Explic. tab.* a Flos magnitudine naturali. b, c, d, e, Squamulæ. f Semen.

*Obs.* Hæc species differt a Carduo flavescente 1 calice brevior, 2 squamularum spinis reflexis, 3 squamulis interioribus muticis, 4 flore albo, 5 denique foliis.

SALVIA PURPUREA. *Tab.* 166.

182. SALVIA foliis ovato-acutis, serratis, glabris: calicibus tomentosis, coloratis.

Caules orgiales, ramosi, tetragoni, glaberrimi ut et tota planta.

Folia opposita, petiolis sæpius longiora, ovato-acuta, serrata: in petiolorum basi externe glandulæ duæ minimæ.



Flores spicati, spicis terminalibus brevibus, ex innumeris floribus verticillatis: verticillis decem-floris: bractæ breves, acutæ, deciduæ.

Calix tomentosus nunc violaceus, nunc albidus, bilabiatus; labio superiore integro acuto; inferiore bifido.

Corolla violacea, calice multoties longior, cuius labium superius fornicatum, plicatum, emarginatum, villosum: inferius trifidum, laciniis rotundatis, media paulo maiore.

Reliqua ut in supra descriptis numeris 21, ad 25 et 114.

Habitat in Mexico unde introducta in Regium hortum Matritensem. ♀ Vidi floridam mense Decembri.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla expansa. *c* Germen cum stylo. *d* Germen auctum.

### BUPHTALMUM SCABRUM. *Tab.* 167.

183. BUPHTALMUM foliis oppositis, scabris, ovatis, utrimque acutis, serratis: floribus solitariis.

Caulis herbacei, teretes, tripedales, iuniores præsertim villosi, ramis pluribus, decumbentibus.

Folia opposita, subconnata, utrimque acuta, scabra, serrata, serraturis in crenulas quandoque mutatis: nervus longitudinalis trifidus.

Flores solitarii terminales, pedunculo sesquipollicari.

Calix ovatus, squamulis oblongis, duplici serie imbricatis.

Corolla composita, lutea. Hermaphroditæ plures in disco, monopetalæ, infundibuliformes, limbo quinquefido, patulo. Feminæ subtredecim in radio, lineares, emarginatæ, obscure tridentatæ, lineis aut sulcis duobus parallelis.

Stamina hermaphroditis filamenta quinque brevissima: anthera cylindracea tubulosa, fusca.

Germen subteres in omnibus flosculis: stylus filiformis: stigmata duo reflexa in hermaphroditis, vix divaricata in feminis.

Semina nigricantia, subtetragona, basi acuta, apice coronata caliculo quinquefido, lateribus membranacea; membranæ vix ullis in hermaphroditis.

Receptaculum paleaceum, paleis linearibus, purpureis, convolutis apice laceris, cuspidate fusca.

Habitat in imperio Mexicano. Florebat fructusque gerebat mense Decembri in Regio horto Matritense.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Radius. *c* Idem auctus. *d* Flos hermaphroditus. *e* Idem auctus. *f* Palea aucta. *g* Eadem expansa. *h* Semen. *i* Idem auctum, membranæ cinctum. *k* Idem in quo membranæ vix ullæ.

### ASTER GLUTINOSUS *Tab.* 168.

184. ASTER caule fruticoso: foliis ovatis, serratis, sessilibus, glutinosis.

Caulis fruticosus, bipedalis, ramosus, ramis alternis, unifloris, glutinosus ut et tota planta.

Folia ovata, apice acuto, serrata, sessilia, alterna, uninervia, nonnihil glauca, utraque pagina tecta punctis, quæ sunt squamulæ minimæ, lente vitrea distinguendæ.

Flores terminales, magni, lutei.

Calix imbricatus, squamis lineari-acutis, subæqualibus; inferioribus laxioribus.

Corolla composita radiata. Hermaphroditæ plures in disco luteæ, infundibuliformes, limbo quinquefido. Feminæ subtriginta item luteæ, ligulatæ, lineares, fere pollicares, apice brevissime emarginatæ, ibique trifidæ, quod nonnisi lente vitrea conspicitur.

Stamina in hermaphroditis, filamenta quinque brevia, lutea, integerrima: anthera tubulosa, apice quinquefido.

Germen subtetragonum, apice veluti circumscissum: stylus simplex: stigmata duo adproximata et villosa in mare, divaricata in femina.



Semina solitaria, ovata, cinerea, coronata papo sessili, quod pilis constat erectis, paucis, subplumosis. Receptaculum nudum.

Habitat in Mexico. ☿ Vulgo *Inciense*, hoc est Thus. Vidi floridum in Regio horto Matritense mense Decembri.

*Explic.* tab. *a* Flos integer postice spectatus. *b* Flosculus hermaphroditus. *c* Anthera aucta. *d* Flos femina. *e* Radii apex auctus, ut conspiciantur denticuli tres. *f* Germen auctum. *g* Pilus valde auctus. *h* Semen.

*Obs.* Nullos inter Asterem et Inulam limites naturam posuisse crediderunt Hallerius, Scopoli et Allionius, utpote qui unicum ex illis genus efformarunt. Linnæus Inulam nendum ab Astere, sed a reliquis etiam Syngenesiæ generibus differre dixit, quia illius antheræ sunt inferne bisetosæ, quod ultro Botanici confitentur. Nihilominus characterem hunc ut inutilem respuit D. de Lamarck, quia eundem observavit in pluribus aliis syngenesiæ plantis, aliumque illi suffecit non a fructificationis partibus desumptum, sed a radiorum colore, qui luteus semper, ipso auctore, sit in Inulis, numquam in Asteribus. Si colores sufficerent ad distinguenda genera, libentissime assentirer Lamarckii sententiæ; attamen quum plures ulterius characteres ipse requirat, qui non semper coloribus respondent, et quum novæ quotidie detegantur plantæ quarum color nihil commune habeat cum fructificationis partibus, Linnæi sententiam cæteris anteposui: aliter enim hæc nova planta et ab Asteris genere separanda foret propter colorem luteum, et ab Inulis quia anthera gaudet unica cylindracea quinque dumtaxat filamentis sustentata, non antheris quinque inferne in setas decem desinentibus.

### TAGETES TENUIFOLIA. *Tab.* 169.

185. TAGETES caule ramoso: floribus patulis, subcorymbosis: pedunculis foliosis.

Caules teretes, nonnihil sulcati, ramosissimi, ramis patulis subrubentibus glabris, ut et tota planta quæ in trium pedum altitudinem crescit hic in caldario.

Folia inferiora subopposita, superiora alterna, pinnata, pinnulis lineari-lanceolatis, serratis, alternis.

Flores subcorymbosi, numerosi, pedunculis sesquipollicaribus foliosis, foliorum pinnulis setaceis.

Calix communis simplicissimus, monophyllus, tubulosus, oblongus, pentagonus, quinque-dentatus.

Corolla composita, saturate lutea absque maculis. Hermaphroditæ plures in disco fertiles tubulosæ, limbo quinque fido, laciniis acutis, reflexis, villosis. Feminae quinque in radio rotundatæ, emarginatæ, fertiles.

Stamina in feminis nulla; in hermaphroditis quinque, brevissima: anthera lutea, cylindracea.

Germen omnibus oblongum: stylus filiformis: stigmata reflexa.

Semina omnium linearia, compressa, calice paulo breviora. Papus: aristæ luteæ quinque, acutæ, aliquando coalitæ.

Receptaculum nudum.

Habitat in Peru. ☉ Vulgo dicta *Chinchimali*. Vidi floridam in Regio horto Matritense mense Decembri.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem expansus. *c* Radius. *d* Flos hermaphroditus. *e* Huius corolla aucta. *f* Semen.

### COTYLEDON COCCINEA. *Tab.* 170.

186. COTYLEDON foliis subspatulatis acutis, carnosis: floribus spicatis, sessilibus.

Caulis teres, crassus, fruticosus, humilis, ex quo rami exsurgunt bipedales, tomento brevi obducti uti tota planta.



Folia sparsa, sessilia, carnosae, basi teretia, postea planiuscula aut canaliculata, ovato-acuta virido-fusca.

Flores spicati, sessiles, spica longa terminali, foliosa, cuius folia lineari acuta, deflexa.

Calix profundissime partitus in quinque lacinias carnosas, lineari-acutas, corolla paulo longiores, patentes.

Corolla coccinea, monopetala, campanulata, basi pentagona, limbo erecto, quinque-partito, laciniis lanceolatis: harum quaelibet basi foveam continet e cuius fundo stamen exurgit adnatum, postea liberum.

Staminum filamenta decem, lutea, corolla dimidio breviora, quorum quinque ut dixi e fovearum fundo, quinque alia ex germinum basi cum quibus alternant: antheræ decem luteæ, sagittatæ, erectæ.

Germina quinque lutescentia in conum adproximata, desinentia in totidem stylos subulatos, staminibus paulo longiores: stigmata rubra simplicia: ad basim anteriorem uniuscuiusque germinis squamula exstat brevis, cicatricem æmulans.

Colitur in Regio horto Matritense. *h* Patria ignoratur.

*Explic.* tab. *a* Flos integer postice spectatus. *b* Corolla clausa. *c* Eadem expansa. *d* Huius lacinia aucta in cuius basi existit fovea. *e* Filamentum. *f* Germina. *g* Alterum separatum.

### CYTINUS HYPOCISTIS *Linnæi. Tab. 171.*

187. CYTINUS scapo squamato, cistis parasitico.

*Cytinus hypocistis. Linnæus spec. plant. vol. 4. pag. 65. Mat. med. pag. 197. Lamarck Flor. fran. num. 972.*

Asarum (*Hypocistis*) foliis sessilibus imbricatis, floribus quadrifidis. *Linn. spec. plant. 635. Gleditsf. verm. Abhandl. tab. 1. 226. tab. 2.*

Asarum aphyllum, squamosum. *Sauv. monsp. 4.*

*Hypocistis* omnino lutea, vel ochræ colore. *Clus. hisp. 143.*

*Hypocistis. Bauh. pin. 465. Duham. arb. 1. pag. 170. tab. 68.*

Planta parasitica hærens radicibus cistorum libanotis et racemosi, ex quibus scapus exurgit sensim crassior, 3-6-pollices altus, imbricatus squamulis ovatis, luteis, apice rubris, cucullatis: folia nulla, nisi squamulas dicas.

Flores aggregati, breviter pedunculati, in summitate scapi; quorum pars masculini sexus, pars feminei in eadem planta.

Calix diphyllus, foliolis oblongis, compressis, coloratis, marcescentibus.

Corolla dilute lutea, monopetala, campanulato-patula, quadrifida, laciniis ovatis, superiore paulo latiore.

Stamina in mare monadelphæ: antheræ scilicet sexdecim, in stipitis apice sessiles, in globum adproximatæ, e quarum singulis paribus setula brevis prodit convergens: pollen album: germen nullum.

In feminis, masculis immixtis, stamina nulla: germen in fundo corollæ turgidum: stylus teres: stigmata octo in orbem posita, malvarum fructum æmulantia.

Fructus bacca globosa, coriacea, octolocularis, polysperma. Semina minuta.

Habitat copiose in collibus regni Valentini; floret Martio et Aprili. Vulgo *Filosa*, id est *Colus*. Observabam passim prope oppidum Moncada ibique crescunt etiam *Salvia clandestina*, *Cistus marifolius*, *libanotis*, *racemosus*, *glutinosus*, *incanus* et *ericoides*; *Passerina glabra*; *Asphodelus fistulosus*; *Astragalus incanus*; *Leontodon taraxacum* et *hispidum* &c.

*Explic.* tab. *a* Squama. *b* Flos femina. *c* Idem in statu perfecto. *d* Idem absque calice. *e* Stigmata aucta. *f* Flos masculus. *g* Stamina. *h* Antheræ auctæ et expansæ.

*Obs.* Nullus quod sciam plantam hanc dixit Monoicam: Linnæus inter Gynandras collocavit, quem sequuti sunt cæteri: florum calicem prætermisit, cuius loco veram corollam suffe-



cit; hanc denique dixit superam, in quibus humani quidquam passus fuit. Pars enim illa quam calicem nominavit Linnæus, eiusdem coloris est cum germinis tegumento, nullaque ibi interruptio observatur, adeo ut membrana germen tegens, apice angustetur in tubum, qui sensim ampliatur limbo quadrifido: germine locato in fundo globoso et ampliori.

### CISTUS ERICOIDES. *Tab. 172.*

188. *Cistus exstipulatus*, caule fruticoso erecto: foliis alternis imbricatis, semicylindricis, brevibus.

Radix lignosa descendens, fusca, ramosa.

Caules erecti, pedales, teretes, ramosi; ramis alternis, fasciculatis.

Folia alterna, conferta, imbricata, glabra, semiteretia, intus nonnihil canaliculata: stipulæ nullæ.

Flores solitarii terminales aut axillares, pedunculis semipollicaribus, rubris.

Calix rubescens, cuius tria foliola ovata, striis fuscis: duo reliqua multoties breviora.

Corolla saturate lutea, fere pollicaris, petalis ovatis, immaculatis.

Staminum filamenta lutea, corolla breviora, quorum exteriora graciliora, castrata: antheræ lutescentes.

Germen globosum: stylus filiformis, staminibus paulo longior: stigma globosum, villosum.

Capsula globosa, trilocularis, trivalvis, loculis polyspermis: semina rufa subtriquetra.

Habitat copiose ultra oppidum Moncada in collibus; ad montium etiam radices inter Saguntum et Almenara. *h* Floret omnium primus ultimo scilicet Februario et Martio.

*Expl. tab. a* Germen auctum cum staminibus. *b* Capsula, quæ aperta conspicitur in *c* et *d*.

*Obs.* Valde affinis *Cisto fumana*, a quo distinguitur habitu, ramis et caule semper erectis, foliisque glabris. Priusquam flores proferat, *Erica* videtur.

### CISTUS LÆVIPES *Linnæi. Tab. 173.*

189. *Cistus suffruticosus*, exstipulatus; foliis alternis, fasciculatis, filiformibus, glabris, pedunculis racemosis. *Linn. spec. plant. tomo 2. pag. 595. Lamarck Dict. tomo 2. pag. 22. Jacq. hort. tab. 158.*

*Cistus suffruticosus procumbens*, foliis alternis, confertis, inæqualibus, setaceis. *Ger. prov. 394. tab. 14.*

*Cistus humilis massiliotica*, camphoratæ tenuissimis foliis glabris. *Plukenet. alm. 107. tab. 84. f. 6.*

Radix lignosa ramosa, ex qua caules prodeunt lignosi, prostrati, semipedales, cinerei, ramosi, ramis alternis, filiformibus, ad flores villosi.

Folia alterna, setacea, adproximata, et in ramis teneris valde conferta, glauca: fasciculi foliorum sæpe axillares, quandoque duo dumtaxat foliola ad axillas foliorum principalium, stipularum more.

Flores racemosi, pedunculis declinatis, semipollicaribus.

Calix villosus, in quo foliola tria maiora ovato-concava, striata; duo reliqua brevissima.

Corolla dilute lutea, petalis ovatis, sesquilinearibus, patentibus.

Staminum filamenta subtriginta lutea, corolla breviora: antheræ eiusdem coloris.

Germen ovatum virescens: stylus staminibus longior pariter virescens: stigma nonnihil incrassatum.

Capsula trilocularis, trivalvis; valvulis fructu maturo in stellam expansis, dispermis.

Semina ut in *Cisto glutinoso*.

Habitat copiose in montibus a Sagunto in Almenaram excurrentibus præcipue prope oppidum Quart de les Valletes. *h* Floret Aprili ibique simul *Digitalis obscura*, *Anthyllis*



cytisoides, Convolvulus althæoides, Anagyris foetida, Cratægus oxyacantha, Anethum foeniculum, Mercurialis tomentosa, Psoralea bituminosa, Euphorbia esula et characias, Cistorumque permultæ species iam descriptæ.

*Explic. tab. a* Capitulum. *b* Flos. *c* Germen. *d* Capsula. *e* Eadem expansa.

*Obs.* Linnæus caulem dixit adscendentem, qualiter numquam vidi, sed prostratum. Iacquinus plantam delineavit et pinxit fortasse in hortis cultam, ego in montis enatam, unde aliqua in tabulis differentia. Mea accedit habitu partim ad Antirrhinum multicaule partim ad Camphorosmam.

### CISTUS CRISPUS. *Tab. 174.*

190. CISTUS fruticosus, exstipulatus: foliis lanceolatis, undulatis, trinerviis, pubescentibus: floribus subsessilibus.

Cistus crispus. *Linn. sp. pl. vol. 2. pag. 595. Lamarck. Dict. vol. 2. pag. 14.*

Cistus mas, foliis undulatis et crispis. *Tournef. 259. Clus. hist. 1. pag. 69.*

Caulis fruticosus, ramosus, vix pedalis, molli lanugine tectus, cuius pars expoliata foliis quasi nodosa apparet ex foliorum cicatricibus.

Folia opposita, basi connata, lanceolata, trinervia, rugosa, limbo undulato, tomentoso-villosa: stipulæ nullæ.

Flores in summitate ramorum fere semper tres, propriis pedunculis brevibus sustentati.

Calix ex quinque foliolis, ovato-lanceolatis, apice acutissimis.

Corolla violaceo-rubens, calice maior, petalis orbiculatis, rugosis.

Staminum filamenta numerosa, lutea: antheræ parvæ, ovatæ, eiusdemque coloris.

Germen ovatum: stylus longitudine staminum: stigma luteum globosum.

Capsula intra calicem clausum, ovato-pentagona, quinquelocularis, quinquevalvis, loculis polyspermis.

Semina rufa, minuta, globosa.

Habitat copiose in siccis regni Valentini, præcipue tamen prope oppidum Alchilet, et in collibus Marchuquera et Barig iuxta Vallidignam. *h* Cognoscitur hic vernacula voce *Achocasapos*. Habitant ibidem Phlomis lichnytis, purpurea et altior, Myrtus communis, Clematis viticella, Ornithopus compressus, Briza maior, Andropogon distachyum, Arenaria tetraquetra, Pteris aquilina, vulgo *herba-falaguera*, *Ægylops* triuncialis, *Stræhelina* dubia Linnæi, aliæque innumeræ.

*Explic. tab. a* Flos integer postice spectatus. *b* Petalum. *c* Genitalia. *d* Germen. *e* Capsula. *f* Eadem aucta et secta. *g* Eadem expansa. *h* Semen. *i* Idem auctum.

*Obs.* Haud probo Linnæi nomen *arborescens*, quia supra descripta planta humilis semper remanet, pedalem longitudinem vix superans.

### CISTUS SERRATUS. *Tab. 175. fig. 1.*

191. CISTUS herbaceus exstipulatus: foliis oppositis, lanceolato-ovatis, trinerviis: petalis serratis.

Caulis herbaceus, erectus, vix pedalis, ramis aliquot, pilis brevibus, glutinosis coopertus.

Folia opposita, distantia, lanceolato-ovata, trinervia, glutinosa; radicalia obtusiora et latiora: stipulæ nullæ.

Flores racemosi, terminales: pedunculi capillares, deflorati cernui.

Calix villosoglutinosus, pentaphyllus, foliolis duobus exterioribus ovatis, brevibus.

Corolla lutea, petalis serratis, maculaque nigra lata prope unguem notatis, non puncto rubicundo ut in Cisto guttato.

Staminum filamenta lutea, corolla breviora: antheræ breves.



Germen globosum : stylus vix ullus : stigma globosum, album, sessile.

Capsula intra calicem trilobularis, trivalvis, polysperma.

Habitat in montibus Segard et Naquera. ☉ Florebat initio Aprilis una cum Cistis marifolio, glutinoso, racemoso; Scorpiuro muricata, Medicagine echinata; Astragalo incano et hamoso.

*Explic.* tab. *a* Petalum auctum. *b* Germen et stigma aucta. *c* Fructus.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Planta valde affinis Cisto guttato, a quo non nisi petalis serratis, et macula nigra circulari distinguitur.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Montes isti pretiosissima marmora et alabastra continent, quorum præcipua vidi in Metropolitana Valentina Ecclesia, in Cartusiana Portæ-cæli, et in nuperrime constructa Montesiani Ordinis.

### MELICA NUTANS *Linnæi. Tab. 175. fig. 2.*

192. MELICA foliis setaceis : racemis terminalibus : petalis imberbibus : spiculis secundis nutantibus.

Melica nutans, pedunculis simplicibus : spiculis nutantibus, secundis, glabris. *Scop. carniol. 1. pag. 192.*

Melica nutans, petalis imberbibus, panicula nutante simplici. *Linn. sp. pl. vol. 1. p. 182.* Culmi filiformes, erecti, vix pedales, conferti, numquam ramosi, obtecti foliorum vaginis. Folia setacea, longa, angustissima, basi patula, ibique, in vaginæ scilicet fine, squamula scariosa alba, culmum amplexante aucta : vaginæ imbricatæ, semipollicares.

Flores secundi in racemis terminalibus : isti sunt capillares, fere semper simplices.

Calix corollis paulo brevior, bivalvis, valvulis ovatis, concavis, muticis, extus subviolaceis.

Corollarum valvula exterior, concava : interior brevior, plana.

Staminum filamenta tria capillaria : antheræ oblongæ, utrimque emarginatæ.

Germen ovatum : styli duo setacei : stigmata villosa.

Semen ovatum.

Habitat in monte Saguntino, et in pluribus aliis regni Valentini. Floret Aprili.

*Explic.* tab. *d* Flos integer auctus. *e* Idem calice deflexo. *f* Flos alter fertilis. *g* Germen. *h* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Flosculi sunt oblongi mutici : inter duos fertiles, quorum alter sessilis, alter breviter pedicellatus, corpusculum erigitur stipitatum, terminatum globulo albicante.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Si huius plantæ culmi essent ramosi, ad Melicam minutam referenda potius esset, quam ad nutantem. An species inter istas media? minutam ignoro.

### SPARTIUM PATENS *Linnæi. Tab. 176.*

193. SPARTIUM ramis virgatis, striatis : foliis ternatis : floribus lateralibus et terminalibus.

Spartium foliis ternatis; ramis virgatis; floribus lateralibus, geminis, cernuis. *Linn. sp. pl. vol. 3. pag. 402.*

Cytisus patens, floribus pedunculatis, subbinatis, lateralibus, nutantibus. *Linn. spec. pl. vol. 3. pag. 482.*

Cytisus lusitanicus, medicæ folio, floribus in foliorum alis. *Tourn. inst. 648.*

An Cytisus pendulinus *Linn. filii suppl. pag. 328?*

Caulis fruticosus, octo pedes altus, ramis alternis, virgatis, patulis, striatis, glabris.

Folia omnia ternata, parva, foliolis obovatis, medio longiore, subtus subpubescentibus.

Flores axillares et terminales, sæpius quattuor, pedunculis incrassatis subvillosis, squamula setacea brevi ornatis.



Calix campanulatus, bilabiatus, subvillosus, labio superiore profunde bifido, laciniis acutissimis; inferiore, apice trifido setoso.

Corolla lutea, magna, papilionacea: vexillum orbiculatum reflexum, dorso villosum, maculatumque macula fulva: alæ vexillo breviores ovato-oblongæ, conniventes, basi prope unguem lunatæ.

Carina alis brevior, profunde fissa inferiore parte.

Stamina decem, in vaginam connata: antheræ globosæ.

Germen lineare: stylus adsurgens: stigma globosum.

Legumen lineare, nonnihil compressum, 3-6-spermum.

Semina glabra, globosa.

Habitat in orientali parte vallis de Gallinera, copiose tamen prope oppidum Albayda, et in Moxente montoso tractu *Bosquet* vulgo. Floret Aprili. *h* Una cum plantis supradictis in Albaydæ vallis descriptione naturali.

*Explic.* tab. *a* Calix. *A* Idem aliter spectatus. *b* Petala. *c* Germen. *d* Stamina. *e* Eadem expansa et aucta. *f* Legumen. *g* Idem expansum.

*Obs.* Cytisum Genistam et Spartium eiusdem generis naturalis sectiones potius esse quam diversa genera, dixit in Dictionario encyclopedico D. de Lamarck, vol. 2. pag. 252; quæ nihilominus in duo separavit tyronum gratia Genistam scilicet et Cytisum. Fecit hoc non solidis fundamentis sed plantarum habitu, adeo ut Cytisis adnumeret illas, quibus omnia folia ternata sint, Genistis reliqua. Fructificationis characteres, quos Linnæus posuit, in paucis tantummodo speciebus, hisque passim obviis, reperit; in cæteris omnino aut partim eos evanescere confussis signis. Suam inde sententiam firmat, quod Linnæus ipse eandem Tournefortii plantam Spartium simul et Cytisum dixerit, quamque postea filius tamquam novam Cytisi speciem descripsit in supplemento. Vereor equidem Linnæum hic humani quidquam passum: veruntamen non inde damnandum est illius systema, sed errores dumtaxat castigandi: non inde revocanda est empyrica methodus in scientiæ pernitiem, sed bene provisæ et diligenter exploratæ principia ponenda sunt, quibus innixi tyrones vera proprio Marte inquirant et inveniant. Numquam isti ne dicam Botanici meam plantam ad debitum genus revocabunt, semel admissa auctoris encyclopedici sententia. Ad Cytisum enim et reducenda erit, quia nullum est ipsi folium solitarium sed omnia ternata, et ab eodem genere simul expungenda, quia stamina sunt ipsi Monadelphæ. Mitto reliqua quæ quoniam fructificationis partes sunt, rectius dicam, quoniam Linnæi inventa, nauci duxit auctor cæteroqui doctissimus. Suo abundet sensu; interea tamen sciat Millerii iconem 138, nullatenus nostræ plantæ convenire, hancque eandem esse credimus cum illa lusitanica, quam Tournefortius descripsit his verbis: *Cytisus lusitanicus, medicæ folio, floribus in foliorum alis.*

### BISCUTELLA MONTANA. Tab. 177.

194. BISCUTELLA siliculis glabris: foliis ovatis, dentatis, tomentosiss.

Radix perennis, teres, saxorum fissuris fixa, ex qua et inter folia radicalia caules prodeunt pedales, tomento deciduo obducti, adeo ut decursu temporis glabri viridesque appareant, superiore præsertim parte.

Folia radicalia numerosa, supra solum expansa, crassiuscula, valde tomentosa, ovata, dentata, dentibus sat magnis et profundis: caulina alterna, sessilia, et veluti auriculata, quorum suprema integra et minuta.

Flores racemoso-corymbosi, terminales, pedicellati; pedicellis erectis, capillaribus.

Calix lutescens, deciduus, ex quattuor foliolis ovatis, concavis.

Corollæ petala quattuor, ovata, dilute lutea.

Stamina sex, ut in congeneribus: glandulæ quattuor, quarum duæ externe inter totidem staminum paria, reliquæ interne inter stamen et germen.

Germen compressum, emarginatum: stylus simplex, subulatus, persistens: stigma obtusum.



Silicula glabra, brevis, erecta, bilocularis, compresso-plana, semibifida, lobis subrotundis, monospermis.

Semina orbiculata, compressa, in loculamenti medietate posita.

Habitat in altioribus montibus regni Valentini, præcipue tamen in *Cabesó* qui Lucentum inter et Saxosam iacet, et in *Cova alta* prope Conventum Sanctæ Annæ. Florebant hic Aprili mense Antirrhinum triphyllum et crassifolium, Ranunculus gramineus, Arum arisarum, Campanula alpina, Geum reptans, Fumaria eneaphylla, Cotyledon umbillicus, et inter alias stirpes Alyssum spinosum.

*Expl. tab. a* Corolla expansa. *b* Calix. *c* Genitalia aucta. *d* Silicula. *e* Semen.

## XIMENESIA. <sup>(a)</sup>

### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis polyphyllus, laciniis triplici ordine dispositis, interioribus brevioribus.

Corolla composita, radiata: corollulæ hermaphroditæ numerosæ in disco: femineæ subviginti in radio. Propria hermaphroditis tubulosa, quinquefida, pedicellata: radiatorum vero ligulata, trifida.

Stamina hermaphroditis quinque, capillaria: anthera cylindracea.

Germen ovato-compressum, basi acutum: stylus simplex: stigmata reflexa.

Semina solitaria: in radio figura germinis: in hermaphroditis ala circulari aucta; hæc est apice emarginata: papus nullus.

Receptaculum paleaceum.

*Obs.* Genus *Enceliæ* affine; a quo distinguitur radiis fertilibus trifidis; seminibus radiatorum nudis, in centro alatis; et calice polyphylo triplici ordine.

## XIMENESIA ENCELIODES. *Tab. 178.*

195. XIMENESIA foliis trinervis, ovato-acutis, serratis: petiolis alatis.

Caulis teres, tripedalis, ramosus, subtomentosus in ramis teneris.

Folia ut plurimum alterna, præsertim superiora, ovato-acuta, basi cordato-cuneata, serrata, petiolo longiora; pagina superiore viridia, inferiore villis numerosis incana; petiolus alatus, alis dentatis, versus caulem latioribus, eumque subamplexicantibus.

Flores corymbosi: flos quilibet solitarius, pedunculo sustentatus prælongo, axillari ad folium sessile angustum acutissimum.

Calicis laciniæ lineari-acutæ.

Corolla magna, lutea; radiatorum laciniis obtusis, media brevior.

Receptaculi paleæ acutæ.

Semina nigricantia; ala albicans, composita ex innumeris pilis sibimet parallelis, adpressis non liberis.

Reliqua ut supra in caractere generico.

Habitat in Mexico, unde introducta in Regium hortum Matritensem. Floruit prima vice mense Novembri: videtur perennis.

*Explic. tab. a* Flos integer antice spectatus. *b* Idem postice. *c* Radius. *d* Flosculus hermaphroditus. *e* Idem auctus. *f* Huius semen. *g* Idem auctum. *h* Semen radii.

(a) In honorem Iosephi Ximenes Pharmacopolæ, voluminibus, in quibus plusquam septingentas plantas qui Castulonis floram conficere aggressus est quattuor pinxit, ultra papiliones indigenas et aves.



ANTIRRHINUM TRIPHYLLUM *Linnaei. Tab. 179.*

196. ANTIRRHINUM foliis ternis ovatis. *Linn. sp. pl. vol. 3. pag. 127.*

*Linaria sicula, latifolia, triphylla. Bocc. sic. 44. tab. 22.*

*Linaria hispanica. Clus. hist. 1. pag. 320.*

Caulis pedales, erecti, teretes, villosi, ut et tota planta, superne ramosi, ramis axillaribus.

Folia terna et quaterna, internodi longiora, sessilia, ovata, integerrima, mollia, trinervia, nervis vix conspicuis: superiora infra flores ut plurimum solitaria, aut opposita.

Flores racemosi terminales.

Calix pentaphyllus, laciniis subspatulatis, quarum superior longior.

Corolla calcarata, calcare antico, corollae subæquali, dilute luteo: faux saturator, impervia, limbo tripartito: galea bifida, laciniis erectis, in cristam conniventibus, albicantibus, lineis fuscis.

Stamina quattuor, didyma, fundo corollae adfixa: antherae luteae.

Germen globosum: stylus longitudine staminum: stigma incrassatum.

Fructus globosus, apice bilobus, lobo altero erectiore: capsula bilocularis, polysperma.

Semina minima, receptaculo carnosio affixa.

Habitat in umbrosis montium *de la Cova alta* prope Albaydam, et *Palomera* in Ayora ditione. Floret ab Aprili ad Iulium. Ibiq. Globularia alypum, vulgaris et cordifolia, Campanula alpina, Gallium saxatile, Rubia peregrina &c.

*Explic. tab. a* Flos integer magnitudine naturali. *b* Stamina. *c* Germen intra calicem. *d* Fructus. *e* Sectio capsulae.

ANTIRRHINUM TENELLUM. *Tab. 180. fig. 1.*

197. ANTIRRHINUM caulibus procumbentibus, tenuissimis: floribus axillaribus solitariis pedunculis folio longioribus.

Radix crassiuscula, fusca, fibrosa, ex qua cauliculi prodeunt vix semipedales, procumbentes, et prostrati, tenuissimi, ramosi, valdeque villosi, ut et tota plantula.

Folia rotundato-acuta, glauca, mollia et villosa; inferiora opposita; floralia alterna, petiolis paulo maiora.

Flores axillares, solitarii, pedunculis capillaribus, folio duplo longioribus.

Calicis lacinae quinque, profundissimae, lineares, subæquales.

Corolla alba, calcarata, calcari subæqualis: faux pervia: limbus bilabiatus, labio superiore bifido, antice producto, minime vero erecto: inferiore dependente, trifido.

Reliqua ut in congeneribus; at omnia valde minuta.

Habitat prope culmen montis Ayora vulgo *Cueva horadada*, id est Caverna perforata, in umbrosis et humidis, et fere semper aliis plantis tectum. Floret Iunio. Vivunt ibidem Anemone hepatica, Campanula alpina, Anthyllis erinacea et vulneraria, Polypodium vulgare, Adiantum capillus-veneris, Thalictrum minus, Lavandula spica, Asclepias nigra et vincetoxicum, Inula montana &c.

*Explic. tab. a* Calix auctus. *b* Germen. *c* Corolla. *d* Flos integer auctus.

## DE MONTIBUS ENGUERINIS.

Fertiles hucusque, populosos atque amoenissimos tractus perlustravimus. Desertum nunc aggredimur ubi perpetui montes sese excipiunt, et saxa durissima, nunc profundis excavata sulcis, nunc sæculorum lapsu deformata. Nimirum Enguerinos montes, quorum nomine illos omnes intelligo, qui ab Enguera oppido usque ad Cofrentes excurrunt octo leucarum spatio,



quosque septentrionali plaga Sucro flumen separat ab illis æque aridis, magisque desertis, qui inter flumina iacent Sucronem et Turiam. Sexaginta circiter quadratas leucas completitur tota regio, quæ frequentibus pinetis consita est, in quibus degunt sat magno numero dæmæ, capreæ, vulpesque et lupi: profundissimis etiam sulcis (vulgo *Barrancos*) interrupta est et angustis vallibus. Frustra in ea rivulos et fontes per integras leucas quæras, si Cofrentes vallim excipias, atque tractum illum *Canal de Navarrés*, in quibus tanta aquarum copia, ut rivuli tres inde oriantur Reconque scilicet, Escalona et Sellent, qui Sucronem intrant. Illa aquarum inopia in causa est, ut solum incultum maneat magna parte, qua armenta et errantes greges passim videas; paucos homines habita ad terræ spatium ratione. Vix enim vigintiquattuor millia hominum numerantur, quorum tredecimillia inter Cofrentes et Ayoram, termillia et amplius in *Canal de Navarrés*, quinque millia in Enguera oppido; reliqui vicos incolunt Vicorp et Quesa in montium medietate, Millares et Cortes de Pallás ad Sucronis dexteram. Non hic in explicanda natura montium immorabor, quia eadem est atque præcedentium Valentini regni, calcaria scilicet aut gypsea; sed illorum situm, figuram et reliqua delibabo, quæ ad naturalem historiam pertinent.

Perlustranti montium culmina, qui ab occasu in ortum semper depressiores sunt, plura sese offerunt scitu digna. Et primo quidem planities immensa per illorum fastigium excurrens, quæ licet profundis fossis interrupta, unam eandemque olim massam videtur efformasse. Probant hoc strata eiusdem naturæ, coloris et profunditatis, quæ ad eandem altitudinem posita sunt in utraque fossarum ripa: tum et anguli sinibus respondentem, qua hodie fluunt imbrium aquæ. Secundo, facilis est ad montes ascensus septentrionali plaga: difficilis aut nullus omnino australi et occidentali, ubi horrida præcipitia existunt. Quod innuere videtur maris aquas quondam magno impetu ab austro in septentrionem et ortum motas fuisse, earumque vi atque iteratis ictibus montium partes contra meridiem et occasum abruptas et deformatas. Eodem pariter elementorum conflictu excavatæ videntur fossæ atque valles, ibi præsertim ubi materia mollior, ubi nullum gluten, ubi denique terræ magna copia existit.

Montium situs atque planities illæ, quæ in ipsorum fastigio conspiciuntur, difficile mutationem patientur, quia durissimis constant saxis et perpauca marga rubente ubi plantæ crescunt: at illorum radices, ibi potissimum ubi marga abundat et humiditas, tractu temporum deformantur et pereunt; unde superposita ipsis massa proprio pondere ruit basi destituta. Videre hoc licet in oppidi Cortes viciniis. Ex magna planitie, quæ montis fastigium est per horam integram descenditur usque ad memoratum oppidum in medio clivo situm atque in eminente loco, si cum Sucronis alveo comparatur, cuius fluminis vicina horrida, nedum obscura profunditate, sed et saxorum multitudine quæ ex montibus ceciderunt. Mons ibi passim observatur quasi ad lineam sectus per centum sæpe pedum altitudinem, ubi strata patent. Quo profundius descendas, nova strata observes margacea, quæ cum lapideis alternant, donec tandem tanta est margæ copia, ut mons integer hac unica base inniti videatur. Hic et in immensa fossa, quæ oppidum circumdat plures sunt fontes et aquarum scaturigines, quæ terras lambunt et exportant, quibus saxa denudantur: cavernæ inde proveniunt horridæ quarum tecta post imbres præsertim commoventur et decidunt: itinera fragmentis obruunt totumque clivum usque ad Sucronis fundum, cuius aquæ perpetua obstacula aut ruentes, aut superantes raucum edunt sonitum. Naturam hic videas nulla hominum arte deformatam: non quod oppidani in otio vivant, sed quia numero pauci omnem fere ditionem incultam relinquunt, clivosa eaque irrigua parte contenti, quæ inter oppidum et montes iacet. Fuere olim duo oppida in Cortes viciniis Buguete scilicet et Rugaya quæ cum Maurorum expulsionem perierunt. Murorum adhuc restant fragmenta et agrorum limites, qui maiorem tunc temporis terræ culturam fuisse luculenter ostendunt. Agricola sæpe terram excavantes sepulcra offendunt, in quibus humana ossa reperiuntur nostris maiora. Hodie vero si supradictos agros excipias, omnia inculta sunt montes præsertim, qui gregibus et armentis abundant.

Magna in illis plantarum copia. Pinus sylvestris, Pistacia therebintus et lentiscus, Juniperus sabina, communis et oxycedrus, Oleaster, Rosmarinus officinalis, Rhamnus alater-



nus et lycioides, *Genista hispanica*, *Ulex europeus*, *Daphne gnidium*, *Cistus albidus*, *mons-peliensis*, racemosus aliique humiles passim prostrant. In umbrosis et humidis frequens est *Trachelium coeruleum*, *Campanula rotundifolia*, *Arum arisarum*, *Anthyllis tetraphylla* et *vulneraria*, *Saponaria ocymoides*, *Euphorbia spinosa*, serrata et canescens, *Condrilla iuncea*, *Myrtus communis*, *Scirpus acicularis* et *palustris*, atque *Cryptogamæ* illæ alibi memoratæ. In clivo crescunt *Biscutella coronopifolia*, *Sideritis incana*, romana et *hyssopifolia*, *Galeopsis tetrahit*, *Marrubium supinum* et *hispanicum*, *Dianthus filiformis*, quem *Linnæus* *Gypsophyllam* dixit *saxifragam*, *Scabiosa stellata* et altera nova *tomentosæ* nomine postea describenda, *Coronilla minima* et *iuncea*, *Ononis fruticosa*, *Smilax aspera*, *Viburnum tinus*, *Stæhelina dubia*, *Mercurialis tomentosa*, *Thymus piperella*, *Psoralea vituminosa*, *Teucrium saxatile*, aureum, capitatum et lucidum, *Buplevrum rigidum*, *odontites*, *rotundifolium*, fruticosum et frutescens; innumeræ tandem ex graminum et umbellatarum familiis; ex *Syngenesiæ*, *Didynamiæ*, *Pentandriæ* et *Diadelphicæ* classibus, quas silentio prætermittam unica excepta *Genista*, quæ frequens est in oppidi viciniis. Ea quattuordecim quandoque pedes assurgit, trunco glaberrimo, tereti, duos pollices crasso, octo sæpe pedes alto, postea ramossissimo, ramis erectis, striatis: foliis gaudet solitariis, sparsis, minimis, lanceolatis, subvillosis. Flores lutei ramos terminant in racemum dispositi, qui brevibus pedunculis sustentantur bistipulatis: stipulæ (aut si mavis bracteolæ) sunt minimæ, acutæ, lutescentes. Legumina sequuntur subtrisperma, compressiuscula, quæ argentea apparent villis numerosis albicantibus. Affinis videtur hæc species *Genistæ floridæ* *Linnæi*; verumtamen comparatis arbustis, quæ apud nos vivunt, diversa reputo foliis, florum situ, et toto plantarum habitu.

Delibatis quæ ad montes pertinent, in valles descendamus et primo quidem in illam angustissimam nominatam, vulgo *Canal de Navarrés*, quæ per duas leucas in longitudinem excurrit. Quattuor in illa numerantur oppida parum ab invicem seiuncta Anna scilicet, Chella, Bolbayte et Navarrés, quorum ditiones marga constant rubente, frugifera in priore, in aliis feraciore. Inter Navarrés et Bolbayte collis occurrit humilis, qui sensim versus austrum et septentrionem depressior, aquarum cursus in opposita cogit. Harum inopiam vidimus per universam regionem; in valle vero tanta copia est ut passim fontes eosque copiosissimos offendas. Quattuor erumpunt in erectiore loco et quintus in fundo oppidi Navarrés: rivulum illi formant, quo in varios canaliculos partito plusquam trecenta terræ iuga Navarresii irrigant, quorum tanta sollertia est, ut collem bismille pedes amplum perforaverint, quo inutiles aquas alio transmitterent ad agros irrigandos, in quibus uberrimi fructus *Zæa* scilicet, *Triticum*, *Olosericeum*, *Cannabis*, aliique quin in solo consimili delectantur. Aquæ illæ postquam terram irrigarunt a meridie in septentrionem, versus ortum declinant ut rivulum intrent Escalona, qui a Vicorp et Quesa descendit; fluitque deinceps per montium præruptas fauces, ut cum Sucrone confluat. Neque confundi debet rivulus Escalona cum altero Sellent, de quo postea dicam: occidentalior enim est et sesquileuca ab hoc seiunctus. Irrepsit hic error in cartam geographicam Matriti editam, quæ, si recudenda umquam, purgari debet non paucis erroribus quibus scatet. Atque hæc de septentrionali vallis parte.

Meridionalis a Bolbayte incipit ac sensim descendit usque ad Annam, ubi amplior est. Fontes et aquarum scaturigines, qui nunc e terra, nunc e saxis erumpunt frequentiores sunt versus meridiem et ortum, ubi *Albufera* existit, lacus scilicet piscibus abundans, e cuius fundo aquarum columnæ tanto impetu saliunt, ut aliquas sæpe videas semipedalis diametri quæ sursum eriguntur, superato obstaculo quod fundus offert et aquarum profunditas. Magnum incrementum hæc tribuunt rivulo de Sellent, cuius initium est iuxta Bolbayte oppidum: præceps ille ruit ab Anna; præterfluit postea cognomen oppidum in collis culmine locatum, ac tandem inter Carcerem et Cotes Sucronem intrat. Vix autem divinari potest unde proveniat tanta aquarum copia, eæ etiam quas fontes aut potius rivuli *dels Sants* et *Santa* suppeditant. Colles enim et montes, in quorum viciniis scaturigines istæ conspiciuntur, humiles sunt et sicci: imbres item et nives hiberno tempore haud multum frequentes. Alibi ergo quærenda est aquarum summa, in occidentali fortasse regionis parte, ubi montes frequentes sunt et alti, ubi copiosæ nives eæque diuturnæ, ubi fontes rarissimi.



Quod ad terræ culturam attinet, nihil hic vidi quod non iam observaverim in septentrionali parte. In utraque fructus omnino similes, eademque hominum in laborem proclivitas, quorum industria maxime commendanda, præterquam in Olearum cultura: eas enim passim videre est ramis inutilibus obrutas, unde fructuum defectus.

Veniat nunc occidentalior illa vallis, Cofrentes nomine, quæ a septentrione in austrum protenditur, collibus efformata gypseis, qui a Cofrentes<sup>(a)</sup> oppido ad Ayoram usque excurrunt, non recta sed aut sinibus ab invicem remoti, aut clivis interrupti. Super eminentes montes ad occasum et ortum, e quorum fastigio vallis observatur, cuius conspectus gratissimus collium amoenitate, aquarum et fructuum copia; gratiorque etiam apparet quia post longum, sterile, atque periculosum iter sese offert. Superatis enim tot montibus, et profundissimis fossis, semper sterilibus semperque disertis; quando prærupta et depopulata regio creditur offendenda, præter opinionem occurrit vallis. Quinque in ea sunt oppida, nimirum Cofrentes, Xalance, Xarafuel, Teresa et Zarra, et sextum versus meridiem nobilissimum Ayora, quondam arce fortissima munitum, nunc diruta post successionis bellum nostro in eunte sæculo. Sita sunt illa omnia in collium culminibus. Fontes non solum in profundis locis, verum et in altioribus natura posuit, quos oppidani per declivia dirigunt ad agros irrigandos in amphitheatrum dispositos: quo fit ut quum ex inferiori vallis parte in superiores ascendas, murmurantes ubique lapsu aquas audias et intuearis; agros etiam mira arte cultos, in quibus arbores et frugiferæ plantæ crescunt quæ in consimili solo uberes semper fructus suppeditant. Unum hic vidi quod præter alia hominum sollertiam ostendit, agrorum scilicet margines, qui nudi sæpius alibi conspiciuntur, Ulmo campestre et Celte australi consitos. Ita huiusmodi arbores illi dirigunt, ut truncus nullus, rami plures subradicales existant, quos septem fere pedibus crescere permittunt ut furcas inde, bacillos, baculosque conficiant, ex quibus quotannis sexcentas auri uncias reportant, quin ullam proinde agri iacturam patiantur. Vites etiam cum iis arboribus intertextas intuearis, sed non tanta copia, neque mirabili illa arte uti apud Chelvanos et Xixonenses, qui clivosos tractus in pulcherrima viridaria disponunt.

Cofrentes oppidum præterfluunt duo flumina Cabriel et Sucro, quæ ab occasu descendunt, confluantque in orientali plaga, Sucronis nomine retento. Hoc vero procurrit fere recta inter altissimos montes octo leucarum spatio usque ad Antellam, in qua canalis incipit, regius iure merito cognominatus, ab auctore magno illo Aragoniæ rege Iacobo I; pergit deinde per amplam planitiem, cuius magnam partem sæpenumero inundare solet: prope Alciram bifariam partitur ut populosum oppidum quasi duobus brachiis complectatur et cingat; quibus iterum in unum coalitis versus Culleram tendit ut in Mediterraneum mare sese exoneret. Flumen hoc princeps est inter omnia quæ Valentinum regnum irrigant, cuique commoda debentur atque opes, quibus abundat præciosissimus ille tractus *Riberas* nomine, quod *ripas* significat.

Vallim versus austrum excipit Ayoræ ditio, cuius montes plantis abundant rarioribus, præsertim illi quos vulgus nominat Palomera, Unde et Meca. In hoc limites existunt Ayoræ atque Almansæ ditionum, regnorum etiam Valentia et Murcia. Supersunt adhuc in ipso remotissimæ antiquitatis monumenta, cisternæ nimirum plusquam quinquaginta in saxis excavatæ, quæ fastigium montis occupant: fossa etiam duodecim pedes lata totidemque profunda quæ a montis radice usque ad urbem nunc dirutam protendebatur. In eiusdem septentrionali plaga conspiciuntur ostrearum strata, quadraginta et amplius pedes profunda, quarum plures in pulverem albicantem margaceum fatiscunt, aliquæ formam, nonnullæ et nitorem primigenium conservant. Vitibus abundat ea regio, quas apprime excolunt Ayorenses. Oleæ nuperrime introductæ, quarum viginti annorum spatio tanta copia, ut plusquam centum et quinquaginta mille videas in locis antea incultis aut parum frugiferis. Oporteret hos homines illas contemplari, quæ in Castellæ et Albaydæ vallibus crescunt, ut culturam ipsis

(a) Locus ille ubi flumina confluant hispano sermone *Confluencia*, latino *Confluens* nominatur. Ab hac ergo voce nonnihil deformata et vallis et oppidi nomen originem ducit.



convenientem perdicerent. Peccant enim in eo quod plures quam oportet in solo plantant, quæ procedente tempore sibi invicem offendant, nec adeo debitam magnitudinem umquam attingant: ramos etiam et truncos inutiles conservant. Sero medicina paratur, nisi principiis obstes, quando teneras arbores ad libitum regas, atque ita disponas, ut ipsis et rei familiari consulens uberrimos fructus percipias.

### CONVOLVULUS VALENTINUS. *Tab. 180. fig. 2.*

198. CONVOLVULUS foliis linearibus, acutis, plicatis, extus pilosis: floribus axillaribus solitariis.

Caulis erecti, semipedales, sæpius ramosi, pilis albis obducti uti tota planta, si foliorum superiorem paginam excipias.

Folia sparsa, breviter petiolata, linearia, acuta, plicata.

Flores axillares, solitarii, quorum pedunculi, foliis longiores, stipulas duas sustinent lineares prope calicem.

Calix profundissime quinquepartitus, laciniis ovato-acutis, intus glabris, extus pilosis.

Corolla monopetala, violaceo-rubra, limbo decemcrenato, crenulis alternis brevioribus.

Staminum filamenta quinque, subulata, corolla dimidio breviora, huius fundo inserta: antheræ oblongæ, compressæ, basi emarginatæ.

Germen globosum: stylus filiformis: stigmata duo oblonga, filiformia.

Capsula calice obvoluta, bilocularis.

Habitat in collibus prope Benitachell. Floret Maio.

*Explic. tab. e* Calix expansus. *f* Genitalia. *F* Folium auctum.

*Obs.* Planta media inter Convolvulos dorycnium et cantabrica.

### RHAMNUS PUMILUS *Linnæi. Tab. 181.*

199. RHAMNUS inermis repens: floribus hermaphroditis: foliis serratis. *Linn. spec. plant. vol. 1. pag. 543. Jacq. Collect. vol. 2. pag. 141. tab. 11*, qui folia dixit petiolata, ovata, crenata.

Frangula montana, pumila, saxatilis, folio subrotundo. *Tourn. inst. 612. Segu. veron. vol. 2. pag. 296.*

Radix lignosa rupibus calcareis adfixa, ex qua caulis prodit numquam erectus sed repens super nuda saxa; valde ramosus ramis tortuosis: lignum est ipsi lentum, durum albicans; cortex fusco-rubescens, glaber, tuberculis exasperatus et fissuris.

Folia in novis ramis sparsa et adproximata, brevissime petiolata, ovata, vix serrata, serraturis distantibus et sæpe nullis: superne sunt viridia et nitida, inferiori pagina pallidiora: stipulæ breves, deciduæ.

Flores axillares numerosi, pedunculis capillaribus suffulti, tandem cernuis; hique sunt folio breviores, gaudentque bracteola rubente, decidua.

Calix herbaceo-lutescens, infundibuliformis, limbo quadrifido, laciniis acutis: ex harum divisionibus lacinulæ totidem prodeunt brevissimæ, et paulo inferius stamina.

Corolla nulla, nisi calicem dicas.

Staminum filamenta quattuor calice breviora, subulata, albicantia: antheræ ovatæ, luteæ, didymæ.

Germen in fundo calicis ovatum: styli tres: stigmata incrassata.

Fructus est capsula ovata, trigona, trisperma: semina triquetra, solitaria in tertia capsulæ parte, efformata in sacculum interne fissum.

Habitat in montibus Meca et Palomera ditionis Ayoræ.  $\frac{h}{2}$  Floret Maio; fructus perficit Julio. Crescunt ibidem Rhamnus lycioides et alaternus, Mespilus amelanchier, Acer



campestris, Arbutus unedo et uva-ursi, Globularia cordifolia, Potentilla alba, Statice alliacea, Antirrhinum triphyllum et saxatile, Saxifraga petraea, Arenaria tetraquetra, Seseli saxifragum, Inula montana, Rubia peregrina, Gallium saxatile, Scabiosa tomentosa, Cuscuta europaea, Illecebrum cymosum, Tordilium antriscus Linnæi, Buplevrum odontites, rigidum et frutescens, Cistus glaucus aliique iam memorati.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calicis limbus. *c* Flos expansus. *d* Fructus. *e* Huius tertia pars interne spectata. *f* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Differentias sat notabiles reperi inter Clar. Iacchini plantam et nostram Valentiam. Huius truncus et rami sunt semper saxis adpressi numquam erecti: corollæ quadrifidæ: stamina quattuor: flores numquam racemosi; et folia adproximata, vix serrata.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Huius plantæ fructus vera est capsula, quia determinate dehiscit: adeoque similis Euphorbiæ fructui, quod ad formam et dehiscendi modum spectat, ut tricoccus iure merito nominari possit.

### RHAMNUS LYCIOIDES Linnæi. Tab. 182.

200. RHAMNUS spinis terminalibus: foliis linearibus. *Linn. spec. plant. vol. 1. pag. 540.*  
*Pall. Flora Rossica pag. 26. tab. 63.*

Rhamnus tertius flore herbaceo, baccis nigris. *Bauh. pin. 477.*

Rhamnus tertius forte niger. *Clus. hist. 1. pag. 110.*

Caulis fruticosus, tripedalis, valde ramosus, ramis patulis, spina terminatis: cortex fusco-cinereus, lævis.

Folia sublinearia, obtusa, basi angustiora, glaberrima, sessilia, fasciculata, fasciculis alternatim sparsis: pori transparentes disseminati per integram superficiem.

Flores ex foliorum fasciculis solitarii, bini aut terni, sustentati pedunculis capillaribus, folio brevioribus.

Calix luteus, urceolatus, semiquadrifidus, aliquando trifidus, raro quinquefidus, laciniis patulis acutis: ex harum divisionibus lascinulæ, aut si mavis, squamulæ prodeunt minutissimæ rubicundæ, setaceæ, munientes stamina.

Corolla nulla nisi calicem dicas.

Staminum filamenta tot quot squamulæ, capillaria, recurvato-erecta, calici iuxta germen inserta: antheræ globosæ.

Germen globosum, rubens: styli duo, sæpe tres nonnihil recurvi: stigmata incrassata rubra.

Capsula nigra, turbinata, bisulcata, quandoque trigona, bi-trifariam dehiscens.

Semina duo aut tria, subtriquetra, pallida.

Habitat copiose in montibus calcareis regni Valentini. *h* Floret Aprili, fructificat Maio.

*Explic.* tab. *a* Calix magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Idem expansus. *d* Germen.

*e* Stamen cum squamula. *f* Fructus bisulcatus magnitudine naturali. *g* Idem trigonus.

*h* Huius pars intus spectata. *i* Semen.

*Obs.* In Claris. Pallasii tabula, cæteroqui nitida, folia video serrata, fructusque globulosos quod minime observatur in Valentinis plantis: calcographi aut delineatoris vitio tribuendum id est, aut fruticem dicendum ludere nunc foliis integerrimis, nunc serratis.

### SCABIOSA TOMENTOSA. Tab. 183.

201. SCABIOSA corollulis quinquefidis, inæqualibus: foliis tomentosis, radicalibus pinnatifidis, reliquis pinnatis, pinnulis linearibus.

Radix perennis, ex qua caulis prodit fere pedalis, teres, glaber, subaphyllus.

Folia tomentosa, albido-cinerea; radicalia numerosa, supra terram expansa, ut plurimum pinnatifida, pinnulis nunc integris obtusis, nunc crenulatis: caulina (quæ duo sæpius,



aliquando quattuor dumtaxat existunt, eaque in infima caulium parte) opposita, sessilia, connata, pinnata, pinnulis linearibus, ultima productiore.

Flores aggregati in caulium apice.

Calix communis polyphyllus, duplici serie, laciniis duodecim, exterioribus longioribus, linearibus: proprius duplex uterque superus, horum exterior membranaceus, striatus, limbo crenulato; interior setaceus, laciniis quinque, subulato-capillaceis, nigris.

Corolla dilute violacea, monopetala, tubo elongato, limbo quinquefido; laciniis inæqualibus rotundatis.

Staminum filamenta quattuor exserta: antheræ violaceæ.

Germen inferum: stylus corolla brevior: stigma clavatum.

Semina solitaria, calicibus coronata, tectaque involucri striato, glabro.

Receptaculum paleaceum, paleis linearibus.

Habitat in montibus regni Valentini, præsertim iuxta Cortes de Pallas et in præruptis clivis Orospedæ, *Mariola* vulgo.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *c* Flos auctus et expansus. *d* Germen. *e* *f* Fructus.

### DE OROSPEDA, AYTANA ET IDUBEDA.

Valentinorum montium altissimi sunt Idubeda, Aytana et Orospea. Iacet ille versus septentrionem innumeris collibus et montibus circumdatus, quorum alii Dertosam versus excurrunt, alii in Aragoniæ regnum penetrant, reliqui per Valentinum disseminantur. Aytana et Orospea, haud longo ab invicem intervallo seiuncti, australem plagam occupant, quibus plures adhærent hinc ad Satabim, illinc ad Althæam usque protracti. Orospea vulgo creditur altior cæteris; sed nemo quod sciam utriusque altitudinem commensuravit. Mihi autem eorum cacumina perlustranti, Aytanæ mons primatum obtinere videbatur: atque hanc mihi opinionem confirmavit, quod hiberno tempore primus hic omnium, licet mari proprior, nivibus obducatur, quæ tardius quam in Orospea liquescunt. Omnium substantia calcaria est per strata disposita, nunc marmorea, Idubedæ præsertim; nunc rudioris materiæ, quod frequens est in Aytana et Orospea: saxa in hoc firmiora sunt; in illo fragilia atque duriora. Horrida præcipitia in omnibus existunt australi plaga: in Aytanæ fastigio voragines profundæ, in quas si saxa coniicias, ictuum sonitus diuturnos audies, sensim debiliores, qui tandem propter immensam profunditatem evanescent. Huius montis olim magna pars periit terræmotibus, illa scilicet, cui subiecta est vallis de Guadalest contra oppidum Benimantell. Ruinæ hodie conspiciuntur per tractum vulgo *Cantalar*, ubi nullo ordine disiecta saxa supersunt nunc in minuta fragmenta, nunc in gravissimas separata moles, quarum plurimæ versus vallim ceciderunt in clivo disseminatæ.

Idubedæ culmen, quod altius quondam proculdubio fuit, tricuspitem formam induit ab illo tempore, quo nostri montes fuerunt deformati. Cupides illæ, nebulis fere semper obductæ, e longe conspiciuntur cælo sereno. Si ex harum fastigio versus austrum prospicias, fossæ tibi sese offerunt ad lineam ferme excavatæ, quarum imma profunditas fugit oculos: versus septentrionem vero clivus adeo mollis ut equo quomodeo cuspides ascendas. Stratorum ibi altitudo atque ipsorum ad horizontem inclinatio clare patent: buccinorum nucleos reperias marmoris nigri. Frustra ibi Cistos et Daphnes quæras, cuius loco Potentillam albam et suberectam, Anthyllidem erinaceam, Drabam alpinam, et Geranium saxatile reperies: plantas scilicet quæ calores sustinere nequeunt. Easdem offendes in Orospedæ culmine vulgo *Montcabrer* plus quam triginta leucis ab Idubeda seiuncto. *Montcabrer* figura conoidæa est et basis ampla, altissimo monti superposita. Ad memoratam usque basim ascensus sat facilis, ultra ipsam difficilis: saxa etenim quibus constat nunc a natura ad lineam secta sunt nunc sulcis interrupta. Voragines nullas, præcipitia passim videas. Fontes rari sunt in Idubeda; frequentissimi in Aytana et Orospea, iique purissimi et saluberrimi, qui vitam hilaritatem et opes tribuunt finitimorum populorum ditionibus, Alcoy præsertim oppidi omnium nobilissi-



mi, sive textoriæ artis manufacta observes, sive agrorum culturam, sive machinarum numerum.

Magna est in dictis montibus plantarum copia. In altioribus et frigidis locis præter supra memoratas stirpes saxorum fissuras occupant Iasione foliosa, Campanula alpina, Globularia cordifolia, Arenaria iuniperina et laricifolia, Silene saxifraga, Erinus alpinus, Geum repens, Mespilus amelanchier, Solidago virga-aurea. Paulo inferius crescunt Taxus baccata, Acer campestre, Cratægus aria, Fraxinus ornus, Erica vulgaris, Teucrium saxatile, Antirrhinum crassifolium, Lavandula spica, Salvia officinalis, Statice alliacea, Carduus pinnatifidus, Scabiosa tomentosa, et alia item nova *saxatilis* nomine describenda, quæ nullibi nisi in præruptis et nudis crescit. Habitant ibidem in Aytana præcipue Saxifraga cotyledon, Asplenium scolopendrium et ceterach, Valeriana calcitrapa, et rubræ varietas, illa scilicet cui caules bipedales sunt, erecti, duri; et folia prælonga, linearia, integerrima. Hic et in clivo vegetant Gnaphalium stoechas, Ononis aragonensis et fruticosa, plurimæ Cistorum species, quarum frequentiores libanotis, et albidus: Teucra etiam capitatum, aureum, iva, et pseudo-chamæpithys, Scrophularia canina et peregrina, Iberis saxatilis et umbellata, Spartium spinosum, Dictamus albus, aliæque innumeræ, quas longum esset in præsentiarum recensere.

### SCABIOSA SAXATILIS. *Tab.* 184.

202. SCABIOSA foliis lanceolatis, integerrimis, inferne tomentosis; caulinis basi connatis.

Radix teres, perennis, ex qua cauliculi annui prodeunt pedales et amplius, teretes, glaberrimi, læte virentes, fragiles, duobus foliorum paribus ornati.

Folia lanceolata, integerrima, basi in petiolum attenuata, pagina superiore viridia, inferiore glauco-albida et tomentosa: radicalia numerosa in rosam expansa; reliqua opposita et basi connata.

Flores aggregati, capitati.

Calix communis polyphyllus, duplici serie; laciniæ duodecim, ovato-acutæ: proprius, duplex, uterque superus: horum exterior membranaceus, albidus, limbo fimbriato: interior setaceus, laciniis quinque capillaceis, basi albis, postea purpureis.

Corolla supera, subtomentosa, alba, monopetala, limbo 4-5-partito, laciniis ovatis, subæqualibus.

Stamina filamenta quattuor, corolla duplo longiora: antheræ violaceæ, sulcatæ, basi emarginatæ.

Germen inferum, turbinatum, pilis scabrum: stylus staminibus brevior: stigma incrassatum, emarginatum.

Semina solitaria, calicibus coronata, tecta involucro pilis scabro.

Habitat copiose in saxorum fissuris regni Valentini, præsertim in umbrosis montium Cavesó, Cova-alta, Aytanæ et Valldignæ. ♀ Floret Maio.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Huius corolla expansa quadripartita. *c* Eadem quinquefida. *d* Germen. *e* Stamen auctum. *f* Fructus. *F* Florum capitulum postice spectatum.

*Obs.* Foliorum figura accedit hæc species ad Scabiosam creticam Linnæi, a qua differt foliis integerrimis, caule herbaceo annuo, et corollæ lobis subæqualibus.

### SIDERITIS GLAUCA *Tab.* 185.

203 SIDERITIS radice perenni: foliis ovato-linearibus, patulis, glaucis, subvillosis.

Radix durissima, lignosa, saxi nudis calcareis inhærens, multicaulis.

Caules annui, semipedales, tetragoni, basi prostrati et ramosi, postea erecti, glauci ut et tota planta.

Folia radicalia ovato-oblonga: caulina opposita, sessilia et subconnata, sublinearia, brevia, patula.



Flores verticillati, verticillis sexfloris: horum quodlibet fulcitum bracteis duabus, ovatis, tri-quinquedentatis.

Calix tubulosus, quinquedentatus, dentibus æqualibus.

Corolla dilute rosea; tubus nonnihil recurvus, calice longior: labium superius lineare, erectum, emarginatum; inferius tripartitum, lacinia media magna, orbiculata, concava; lateralibus acutis, brevibus.

Stamina brevissima: antheræ fusæ.

Germina quattuor in fundo calicis: stylus filiformis: stigmata duo, quorum exterius vaginat alterum.

Semina quattuor, ovata, nigra.

Habitat in montibus Orcellitanis. ♀ Floret Iulio, eodem tempore quo *Physalis suberosa*, *Lavandula multifida*, *Teucrium libanitis*, *Carduus syriacus*, *Nepeta violacea*, *Melissa fruticosa*, aliæque plurimæ.

*Explic.* tab. *a* Calix clausus. *b* Idem expansus. *c* Corolla postice spectata. *d* Eadem antice. *e* Germina stylus stigmata, omnia aucta. *f* Stamina aucta. *g* Semen auctum. *h* Bractea.

### SIDERITIS INCANA *Linnæi. Tab. 186.*

204. *SIDERITIS* suffruticosa, tomentosa, foliis lanceolato-linearibus; inferioribus spatulato-ovatis; bracteis dentatis.

*Sideritis incana. Linn. sp. pl. vol. 3. pag. 39. Hyssopus montana verticillata maior. Barr. tab. 259.*

Radix perennis: caulis suffruticosus, brevis, e quo rami prodeunt pedales, tetragoni, tomentosi, albi.

Folia inferiora conferta, opposita, connata, lineata et nonnihil rugosa, ovata et versus basim attenuata; ramea linearia, oblonga, omniaque tomento albicantia.

Flores verticillati verticillis quattuor aut quinque; flores in unoquoque sex sessiles: bracteæ dentatæ floribus breviores.

Calix monophyllus, turbinatus, apice quinquedentatus.

Corolla alba, cuius tubus cylindricus longitudine calicis: faux bilabiata; labium superius planum, lineare, bifidum, erectum; inferius trifidum, lacinia media productiore, orbiculata; lateralibus acutis reflexis.

Staminum filamenta minima, intra tubum: antheræ nigricantes, ovatæ.

Germina quattuor in fundo calicis: stylus simplex: stigmata duo, ut in præcedente.

Semina quattuor, ovato-compressa, glabra.

Habitat in collibus prope Buñol, et iuxta oppidum Quesa. Florebat Iunio una cum *Carduo mariano*, *Achillea ageratum*, *Coniza saxatile* et sordida, *Lino monspeliense*, *Euphorbia spinosa*, *Malva althæoide*, *Convolvulo capitato*, &c.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla antice spectata. *c* Flos integer. *d* Labium inferius. *e* Germen. *f* Idem auctum. *g* Semina. *h* Alterum separatum. *B* Bractea.

*Obs.* Ludit hæc species in regno Valentino. Iuxta oppidum Quesa est valde tomentosa et candida, gaudens foliis integerrimis, inferne angustis, sensimque versus apicem latioribus; corolla nunc lutea, nunc dilute violacea. In collibus Orcellitanis et Buñol est minus tomentosa, foliisque interdum dentatis, superioribus linearibus; corollisque albicantibus. In omnibus labium superius erectum bifidum; inferioris lacinia media quadruplo latior: verticilli sexflori, aliquando distantes, sæpius adproximati: bracteæ cordatæ, dentatæ, subspinosæ: calix tomentosus, quinquedentatus, dentibus subspinosis, æqualibus.

### SIDERITIS ROMANA *Linnæi. Tab. 187.*

205 *SIDERITIS* herbacea, decumbens, ebracteata: calicibus spinosis, labio superiore ovato. *Linn. sp. pl. vol. 3. pag. 39. Lamarck flor. franc. pag. 377.*



Cunila calicum lacinia superiore latiori, ovata, trinervi. *Hort. clif.* 313.

Radix conica, brevis, fibrosa, ex qua caules prodeunt semipedales, basi depressi, postea erecti, tetragoni, valde villosi.

Folia ovata, inferne angustata, sessilia, dentata, nonnihil rugosa, et pilosa ut et tota planta.

Flores axillares, sessiles, verticillis sexfloris: bracteæ nullæ.

Calix striatus, parum ventricosus, apice quinquedentatus, lacinia superiore orbiculato-acuta, trinervi, cæteris latiore atque longiore.

Corolla alba, cuius tubus gracilis calice brevior: limbus bilabiatus, labio superiore integerrimo, recondito sub calicis lacinia maiore, hacque breviori; inferiore quadripartito, maiore, laciniis orbiculatis.

Stamina brevia: antheræ rufæ, ovatæ.

Germina quattuor in fundo calicis: stylus brevis: stigmata duo, quorum interius globosum.

Semina quattuor ovata.

Habitat passim in collibus regni Valentini Sætabis, Valldignæ, Buñol, Crevillente &c. Floret Maio et Iunio. ☉ Ibiq̄ue etiam Valantia muralis, hispida et cruciata, Thesium linophyllum, Galium saxatile, Briza maxima Linnæi, Campanula erinus et rotundifolia, Coriandrum testiculatum, Buplevrum semicompositum &c.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem aliter spectatus. *c* Corolla. *d* Eadem paulo aucta et fissa. *e* Germina, stylus, stigmata.

*Obs.* A reliquis speciebus distinguitur calicis labio superiore latiore, quod apposite notavit Linnæus: vidit hic corollæ labium superius emarginatum, quod integrum ego reperi in regno Valentino: in quo præter descriptas species, vulgatissimas vidi Sideritem hyssopifoliam, linearem D. de Lamarck, et scordioidem.

### ASTRAGALUS PENTAGLOTTIS Linnæi. Tab. 188.

206. *ASTRAGALUS cristatus*, caule diffuso: leguminibus capitatis, hirsutis, squamoso-stri-gosis, ovato-triquetris. *Gouan illust.* pag. 50.

*Astragalus caulescens*, procumbens: leguminibus capitatis, replicatis, compressis, conniven-tibus, cristatis; acumine reflexo. *Linn. sp. pl. vol. 3. p. 532.*

Caules diffusi, pedales, ramosi, pubescentes ut et tota planta.

Folia impari-pinnata, pinnulis fere 19, ovato-oblongis, emarginatis, subtus pubescentibus: stipulæ ovato-lanceolatæ.

Flores capitati, sustentati pedunculo communi axillari solitario, foliis nunc brevior, nunc longior: flos quilibet sessilis, bractea suffultus minima.

Calix nonnihil ventricosus; ore quinquedentato dentibus æqualibus.

Corolla dilute cærulea; cuius vexillum oblongum alis longius: eæ sunt lineares, apice ob-tusæ, basi lunatæ, unguibus capillaribus: carina integra brevior.

Stamina decem in vaginam connata: antheræ totidem crocæ.

Germen ovatum: stylus subulatus, adsurgens: stigma simplex.

Legumina subseptem, ovata, in acumen reflexum terminata, extus sulcata, et exasperata squamulis furfuraceis, pilisque albicantibus rigidis tecta. Loculamenta duo, monosperma.

Semina reniformia.

Habitat in gypsis Carceris saltus. ☉ Floret Iunio.

*Explic.* tab. *a* Flos integer squamula suffultus. *b* Calix auctus et expansus. *c* Petala. *d* Sta-minum vagina. *e* Germen. *f* Fructuum capitulum. *g* Legumen. *h* Idem apertum. *i* Semen.

*Obs.* Plures huius generis species in Hispania crescunt, quarum illas indigitare hic vo-lui quas aut vivas vidi aut desicatas possideo.

1. *Astragalus alopecuroides caulescens*, spicis cylindricis subsessilibus, calicibus legumini-busque lanatis. *Linn. sp. pl. loco cit. num. 1. Miller. Dict. tab. 58.* *Astragalus alpinus* procerior alopecuroides. *Robert. tab. 60.* Habitat in regno Aragoniæ, Mancha, et pro-pe Matritum.



2. *Astragalus austriacus caulescens*, erectus: caule pentagono glabro, racemis erectis: leguminibus utrimque acutis nudis; foliis sublinearibus. *Linn. n. 1. Jacq. aust. tab. 195. Crantz. aust. fasc. 5. tab. 2. fig. 1.* Habitat in Boeturia.
3. *Astragalus onobrychis erectus pubescens*: floribus spicatis, vexillis duplo longioribus: stipulis solitariis. *Linn. num. 8. Jacq. aust. tab. 38.* Frequens in regni Valentini collibus prope Xixonam, Tibi et alibi.  
*Obs.* Stipulae binæ ad singula folia a petiolo distinctæ, quæ vix coeunt antica basi. Floret Maio.
4. *Astragalus glycyphyllos*, prostratus: leguminibus subtriquetris, arcuatis; foliis ovalibus, pedunculo longioribus. *Linn. num. 14.* Habitat in Asturiæ nemoribus, et in Vistabella regni Valentini.
5. *Astragalus hamosus*, caulescens procumbens; leguminibus subulatis, recurvatis, glabris: foliolis subcordatis, subtus villosis. *Linn. num. 15. Astragalus monspelianus. Clus. hist. 2. pag. 234.* Vulgatissimus in siccis Hispaniæ. Floret Aprili.
6. *Astragalus boeticus*, caulescens, procumbens: spicis pedunculatis: leguminibus prismaticis, rectis, triquetris, apice uncinatis. *Linn. num. 17. Clus. ubi supra pag. 234.* Habitat in Boetica et Boeturia.
7. *Astragalus stella*, caulescens, diffusus, capitulis pedunculatis lateralibus: leguminibus rectis subulatis mucronatis. *Linn. num. 18.* Habitat prope oppidum Tobarra in Murcia regno. Floret Maio. Plukenetii figura 4 tabulæ 79 nauciducenda est, utpote quæ a natura recedit.
8. *Astragalus sesameus*, capitulis subsessilibus, lateralibus: leguminibus erectis, subulatis, acumine reflexis. *Linn. num. 19. Garidel. tab. 12* (adhuc perficienda). Habitat in collibus Sætabinis, Vallidignæ, Noveldæ, Buñol. Floret Maio.
9. *Astragalus pentaglottis*, supra descriptus. *Linn. num. 20.*
10. *Astragalus macrorhizus* num. 145 huius voluminis.
11. *Astragalus epiglottis*, caulescens procumbens: leguminibus capitatis, sessilibus, cernuis, cordatis, mucronatis, replicatis, nudis. *Linn. num. 21. Astragalus pumilus*, Siliqua epiglottidis forma. *Robert. tab. 62.* Habitat prope urbem Malacitanam.  
*Obs.* Robertiana tabula plantam sistit proculdubio cultam, ideoque iusto maiorem.
12. *Astragalus glaux*, caulescens diffusus: capitulis pedunculatis, imbricatis, ovatis: floribus erectis: leguminibus ovatis, callosis, inflatis. *Linn. num. 23. Clus. hist. 2. pag. 240. tab. 241.* Habitat prope oppidum Ibi in regno Valentino, et in collibus Aranjuez. Floret Aprili.  
*Obs.* Clussii tabula plantam sistit nondum perfectam. Capitula plura tractu temporis profert axillaria, pedunculata.
13. *Astragalus montanus*, subacaulis: scapis folio longioribus: floribus laxè spicatis erectis: leguminibus ovatis, acumine inflexo. *Linn. num. 30. Jacq. aust. tab. 167.* Habitat in Aragoniæ montibus Moncayo præsertim: floret Maio.
14. *Astragalus monspesulanus acaulis*: scapis declinatis longitudine foliorum: leguminibus subulatis, teretibus, subarcuatis, glabris. *Linn. num. 35.* Habitat in Moxente collibus. Floret Aprili.
15. *Astragalus incanus*, acaulis: scapis declinatis: foliolis tomentosis: leguminibus subulatis, subarcuatis incanis, apice incurvis. *Linn. num. 36.* Frequentissimus in siccis et montosis regni Valentini.
16. *Astragalus excapus*, acaulis: leguminibus lanatis: foliis villosis. *Linn. num. 40. Jacq. Icon. vol. 2. fasc. 1. D. Michaël Barnades reperit prope Tobarra.*  
*Obs.* Planta humilior et magis villosa quam Iacquiniana tabula: florum color magnitudo et situs idem: folia breviora: radix multo tenuior.
17. *Astragalus tragacantha*, caudice arborescente: petiolis spinescentibus. *Linn. num. 42. Garidel. tab. 104.* Habitat copiose in Idubeda monte regni Valentini, et in Provincia Mancha. Floret Maio.



18. *Astragalus saxatilis* subcaulis: scapis folio longioribus: pinnulis orbiculatis glaberrimis. Habitat in monte Cabez6 prope Xixonam. Floret Maio.

*Obs.* Accedit ad *Astragalum monspessulanum*: flores sunt lutei; pinnulae orbiculatae, numerosae, minimae: scapi semipedales et amplius: legumina erecta, teretia, conniventia in fasciculum acuminata, sesquipollicaria.

Duas ulterius ex Aragonia species certe novas possideo alteram floridam, fructiferam aliam, de quibus quando vivas offendam.

### CONVOLVULUS CAPITATUS. *Tab.* 189.

207. *CONVOLVULUS* foliis linearibus, argenteis, villosis-tomentosis: floribus capitatis: caule erecto.

*Convolvulus saxatilis*, erectus, villosus, perennis. *Barr. tab.* 470.

Radix lignosa perennis, ex qua caules assurgunt annui, semipedales, numerosi, erecti, superiore parte nudi, tecti villis numerosis, candidis, uti tota planta, quae argentea apparet.

Folia linearia, sparsa, obtusa, splendentia.

Flores capitati sessiles in caulis fastigio, cincti quasi involucro pentaphyllo, cuius foliola sunt lanceolato-acuta inaequalia.

Calix ex quinque foliolis lanceolato-acutis, valde villosis, ad cuius basim bracteolae duae subulatae.

Corolla alba, limbo obsolete quinquepartito, extus villosa lineis quinque.

Stamina ut in congeneribus, quinque alba: antherae sagittatae.

Germen globosum: stylus filiformis: stigmata duo elongata.

Capsula sphaerica, glabra, intra calicem, bilocularis. Semina nigra, globoso-triquetra, saepius quattuor.

Habitat in collibus regni Valentini, passimque in Moxente, Bocayrente, et Valldigna. Floret Aprili.

*Explic. tab.* a Flos integer. b Calix expansus cum germine. c Stamina. d Capsula. e Semina.

*Obs.* Affinis videtur haec planta *Convolvulo cneorum* Linnæi, a quo differt floribus capitatis sessilibus, et calicum laciniis apice subulatis. Calix in *Convolvulo cneorum* obtusus est, floresque umbellati et pedunculati.

### LASERPITIUM SCABRUM. *Tab.* 190.

208. *LASERPITIUM* foliis bipinnatis, scabris, glaucis: caule striato.

Caulis herbaceus, erectus, striatus, parce ramosus, bipedalis, glaucus ut et tota planta.

Folia radicalia quasi imbricata, pedalia; caulina breviora, omniaque bipinnata, quandoque tripinnata, pinnulis linearibus, acutis; petiolus teres, scaber, striatus, basi in bursam ampliatus.

Flores umbellati, regulares: umbella universalis radiorum subviginti; partialis brevior parifere radiorum numero. Involucra polyphylla, foliolis lanceolatis, acuminibus in setulam terminatis.

Calix proprius minimus, superus, denticulis quinque.

Corollae petala quinque, alba, integra, ovato-acuta, inflexa, pagina inferiore villosa, limboque violaceo.

Staminum filamenta quinque, setosa, corolla paulo longiora: antherae ovatae, sulcatae.

Germen inferum ovatum tomentosum: styli duo arcuati: stigmata obtusa.

Fructus oblongus alis octo membranaceis, longitudinalibus ornatus, bipartibilis.

Habitat in collibus prope Cati, copiose vero in viciniis Villafames. ☉ Floret Augusto: fructus perficit intra mensem. Vivunt ibi *Quercus coccifera* et *illex*, *Tilia europaea*, quae



frequentior adhuc est versus septentrionem regni: in viciniis vero Villafames Arbutus unedo et uva-ursi, Phillyrea angustifolia, Ononis fruticosa, Erica purpurascens, Daphne cneorum et thymelæa, Asparagus acutifolius et horridus, Inula montana, Andropogon hirtum et ischæmum, Momordica elaterium, Croton tinctorium, Xantium strumarium, Cytinus hypocistis, Clematis viticella.

*Explic.* tab. *a* Flosculus auctus. *b* Calix proprius. *c* Germen auctum. *d* Idem fecundatum. *e* Fructus. *f* Huius sectio. *g* Semen unicum. *F.* Foliorum inferiorum pinula magnitudine naturali.

GALIUM CAPILLARE. *Tab.* 191. *fig.* 1.

209 GALIUM caule tenui tetragono: foliis octonis: fructu minimo tomento candido.

Caules herbacei, erecti, vix semipedales, tetragoni, dichotomi, subglabri.

Folia octo in unoquoque verticillo, fere capillaria, vix pubescentia.

Flores axillares, subramosi, pedunculis bifloris.

Calix superus, adeoque minimus, ut lente vitrea dumtaxat videri possit.

Corolla obscure rubens, monopetala, plana, quadrifida, lobis ovato-acutis.

Staminum filamenta quattuor brevia: antheræ simplices.

Germen didymum, ovatum, pilis innumeris albis barbatum: stylus semibifidus: stigmata globosa.

Baccæ duæ, siccæ, nigræ, reniformes, valde tomentosæ.

Habitat in monte S. Michaëlis iuxta Orcellitanam urbem, copiosius vero in colle vulgo

*Montaña Verda* prope oppidum Pego. ☉ Floret Maio, hicque etiam Teucrium botrys, Anagallis tenella, Cistus lævipes, Cactus opuntia, Lavandula multifida: ad radicem vero collis in humidis Ipomæa sagitata, Caucalis nodiflora, Nepeta tuberosa et cataria, Daucus bisnaga, Sium nodiflorum &c.

*Explic.* tab. *a* Corolla. *b* Flos integer valde auctus. *c* Fructus. *d* Bacca altera.

ULVA PAVONIA *Linnæi.* *Tab.* 191. *fig.* 2.

210. ULVA cucullata, decussatim striata.

Fucus maritimus gallopavonis pennas referens. *Ellis. cor. pag.* 103. *tab.* 33. *fig.* c.

Alga marina, gallopavonis plumas referens. *Bauh. prod.* 155. *Moris. hist.* 3. *pag.* 645. *f.* 15. *tab.* 8. *fig.* 7.

Fucus pavonius fronde sessili reniformi decussatim striata. *Gmel. fuc.* 169.

Ulva plana reniformis sessilis decussatim striata. *Lin. sp. pl. tomo 4 pag.* 582.

Huius plantæ membrana si extendatur est reniformis, inferne sensim angustior, pediculi instar, quo inhæret saxis, aquæ maris immersis: situ tamen naturali erecta limboque utrimque in cucullum involuto: altitudo vix sesquipollicaris, zonisque arcuatis parallelis distincta: quæ sibimet impositæ striis longitudinalibus, interruptis, in innumera quadrilatera secantur: sunt hæc quadrilatera interna superficie albicantia, ubi locantur semina minutissima orbiculata: superficies verò exterior variegata apparet coloribus rubro, albicante, et cæruleo.

Radix vix ulla, nisi minutæ fibræ, quas semper vidi Corallina officinali obductas, quæ copiose ibi crescit.

Habitat in saxis undatis inter Calpe et Hifac, observata mense Maio, ibique etiam Zostera oceanica, Ulva intestinalis, et Fucus abies marina *Gmelini tab.* 2 *f.* 2. Frequens etiam Tubularia acetabulum, cuius stipes teres albicans, et umbraculum dilute cæruleum, in cuius centro punctum existit elevatum a quo radii innumeri versus peripheriam excurrunt.

*Explic.* tab. Figura 2.<sup>a</sup> Ulvam sistit magnitudine et situ naturali, in cuius basi iacent Coral-



linæ officinalis fragmenta: *e* Quadrilateri partem valde auctam, in cuius cellulis semina nidulata sunt. Littera *T* repræsentatur Tubularia acetabulum magnitudine naturali, quam Tournefortius dedit in institutionibus tab. 338.

### ONONIS ORNITHOPODIOIDES *Linnaei. Tab. 192.*

211. ONONIS pedunculis bifloris aristatis; leguminibus linearibus cernuis. *Lin. sp. plant. tomo 3. pag. 430. Lamarck Dict. tomo 1. pag. 509.*

Foenum græcum siculum, siliquis ornithopodii. *Tournef. inst. 409.*

Radix teres, albicans, capillis stipata.

Caulis semipedalis, erectus, teres, villosus, nonnihil glutinosus, saturate viridis: rami alterni, fasciculati.

Folia alterna, ternata, dentata, ovata, medio maiore, quandoque orbiculato: stipulæ basi petioli adnatæ, bifidæ, semi amplexicaules.

Flores axillares, pedunculati; pedunculis erectis, petiolo brevioribus, setula terminatis, ubi flores prodeunt bini aut simplices.

Calix profunde partitus in quinque setulas villosas, corolla longiores.

Corolla dilute lutea: vexillum ovatum plicatum: alæ breves ovatæ; carina dipetala alis longior, vexillo paulo brevior.

Stamina omnia connexa: antheræ croceo-rubentes.

Germen lineare villosum: stylus arcuatus: stigma incrassatum.

Legumen oblongum, compressum, torulosum, cernuum. Semina ovato-compressa fere undecim.

Habitat in montibus Porta-Cæli quarto a Valentia lapide. ☉ Floret Maio, ibique Cistus umbellatus, populifolius, ericoides, tuberaria, albidus; Tragopogon picrioides; Andropogon distachium; Viburnum tinus; Centaurea crupina; Talictrum tuberosum; Astragalus sesameus et stella; Spartium scorpius &c.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Calix. *c* Lacinia aucta. *d* Petala. *e* Germen. *f* Staminum tubus expansus. *g* Germen auctum. *h* Legumen. *i* Semen.

### IRIS SISYRINCHIUM *Linnaei. Tab. 193.*

212. IRIS corollis imberbibus; foliis canaliculatis recurvis; bulbis geminis superimpositis.

*Lin. sp. plant. tomo 1. pag. 110 β. Lamarck Dict. tomo 3. pag. 305 β.*

Sisyrrinchium minus. *Clusius hist. 1. pag. 216.*

Radix bulbosa: bulbus albicans, alteri superimpositus sensim perituro, tectus tunica filamentosa intertexta, fusca, ex cuius base radiculæ excurrunt breves.

Ex bulbi apice cauliculus exurgit eo longior quo bulbus profundius in terra defixus: ubi superficiem terræ extimam attingit folia duo profert semipedalia, striata, subulato canaliculata, striata, recurva.

Ex foliorum centro quæ duo fere semper sunt, flores prodeunt in spicam digesti: spicæ sunt binæ, ternæ, quandoque solitariæ, in quibus spathæ reperiuntur imbricatæ flores distinguentes, non simul sed successive aperiendos. Spathæ sunt sesquipollicares, monophyllæ, striatæ, scariosæ, altero latere versus apicem fissæ, qua corolla prodit, capsulas demum foventes.

Corollæ petala sex, quorum tria interiora sunt erecta, cærulea, lineari-ovata, reliquis dimidio breviora: tria exteriora sunt oblongo-ovata, reflexa, dilute cærulea, imberbia: loco barbæ macula conspicitur variegata claviformis, cuius apex crassior et luteus, reliqua crocata ex punctulis minimis.

Staminum filamenta fusca: antheræ albido-luteæ, oblongæ, subulatæ, inter petala maiora et stigmata collocatæ.



Germen inferum oblongum, subtrigonum: stylus filiformis: stigmata petaloidea, erecta, bifida, cærulea.

Capsula trigona, oblonga, trilobularis, trivalvis, polysperma.

Habitat in siccis Algemesi, Corvera et alibi per tractum vulgo *Ribera*. Vulgatissima præsertim ubi canalis vere regius terram intrat, post quatercentos pedes iterum proditurus, ut rivuli Iuanes aluvionibus liberetur, qui supra canalem fluit. Floret Aprili. 2

*Explic.* tab. *a* Stamina et stigmata. *b* Stamen. *c* Petala exteriora. *d* Interius. *e* Capsularum spicula spathis orbata. *f* Capsula. *g* Huius sectio. *h* Semen. *i* Bulbi sectio.

### LIPPIA UMBELLATA. *Tab.* 194.

213. LIPPIA caule fruticoso, tetragono: foliis ovatis, serratis, rugosis: floribus umbellatis. Caulis fruticosus, quattuor pedes altus, cuius cortex cinereus et lignum albicans, medulla fungosa per centrum excurrente: rami oppositi, tetragoni, subvillosi.

Folia opposita, ovata, uninervia, nervo utrimque ramoso, serrata, rugosa, pagina superiore saturate viridia, inferiore albicantia, subtomentosa: petioli vix pollicares, teretes, connati.

Flores umbellati, umbellis pluribus axillaribus in ramorum summitatibus. Pedunculus communis sesquipollicaris: radii subquinque, in quorum basi foliola duo minima. In radiorum apice flores sedent in capitulum congesti, bractea suffulti floribus triplo maiore: hæc est cordata, inferne latior, apice in acumen carinata.

Calix globosus, tomentosus, monophyllus, semibifidus, laciniis hemisphæricis persistentibus. Corolla saturate lutea, vetustate albicans, bilabiata: tubus conicus longitudine calicis: faux pervia: limbus quadripartitus laciniis rotundatis, subæqualibus, revolutis.

Stamina capillaria, brevissima, quattuor, quorum duo paulo longiora: antheræ ovatæ, rubentes, Germen ovatum: stylus simplex: stigma globosum, tomentosum, non in styli apice emarginato, sed paulo infra locatum.

Fructus est capsula minima, glabra, calice tecta, bilocularis: loculamentis monospermis.

Semina ovata.

Habitat in Imperio Mexicano, unde biennio iam introducta in regium hortum Matritensem floruit et fructificavit ultimo Decembri. 2

*Explic.* tab. *a* Flos integer in fundo bractæ. *b* Calix multoties auctus. *c* Corolla. *d* Eadem expansa. *e* Germen, stylus, stigma. *f* Fructus. *g* Capsula aucta. *h* Huius sectio. *i* Eadem seminibus orbata.

*Obs.* Linnæus de Lippia disserens calicem dixit superum, quem Gærtner novissime inferum delineavit tabula 56 ubi Lippiæ americanæ fructum descripsit, qui plantæ nostræ fructui quadrat, seminibus exceptis quæ minime nuda sunt sed capsula biloculari contenta. Linnæus diversi generis plantas consociavit Lippiæ nomine, quas Gærtner reduxit ad Daleam et Lippiam; ex Lippia ovata illud, istud ex Americana. Huic ergo fructicem adiungo Phrymæ nomine in laudatum hortum introductum.

### RUBIA ACALICULATA. *Tab.* 195.

214. RUBIA caule hexagono: foliis verticillatis, nitidis, limborum aculeis reflexis.

Caules hexagoni initio herbacei, postea indurati et persistentes, ramosi, erecti, bipedales, glaberrimi ut et tota planta.

Folia verticillata; in robustioribus ramis et caule septena et novena, in alis terna, inæqualia, alternis brevioribus: omnia sunt ovato-acuta, nervo et limbo aculeata, aculeis brevibus, hamosis, reflexis.

Flores umbellati, umbellis axillaribus, sæpe ternis in unoquoque verticillo: pedunculus communis 3-4 linearis: radii plures, capillares, ad quorum basim foliola duo falcata.

Calix nullus.



Corolla supera, herbaceo-lutescens, monopetala, fere rotata, quinquepartita, laciniis acutis. Stamina filamenta quinque, divergentia, corollæ inserta, brevissima, cum illius laciniis alterna: antheræ reniformes, incumbentes.

Germen inferum, turbinatum, didymum, coronatum corpusculo annulari, per cuius centrum prodeunt styli duo, connati, terminati stigmatibus duobus globosis.

Fructus:::

Habitat in Madras. ♀ Appellatur vulgo *Tasaygo*. Floret hic in hibernaculis mense Decembri.

*Explic.* tab. *a* Flos integer auctus. *b* Germen auctum. *c* Caulis sectio.

## MILLA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix nullus.

Corolla monopetala, infundibuliformis: tubus oblongus, rectus: limbus patens, sexpartitus, laciniis ovatis, alternis angustioribus, appendiculo uncinato brevi notatis.

Filamenta vix ulla: antheræ sex, oblongæ, erecto-conniventes, subsessiles, laciniis oppositæ, tubo superne insertæ.

Germen superum, trigonum, tubo inclusum: stylus filiformis, exertus: stigmata tria, globulosa, pilis crassis tecta.

Capsula oblongo-triangularis, trilocularis, trivalvis, loculis polyspermis.

Semina ovato-acuta, in folliculi formam compressa.

*Obs.* Germen superum, tubus elongatus et rectus, antheræ subsessiles et conniventes, calicis atque nectarii defectus distinguunt hoc genus a *Pancratio*, *Amaryllide*, *Crino* et *Agapantho*.

## MILLA BIFLORA. Tab. 196.

215. *MILLA* radice tuberosa: scapo bifloro: foliis subulato-canaliculatis.

Radix tuberosa, pelliculis rufis tecta, e cuius basi tubera descendunt oblonga fasciculata, fibrillis stipata.

Folia radicalia, pedalia et amplius, subulata, interne nonnihil canaliculata, scapis sæpius longiora, glabra.

Scapi vix pedales, teretes, duriusculi, fere semper furcati et biflori: ad bifurcationem bracteolæ tres, breves, acutæ, marcescentes.

Florum pedunculi, magna parte corollæ tubo vestiti, sunt tripollicares, sensimque crassiores.

Corolla candida: tubus sensim amplior: faux pervia: limbus patentissimus: laciniæ inferne linea viridi notatæ. Peracta fecundatione marcescit corolla, erectis laciniis sibimet adpressis.

Germen viride: stylus sensim incrassatus: stigmatum pili numerosi breves albicantes.

Capsula oblongo-triangularis, apice acuta.

Semina numerosa, nigra, inæqualiter pressa.

Habitat in Imperio Mexicano. ♀ Vidi floridam et fructiferam mense Octobris in regio horto Matritensi.

*Explic.* tab. *a* Flos integer situ naturali. *b* Idem marcescens. *c* Idem expansus. *d* Capsula. *e* Huius sectio. *f* Semen.

(a) In honorem D. Iuliani Milla Regii horti matritensis primarii hortulani.



SALVIA CHAMÆDRYOIDES. *Tab.* 197.

216. SALVIA caule decumbente: foliis ovatis, crenatis, subtus tomentosus.

Caules tetragoni, brevissimo tomento albicantes, sesquipediales, decumbentes: rami oppositi. Folia opposita, breviter petiolata, ovata, rugosa, crenata, inferne tomento albicantia, breviter ut in Teucrio chamædryoide.

Flores verticillis sexfloris, adproximatis, ramulos terminantes. Stipulæ ovato-acutæ, deciduæ.

Calix oblongus, striatus, bilabiatus; labio superiore integro, ovato-mucronato: inferiore apice bifido.

Corolla saturate cærulea: tubus dilutior, sensim amplior, longitudine calicis: labium superius breve, integrum, fornicatum: inferius trifidum, laciniis lateralibus obtusis brevibus, media maxima rotundata emarginata.

Reliqua ut in congeneribus in hoc opere descriptis.

Habitat in imperio Mexicano. ♀ Vidi floridam et fructiferam mense Septembri cum præcedente.

*Explic.* tab. *a* Calix expansus. *b* Idem situ naturali. *c* Corolla. *d* Filamenta. *e* Semina.

TEUCRIUM VERTICILLATUM. *Tab.* 198.

217. TEUCRIUM foliis verticillatis, linearibus, limbo revolutis: caule erecto.

Radix lignosa ex qua caules prodeunt teretes, erecti, vix pedales, ramosi, tomento obducti brevissimo albo.

Folia sessilia, verticillata, verticillis adproximatis: in his folia sunt sæpe sex, frequentius quattuor, sublinearia, glauco-albida, limbo arcte contra nervum revolutis.

Flores capitati, capitulis terminalibus, basi foliolis.

Calix turbinatus, striatus, tomentosus, quinque-crenatus, crenula altera latiore.

Corolla lutescens cuius labium trilobum, lobo medio ovato, concavo, auriculis utrimque aucto: lateralibus brevioribus.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat iuxta Illicitanam lamam, sive aquarum collectionem arte peractam; copiose vero in Crevillente montibus præsertim prope Sanctum Caietanum. ♀ Vidi floridum mense Julio innumeris stipatum plantis quarum præcipua illa est quam vulgus *Cluigida* nominat Buplevrum scilicet in regio horto Parisiensi cultum *Gibraltarici* nomine, quod postea Iacquinus Buplevrum arboreum dixit volumine II collect. fasciculo 3. secundi iconum voluminis; ac tandem D. L'heritierius *coriaceum* appellavit tab. 67. fasciculi 6. Horum icones nitidæ et perfectæ sunt. In Valentino regno haud videtur fruticosa hæc planta quamquam quattuor et amplius pedes alta neque caulis ita crassus ut in Buplevro coriaceo. Folia citrum redolent.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Huius calix. *d* Folium expansum. *e* Idem situ naturali, limbo scilicet revolutis.

IUSTICIA COCCINEA. *Tab.* 199.

218. IUSTICIA foliis lineari-lanceolatis; floribus subsolitariis, sessilibus, tubuloso-quadridis.

Caulis fruticosus, teres, bipedalis, cuius rami virgati, adproximati, decumbentes, glaberrimi, uti tota planta.

Folia opposita, subsessilia, lineari lanceolata, uninervia.

Flores axillares fere semper solitarii: stipulæ aut bracteæ nullæ.



Calix oblongus, profundissime quinque-partitus, laciniis subulatis, erectis, persistentibus.  
Corolla coccinea, tubulosa, limbo quadrifido; laciniæ lineares, revolutæ, æquales, quarum una profundius fissa: tubus pollicaris, angustus, basi ventricosus.

Staminum filamenta duo, coccinea, inserta basi laciniæ, profundiori oppositæ: antheræ versatiles, sagittatæ.

Germen ovatum, in fundo calicis: stylus filiformis, staminibus paulo longior: stigma simplex.

Capsula basi angustata, bilocularis, bivalvis, dissepimento valvulis opposito, fenestrato: loculamenta disperma.

Semina reniformia, intus plana, extus parum convexa.

Habitat in nova Hispania. Vidi floridam et fructiferam in regio horto Matritensi mensibus Septembris et Octobris. 2

*Explic.* tab. *a* Calix expansus. *b* Corolla. *c* Germen. *d* Capsula decorticata ut semina conspiciantur quorum alterum alteri super impositum. *e* Semina duo. *f* Capsula dehiscentes in qua dissepimenti lunullæ observantur. *g* Quarta pars capsulæ cum dissepimenti parte ipsi respondente.

*Obs.* In Iusticiæ fructificatione quædam vidi notatu digna. Corolla primum in quibusdam speciebus quadrifida est et tubus oblongus calice multoties longior; in aliis bilabiata, labio superiore bifido inferiore trifido: calix deinde simplex, sæpius duplex: capsula demum nunc perfecte bilocularis, nunc imperfecte dumtaxat, quod a dissepimenti forma pendet. Hoc in pluribus speciebus fenestram relinquit inter loculamenta, quod in hac specie observatur, tum et in Iusticia sexangulari postea describenda in tertio volumine tabula 203.

## FRANSERIA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

♂ masculi flores compositi.

Calix communis monophyllus, planus, flosculorum longitudine.

Corolla composita, uniformis, tubulosa, æqualis, in hemisphærium digesta: partialis monopetala, infundibuliformis, erecta, quinquefida.

Stamina quinque minima: antheræ erectæ, parallelæ, sulcatæ.

Germen effatum: stylus filiformis: stigma peltatum.

♀ Feminei flores infra masculos in eadem planta.

Calix: involucrium uniflorum, polyphyllum, foliolis ovatis.

Corolla nulla.

Germen superum, ovatum, muricatum: styli quattuor: stigmata octo.

Fructus: drupa sicca, setis rigidis uncinatis tecta, quadrilocularis; loculis monospermis.

Semina oblonga.

*Obs.* Genus medium inter Ambrosiam et Xanthium. Linnæi filius in supplemento ad Xanthium, D. Lamarck in dictionario ad Ambrosiam retulit hanc plantam cuius fructum neuter viderat.

(a) In honorem D. Antonii Franseri medicinæ doctoris, qui Valentia natus Matrili summa laude artem exercet. Cl. Andreæ Piquerii doctrina atque maxima familiaritate usus, scientiam, quam ab hoc limpido fonte ausit, varia postmodum lectione,

assidua meditatione, atque felici praxi mirum in modum auxit. Huic ergo, quo ab incunabilis familiarissime utor, cuiusque amor in me quadraginta annorum spatio immutatus permansit, plantam dico in perpetuum gratitudinis atque amicitia monumentum.



FRANSERIA AMBROSIOIDES. *Tab.* 200.

219. FRANSERIA foliis oblongis, acuminatis, sinuatis, scabris, subglutinosi: caule erecto frutescente.

Xanthium fruticosum foliis pinnatifidis; laciniis incis; caule fruticoso. *Lin. sup. pag. 418.*

Ambrosie arborescente. *Lamarck. Dict. encyclop. tomo 1. pag. 128.*

Caulis teres, obscurus, scaber, quattuor et amplius pedes altus, parce ramosus, sensim induratus.

Folia alterna, scabra, subglutinosa, oblonga, acumine producto et acuto, inæqualiter serrata: inferiora sinuata et subpinnatifida; superiora, floralia præsertim indivisa: petioli pollicares, teretes, pinnulis duabus ovatis.

Flores spicati, terminales. Masculorum spica supereminet, semipedem longa: feminarum spicæ breviores axillares.

Masculorum calix communis monophyllus, planus, inferne sulcatus et scaber, sulcis duodecim a pedunculi centro ortis, totidemque dentibus incurvis terminatis.

Flosculorum corolla propria albido-lutescens, pediculata, glutinosa, bracteolacapillari brevi suffulta.

Antheræ luteæ, corolla longiores.

Germen ovatum: stigmatis limbus fimbriatus.

Feminæ calix constat ex duobus, tribus, aut quattuor foliolis ovatis integerrimis.

Germen ovato-acuminatum, setis uncinatis hispidum: styli quattuor in germinis summitate, ad quorum basim totidem existunt squamulæ lanceolato-lineares: stigmata pro singulis stylis duo, oblonga, linearia, divaricata.

Drupa vix pisi magnitudine, ovata, apice acuta, aculeis undique uncinatis tecta, quadrilobularis.

Semina fusca oblonga.

Habitat in Mexicano imperio unde in regium hortum Matritensem introducta. *h* Floruit mense Ianuario; fructus perfecit in horto pharmaceutico.

*Explic.* tab. *a* Flos compositus masculini sexus postice spectatus. *b* Idem antica facie. *c* Flosculi corolla aucta. *d* Flosculus integer. *e* Filamenta. *f* Germen. *g* Flos feminus. *h* Idem auctus, calice orbatus. *i* Germen, styli, stigmata aucta. *k* Fructus. *l* Idem denudatum aculeis. *m* Huius sectio. *n* Semen.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.



PLANTARUM  
 QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR  
 TABULA SYSTEMATICA.

CLASSIS 1. *MONANDRIA.*

BOERHAAVIA plumbaginea . . . . . Numero 121. . . . . Tabula. 112.

CLASSIS 2. *DIANDRIA.*

IUSTICIA coccinea. . . . . n. 218. . . . . Tab. 199.  
 SALVIA involucrata. . . . . n. 114. . . . . Tab. 105.  
     purpurea. . . . . n. 182. . . . . Tab. 166.  
     chamædryoides. . . . . n. 216. . . . . Tab. 198.  
 OPHRYS lutea. . . . . n. 177. . . . . Tab. 161.  
     scolopax. . . . . n. 178. . . . . Tab. 162.

CLASSIS 3. *TRIANDRIA.*

*Monogynia.*

IRIS sisyrinchium. . . . . n. 212. . . . . Tab. 193.  
 LOËFLINGIA pentandra. . . . . n. 162. . . . . Tab. 148. fig. 2.

*Digynia.*

PANICUM repens. . . . . n. 119. . . . . Tab. 110.  
 AGROSTIS pungens. . . . . n. 120. . . . . Tab. 111.  
 POA maritima. . . . . n. 138. . . . . Tab. 126.  
 MELICA nutans. . . . . n. 192. . . . . Tab. 175. fig. 2.

*Trigynia.*

POLYCARPON diphyllum. . . . . n. 165. . . . . Tab. 151. fig. 1.

\* *Boerhaavia plumbaginea.*

CLASSIS 4. *TETRANDRIA.*

SCABIOSA tomentosa. . . . . n. 201. . . . . Tab. 183.  
     saxatilis. . . . . n. 202. . . . . Tab. 184.  
 GALIUM capillare. . . . . n. 209. . . . . Tab. 191. fig. 2.  
 RUBIA acalculata. . . . . n. 214. . . . . Tab. 195.  
 PLANTAGO albicans. . . . . n. 136. . . . . Tab. 124.  
     amplexicaulis. . . . . n. 137. . . . . Tab. 125.

\* *Rhamnus pumilus, et lyciodes.*

CLASSIS 5. *PENTANDRIA.*

*Monogynia.*

ANAGALLIS tenella. . . . . n. 135. . . . . Tab. 123. fig. 2.  
 CONVULVULUS pentapetaloides. . . . . n. 134. . . . . Tab. 123. fig. 1.  
     valentinus. . . . . n. 198. . . . . Tab. 180. fig. 2.  
     capitatus. . . . . n. 207. . . . . Tab. 189.  
 IPOMÆA sagittata. . . . . n. 116. . . . . Tab. 107.



PHYSALIS suberosa.....	n. 111.....	Tab. 102.
somnifera.....	n. 112.....	Tab. 103.
RHAMNUS pumilus.....	n. 199.....	Tab. 181.
lycioides.....	n. 200.....	Tab. 182.
CERATONIA siliqua.....	n. 122.....	Tab. 113.
FRANSERIA ambrosioides.....	n. 219.....	Tab. 200.

*Digynia.*

HERNIARIA polygonoides.....	n. 143.....	Tab. 131.
BUPLEVRUM frutescens.....	n. 115.....	Tab. 106.
ECHINOPHORA spinosa.....	n. 139.....	Tab. 127.
CAUCALIS maritima.....	n. 110.....	Tab. 101.
LASERPITIUM scabrum.....	n. 208.....	Tab. 190.

*Trigynia.*

RHUS lucidum.....	n. 144.....	Tab. 132.
-------------------	-------------	-----------

*Pentagynia.*

STATICE alliacea.....	n. 118.....	Tab. 109.
LINUM suffruticosum.....	n. 117.....	Tab. 108.

\* *Loëflingia pentandra.*

CLASSIS 6. *HEXANDRIA.*

*Monogynia.*

ASPARAGUS horridus.....	n. 148.....	Tab. 136.
MILLA biflora.....	n. 215.....	Tab. 196.

\* *Phœnix excelsior.*

CLASSIS 9. *ENNEANDRIA.*

QUERCUS valentina.....	n. 141.....	Tab. 129.
------------------------	-------------	-----------

CLASSIS 10. *DECANDRIA.*

*Digynia.*

CYNANCHUM nigrum.....	n. 175.....	Tab. 159.
ASCLEPIAS foetida.....	n. 174.....	Tab. 158.
SAPONARIA ocymoides.....	n. 146.....	Tab. 134.

*Pentagynia.*

COTYLEDON coccinea.....	n. 186.....	Tab. 170.
-------------------------	-------------	-----------

CLASSIS 13. *POLYANDRIA.*

*Monogynia.*

CISTUS salvifolius.....	n. 149.....	Tab. 137.
halimifolius.....	n. 150.....	Tab. 138.
squamatus.....	n. 151.....	Tab. 139.
racemosus.....	n. 152.....	Tab. 140.
cinereus.....	n. 153.....	Tab. 141.
numularius.....	n. 154.....	Tab. 142.



marifolius. . . . .	n. 155. . . . .	Tab. 143.
salicifolius. . . . .	n. 156. . . . .	Tab. 144.
lævis. . . . .	n. 157. . . . .	Tab. 145. fig. 1.
glutinosus. . . . .	n. 158. . . . .	Tab. 145. fig. 2.
hirtus. . . . .	n. 159. . . . .	Tab. 146.
violaceus. . . . .	n. 160. . . . .	Tab. 147.
ericoides. . . . .	n. 188. . . . .	Tab. 172.
lævipes. . . . .	n. 189. . . . .	Tab. 173.
crispus. . . . .	n. 190. . . . .	Tab. 174.
serratus. . . . .	n. 191. . . . .	Tab. 175. fig. 1.

CLASSIS 14. DIDYNAMIA.

*Gymnospermia.*

TEUCRIUM aureum. . . . .	n. 127. . . . .	Tab. 117.
libanitis. . . . .	n. 128. . . . .	Tab. 118.
capitatum. . . . .	n. 129. . . . .	Tab. 119.
iva. . . . .	n. 130. . . . .	Tab. 120.
saxatile. . . . .	n. 131. . . . .	Tab. 121. fig. 1.
verticillatum. . . . .	n. 217. . . . .	Tab. 196.
SIDERITIS glauca. . . . .	n. 203. . . . .	Tab. 185.
incana. . . . .	n. 204. . . . .	Tab. 186.
romana. . . . .	n. 205. . . . .	Tab. 187.

*Angiospermia.*

ANTIRRHINUM crassifolium. . . . .	n. 123. . . . .	Tab. 114.
triphillum. . . . .	n. 196. . . . .	Tab. 179.
tenellum. . . . .	n. 197. . . . .	Tab. 180. fig. 1.
LIPPIA umbellata. . . . .	n. 213. . . . .	Tab. 194.
USTERIA scandens. . . . .	n. 126. . . . .	Tab. 116.

CLASSIS 15. TETRADYNAMIA.

*Siliculose.*

LEPIDIUM graminifolium. . . . .	n. 166. . . . .	Tab. 151. fig. 2.
BISCUTELLA montana. . . . .	n. 194. . . . .	Tab. 177.

CLASSIS 16. MONADELPHIA.

*Triandria.*

SISYRINCHIUM spicatum. . . . .	n. 113. . . . .	Tab. 104.
--------------------------------	-----------------	-----------

*Hexandria.*

PHŒNIX humilis. . . . .	n. 124. . . . .	Tab. 115.
excelsior. . . . .	n. 125. . . . .	

*Icosandria.*

CYTINUS hypocistis. . . . .	n. 187. . . . .	Tab. 171.
-----------------------------	-----------------	-----------

*Polyandria.*

HIBISCUS spiralis. . . . .	n. 178. . . . .	Tab. 162.
MALVA althæoides. . . . .	n. 147. . . . .	Tab. 135.



CLASSIS 17. *DIADELPHIA.*

*Decandria.*

SPARTIUM patens. . . . .	n. 193. . . . .	Tab. 176.
ONONIS tridentata. . . . .	n. 167. . . . .	Tab. 152.
barbata. . . . .	n. 168. . . . .	Tab. 153.
parviflora. . . . .	n. 169. . . . .	Tab. 154. fig. 1.
capitata. . . . .	n. 170. . . . .	Tab. 154. fig. 2.
ornithopodioides. . . . .	n. 211. . . . .	Tab. 192.
ANTHYLLIS onobrychioides. . . . .	n. 164. . . . .	Tab. 150.
CORONILLA squamata. . . . .	n. 171. . . . .	Tab. 155.
LOTUS creticus. . . . .	n. 172. . . . .	Tab. 156.
edulis. . . . .	n. 173. . . . .	Tab. 157.
ornithopodioides. . . . .	n. 179. . . . .	Tab. 163.
pedunculatus. . . . .	n. 180. . . . .	Tab. 164.
MEDICAGO marina. . . . .	n. 142. . . . .	Tab. 130.
ASTRAGALUS macrorhizus. . . . .	n. 145. . . . .	Tab. 133.
pentaglottis. . . . .	n. 206. . . . .	Tab. 188.

CLASSIS 18. *POLYADELPHIA.*

*Polyandria.*

HYPERICUM ericoides. . . . .	n. 133. . . . .	Tab. 122.
------------------------------	-----------------	-----------

CLASSIS 19. *STNGENESIA.*

*Polygamia æqualis.*

SCORZONERA pumila. . . . .	n. 132. . . . .	Tab. 121. fig. 2.
LEONTODON hispidum. . . . .	n. 163. . . . .	Tab. 149.
CARDUS leucanthos. . . . .	n. 181. . . . .	Tab. 165.
CARTHAMUS tingitanus. . . . .	n. 140. . . . .	Tab. 128.

*Polygamia superflua.*

ASTER glutinosus. . . . .	n. 184. . . . .	Tab. 168.
TAGETES tenuifolia. . . . .	n. 185. . . . .	Tab. 169.
BUPHTHALMUM scabrum. . . . .	n. 183. . . . .	Tab. 167.
XIMENESIA encelioides. . . . .	n. 195. . . . .	Tab. 178.

*Monogamia.*

JACIONE foliosa. . . . .	n. 161. . . . .	Tab. 148. fig. 1.
--------------------------	-----------------	-------------------

CLASSIS 20. *CRYPTOGAMIA.*

*Algæ.*

ULVA pavonia. . . . .	n. 210. . . . .	Tab. 191. fig. 2.
-----------------------	-----------------	-------------------







# DESCRIPTIONES PLANTARUM.

## PSORALEA NUTANS. *Tab. 201.*

220. PSORALEA caule erecto: foliis impari-pinnatis: floribus nutantibus.

Caulis erectus, tripedalis, virgatus, versus apicem ramosus, glaber; cortex ex viridi et rubro variegatus.

Folia alterna, impari-pinnata; pinnulae 7-41, ovato-oblongae, quarum discus veluti crenulatus ex punctis fuscis, quae nudum oculum fugiunt. Stipulae subulatae, petiolo adhaerentes non cauli.

Flores racemosi, nutantes, dilute violacei.

Calix campanulatus, nonnihil compressus, punctis rubris variegatus; ore quinquedentato, lacinia inferiore longiore.

Corolla pentapetala. Vexillum breve concavum, adsurgens, albicans, venis rubris ornatum, cuius unguis teres, arcuatus, violaceus, basi germinis adfixus: alae et carina ovatae, basi lunatae, non fundo calicis sed staminum tubo insertae unguiculis brevibus: carina est longior alis; utraque tamen venulis albis notatae.

Stamina monadelphica: tubi apex in decem lacinias capillares partitus: antherae decem, ovatae, fuscae.

Germen ovatum, subcompressum, utrimque acutum, minimum: stylus filiformis, adsurgens: stigma obtusum.

Legumen minimum, ovato-reniforme, monospermum.

Habitat in Nova-Hispania.  $\mathcal{N}$  Florebat in Regio horto Matritense mense Decembri 1793.

*Explic.* tab. *a* Flos integer auctus. *b* Idem calice orbatus, ut petalorum insertio pateat.

*c* Calix. *d* Idem auctus. *e* Petala magnitudine naturali. *f* Genitalia. *g* Germen. *h* Stamina aucta. *F* Folium auctum.

*Obs.* D. de Iussieu stamina posuit diadelphia in hoc genere, et stipulas a petiolo distinctas; quod numquam observatur in Psoraleis huius operis.

## ASPHODELUS FISTULOSUS *Linnæi. Tab. 202.*

221. ASPHODELUS caule nudo: foliis strictis, subulatis, striatis, subfistulosis. *Linn. sp. plant. tomo 2. pag. 61. Lamarck Dict. encycl. tomo 1. pag. 301.*

*Asphodelus minor. Clus. hist. 1. pag. 197.*

Caulis sesquipedalis, nudus, teres, glaber, glaucus, versus apicem ramosus; ad ramorum basim squamula diaphana subulata, marcescens.

Folia radicalia, caule duplo breviora, subulata, intus plana, extus terretia: quae minime sunt fistulosa, utpote materia albida farcta.

Flores spicati, spicis terminalibus: unusquisque proprio gaudet pedunculo brevi, ad squamulam axillari, lanceolatam marcescentem.

Calix nullus.

Corollae petala sex, ovata, alterna angustiora, alba, linea fere rubra longitudinaliter excurrente.

Staminum filamenta sex, inverse subulata, arcuata, alterna breviora, basique in foveam aucta; foveae istae, aut si mavis squamulae germen tegunt: antherae subsagittatae.

Germen superum, globosum, lineis tribus, non sulcis notatum: stylus filiformis: stigmata tria, revoluta, subulata.

Capsula globosa, trilocularis, trivalvis: loculis polyspermis.



Habitat copiose ad vias et in aridis regni Valentini. ♀ Floret a Martio usque ad Augustum.  
*Explic.* tab. *a* Petalum exterius. *b* Interius. *c* Germen, stylus, stigmata. *d* Stamina squa-  
 mulis concavis incumbentia. *e* Stamen auctum. *f* Fructus sectio.  
*Obs.* Vulgo Porrima nominatur.

### IUSTICIA SEXANGULARIS. *Tab.* 203.

222. IUSTICIA caule sexangulari: foliis ovato-acutis: calicum exteriore maiore, diphylo.  
 Caulis erectus, bipedalis, articulatus, glaber, sexangularis, ramis oppositis.  
 Folia opposita, ovato-acuta, integerrima, dependentia, reflexa: petioli breves.  
 Flores subverticillati, axillares, subseni; quorum alter pedunculatus, reliquis sessilibus.  
 Calix duplex: interior brevissimus ex squamulis sex acutis conniventibus; exterior multoties  
 maior, diphyllus, foliolis oppositis, ovatis, emarginatis, persistentibus.  
 Corolla dilute violacea, monopetala: tubus cylindricus calicis longitudine: limbus bilabiatus,  
 cuius labium superius ovatum, revolutum, apice tricrenatum, basi notatum macula albi-  
 cante, punctis variegata saturate violaceis; labium inferius orbiculatum, et latius.  
 Stamina filamenta duo, labiorum divisioni inserta: antheræ duæ in singulo filamentum, ad-  
 proximatae, ovatae.  
 Germen ovatum: stylus simplex, albicans: stigma incrassatum.  
 Capsula ovata, nonnihil compressa, bivalvis, dissepimento valvulis opposito, fenestrato; bi-  
 locularis, loculis dispermis. Semina orbiculata, compressa, scabra.  
 Habitat in Nova-Hispania. ♀ Florebat in regio horto Matritense mense Septembri.  
*Explic.* tab. *a* Calix interior valde auctus. *b* Exterior. *c* Corolla. *d* Capsula. *e* Eadem  
 dehiscens. *f* Dissepimentum.

### CYPERUS IUNCIFORMIS. *Tab.* 204. *fig.* 1.

223. CYPERUS culmo mucronato: spiculis lateralibus, nigris, sessilibus, absque involucri.  
 Radices filiformes, ex quibus culmi adsurgunt fere pedales, teretes, iunciformes, inferne  
 vaginati.  
 Folia nulla, nisi vaginas dicas.  
 Flores spicati, spicis duabus, tribus, quandoque solitariis ex eodem puncto versus culmi  
 apicem.  
 Calix: squamæ nigrae, ovatae, carinatae, distiche imbricatae flores distinguentes.  
 Corolla nulla.  
 Stamina filamenta tria: antheræ totidem oblongae.  
 Germen minimum: stylus filiformis; stigma bifidum.  
 Semina solitaria, subtriquetra, acuminata.  
 Habitat in humidis iuxta oppida Noveldæ et la Llosa de la Plana. Floret Iunio una cum  
 Potamogeto natante, Sio nodifloro: crescebant in vicinis siccis Polycnemum arvense, Che-  
 nopodium ambrosioides, Erigeron viscosum, Andrachne telephioides &c.  
*Explic.* tab. *a* Flos auctus. *b* Spicula aucta.  
*Obs.* Color spicularum niger et involucri defectus characterem constituunt.

### NARDUS STRICTA *Linnæi.* *Tab.* 204. *fig.* 2.

224. NARDUS spica setacea, recta, secunda. *Linn. sp. pl. tomo 1. pag. 144. Scopoli flora  
 carniola pag. 49. Scheuz. pag. 90. tab. 2. fig. 10.*  
 An gramen iunceum mollius, festuca panicula, radice ruffa? *Barrer. tab. 100.*



Radices filiformes, breves, ex quibus culmi prodeunt, quattuor pollices alti, erecti, spica sesquipollicari terminati.

Folia numerosa, setacea, glauca, culmo breviora.

Flores spicati, secundi.

Calix nullus.

Corolla coeruleo-nigricans, bivalvis; valvula exteriore longiore, breviter aristata; interiore lineari, obtusa.

Staminum filamenta tria, corolla breviora: antheræ oblongæ.

Germen oblongum: stylus filiformis, pubescens, corolla longior: stigma simplex.

Semen oblongum.

Habitat in altissimo monte vulgo Peñaglosa. ♀ Floret Iunio, ibique eodem tempore flore-  
bant Tulipa sylvestris, Scrophularia lucida, Anemone hepatica flore albo et coeruleo, Gen-  
tiana cruciata, Globularia cordifolia, et vulgaris, Valeriana dioica &c.

*Explic.* tab. *e* Flos expansus. *C* Idem auctus. *d* Semen.

### AGERATUM LINEARE. Tab. 205.

225. AGERATUM caule fruticoso: foliis linearibus: corollis quinquefidis.

Caulis fruticosus, teres, glaucus ut et tota planta, bipedalis, ramosus.

Folia linearia, sparsa, adproximata, nunc solitaria, nunc opposita præsertim inferiora: pe-  
toli breves.

Flores corymbosi, pedunculis basi squamatis.

Calix communis oblongus, constans decem squamulis linearibus carinatis.

Corolla uniformis, composita ex decem fere flosculis tubulosis, hermaphroditis, æqualibus.

Corollulæ roseo-albæ, limbo patulo, quinquefido.

Staminum filamenta quinque, capillaria alba: anthera cylindræa purpurascens.

Germen oblongum, villosum: stylus filiformis: stigmata duo revoluta.

Semina solitaria, oblonga, subpilosa.

Papus: aristæ quinque, lanceolatæ, acutæ, albicantes. Receptaculum nudum.

Habitat in Nova-Hispania. ♀ Florebat in regio horto Matritense ab Augusto usque ad  
Novembrem.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Flosculus. *c* Semen. *d* Idem maturum quando papus ex-  
panditur.

### GALIUM FRUTICESCENS. Tab. 206. fig. 2.

226. GALIUM caule frutescente: foliis linearibus, senis: pedunculis bifloris.

Caulis suffruticosus, ramosus, erectus, ramis tetragonis, glabris, ut et tota planta.

Folia sena, linearia, apice mucronata, limbo subrevoluto.

Flores racemosi, pedunculis fere semper bifloris.

Calix vix conspicuus, denticuli nempe quattuor.

Corolla albicans, quadrifida, laciniis brevibus acutis.

Filamenta quattuor, corolla breviora: antheræ nigricantes.

Germen inferum, didymum: stylus semibifidus: stigmata globosa.

Baccæ duæ ovatæ, basi coalitæ, quarum superficies alveolaris nigra.

Habitat copiose in montibus Valdignæ, Engueræ, et prope Monasterium de la Murta. ♀  
Floret Iunio.

*Explic.* tab. *e* Flos. *f* Germen. *g* Idem valde auctum coronatum calice. *h* Baccæ auctæ.

*Obs.* A Thunbergio exemplar accepi in promontorio Bonæ-Spei lectum, quod a Valenti-  
na planta nullatenus differt.



ALLIUM CAPILLARE. *Tab. 206. fig. 1.*

227. ALLIUM foliis radicalibus, capillaribus, scapo brevioribus.

Bulbus ovatus, tunicatus, tunicis intertextis, filamentosis, rufis: radices capillares e bulbi base.

Scapus gracilis, teres, erectus, nudus, pedalis, foliis longior.

Folia capillaria, sex fere, basi imbricata, et amplexicaulia.

Flores umbellati, radiis 6-9, semipollicaribus. Horum basim ornat spatha brevis in cucullum acutum involuta, postea corrugata et fissa radiorum expansione.

Corollæ petala sex, oblonga, purpurascens.

Stamina subulata, petalis breviora: antheræ fuscæ, ovatæ, basi subemarginatæ.

Germen superum, globosum: stylus simplex, staminibus brevior: stigma acutum.

Capsula globosa, trisulcata, trilocularis, trivalvis. Semina nigra, ovata, duo sæpius in quolibet loculamento.

Habitat copiose prope oppidum Torrente duabus leucis a Valentia seiunctum. ♀ Floret Iulio.

*Explic.* tab. *a* Genitalia. *b* Stamen auctum. *c* Capsula. *d* Semen.

*Obs.* Parum differt hæc planta ab Allio lusitanico D. de Lamarck *Dict. encycl. tomo 1. pag. 70*; quod ad Tournefortii Allium reduxit, *Cepam scilicet lusitanicam, foliis capillareis, minimam, purpurascens flore.* Nostra hæc planta neque minima est, neque staminibus gaudet corolla longioribus. Si eadem cum Allio lusitanico fuerit, rectius *capillare* nominabitur, quia folia sunt vere capillaria.

ALLIUM CHAMÆ-MOLY *Linnaei. Tab. 207. fig. 1.*

228. ALLIUM scapo nudo, subnullo: capsulis cernuis: foliis planis, ciliatis. *Linn. sp. plant. tom. 2. pag. 42. ubi videndi auctores. Lamarck Dict. encycl. tomo 1. pag. 71.*

Radices capillares: scapus brevissimus, teres, albicans, vix extra terram prodiens.

Folia radicalia, imbricata, plana, duos tresve pollices longa, sesquilineam lata, acuta, ciliata.

Flores umbellati cernui: radii subseptem, ad quorum basim spata scariosa, oblonga, albicans.

Corolla alba, maior quam in præcedenti, petalis ovato-oblongis.

Staminum filamenta subulata, inferne latiora et plana, corollaque dimidio breviora: antheræ ovatæ.

Germen superum, globosum: stylus simplex: stigma acutum.

Capsula globosa.

Habitat in agris prope Hispalim. Floret mense Decembri.

*Explic.* tab. *a* Genitalia. *b* Stamen actum.

PANCRATIUM HUMILE. *Tab. 207. fig. 2.*

229. PANCRATIUM spatha subbiflora: foliis subulatis, tenuissimis, intus planis.

Bulbus ovatus tunicatus, tunicis fuscis; basi radicans radice in coronæ formam dispositis.

Scapus filiformis tenuissimus, tripollicaris.

Folia bina subulata, tenuia, intus plana, scapo longiora.

Flores bini pedunculis inæqualibus, capillaribus ex spatha prodeuntibus oblonga, cucullata, acuta, marcescenti.

Corolla supera, lutea, monopetala, profundissime partita in sex lacinias ovato-oblongas, apice obtuso nonnihil revoluto. In huius centro existit corpusculum luteum, brevissimum, infundibuliforme, ore 12-fido, quod sex stamina sustentat.



Horum filamenta sunt capillaria, longitudine fere corollæ: antheræ oblongæ, incumbentes, basi emarginatæ.

Germen inferum, turbinatum, obtuse trigonum: stylus filiformis, staminibus longior; stigma obtusum.

Fructus deerat.

Habitat in Hispalensi ditone: floret Octobri, tuncque foliis caret, quæ postea prodeunt. 2

*Explic.* tab. A Flos integer auctus et expansus.

*Obs.* Quamquam planta florens foliis careat, hæc adieci claritatis gratia.

### IPOMOEA TRICOLOR. Tab. 208.

230. IPOMOEÆ foliis cordatis, orbiculato-acuminatis: pedunculis multifloris: corollis tricoloribus.

Caulis teres, sulco unico longitudinali sæpius notatus, longissimus, ramosus, glaberrimus, uti tota planta.

Folia alterna, cordata, rotundata cum acumine, petiolis paulo longiora.

Flores axillares, subumbellati: pedunculus communis sesquipollicaris, caule crassior: radii subquattuor, obscure tetragoni, nigricantibus punctis; centralis uniflorus, laterales bi-triflori: in pedunculorum basi squamula existit brevis, adpressa.

Calix violaceo-niger, pentagonus, carnosus, laciniis carinatis.

Corolla campanulata, limbo crenulato, angulisque quinque acutis notata: tubus utrimque albicans; limbus coeruleus; angulorum latera maculata, maculis rubentibus hinc inde ad sinus usque productis.

Staminum filamenta quinque, subulata, inæqualia, barbata, erecta, imo tubo inserta: antheræ erectæ, albicantes, oblongæ, basi emarginatæ.

Germen ovatum, cinctum margine: stylus filiformis, staminibus paulo longior: stigma bilobum, alveolare, album.

Periit sine fructu. ☉ Ignoratur patria.

*Explic.* tab. a Stamina. b Germen, stylus, stigma. c Idem intra calicem.

### SIDERITIS SUBSPINOSA. Tab. 209.

231. SIDERITIS foliis lanceolatis, acutis, dentatis, dentibus subspinosis: bracteis orbiculato-acutis, dentato-spinosis.

Caulis fruticosus brevis: rami erecti, simplices, oppositi, obscure tetragoni, subvillosi præsertim teneri.

Folia opposita, sessilia, subconnata, lanceolata, trinervia, in spinulam terminata, dentibus utrimque tribus subspinosis.

Flores verticillati verticillis in spicam densam adproximatis, sexfloris: bracteæ orbiculato-acutæ concavæ, dentato-spinosæ.

Calix oblongus villosus, semiquinque-fidus, laciniis subspinosis.

Corolla lutea, calice paulo longior: labium superius erectum lineare emarginatum: inferius trilobum, lacinia media maiore orbiculata.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in montibus Ares, Forcall et Surita. 2 Floret Junio, ibique Berberis vulgaris, Veronica multifida, Asclepias nigra, Daphne thymelæa et tarton-raira, Lathyrus pratensis, Serapias latifolia et rubra, Cornus sanguinea, Cratægus aria, Illex aquifolium, Viburnum lantana, Sisymbrium monense &c.

*Explic.* tab. a Calix. b Corolla. c Eadem aucta et expansa. d Germen. e Bractea.



ENCELIA HALIMIFOLIA. *Tab. 210.*

232. ENCELIA caule fruticoso : foliis ovato-acutis , glabris : calicibus ciliatis.  
 Calix bipedalis , ramosus , ramis alternis , scabris.  
 Folia alterna , trinervia , ovato-acuta , glabra , nonnihil glauca , petiolis brevibus sustentata.  
 Flores corymbosi , pedunculis elongatis.  
 Calix communis hemisphæricus , imbricatus ; squamulis lanceolatis , ciliatis , apice revolutis.  
 Corolla dilute lutea : radii fere duodecim , ovato-oblongi , obscure tricrenati. Flosculi centrales inferne albido-rubentes , limbo fusco nigricante.  
 Reliqua ut in caractere generico. Consulatur pagina 44 primi voluminis.  
 Habitat in Nova-Hispania ☿ Florebat mense Septembri in Regio horto Matritense.  
*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Disci flosculus. *c* Idem auctus. *d* Palea. *e* Semen.

GENISTA HISPANICA *Linnæi. Tab. 211.*

233. GENISTA spinis decompositis : foliis pilosis , lanceolato-linearibus.  
 Genista spinis decompositis : ramis floriferis inermibus : foliis linearibus , pilosis. *Linn. sp. pl. tomo 3. pag. 408. Lamarck Dict. encycl. tomo 2. pag. 621.*  
 Genistella montis ventosi spinosa. *Bauh. hist. 2. pag. 400.*  
 Caulis fruticosus , brevis , vix erectus , ex quo rami adsurgunt semipedales , tenues , pilosi ; cortex ruffus ; in caule et in ramorum parte inferiori folia nulla , in quorum loco spinæ ramosæ , sparsæ , quæ , licet mitiores , reperiuntur in ramis.  
 Folia brevia , lanceolato-linearia , sparsa , pilosa , e quorum axillis spinæ prodeunt ramosæ.  
 Flores umbellati , terminales , radiis brevibus.  
 Calix bilabiatus , dentibus quinque , superioribus brevioribus.  
 Corolla lutea , papilionacea.  
 Stamina decem monadelphia.  
 Legumen ovato-compressum , monospermum. Semina reniformia.  
 Reliqua ut in congeneribus.  
 Habitat in montibus Cortes , Cati , Castellfort , Portacæli et Murta. ☿ Floret Maio. Vernacule nominatur *Cascaula*. Crescit copiose in tractu dicto *Bobalar de Cinc-torres* , ibique Coronilla iunca et emerus , Ononis rotundifolia , Talictrum tuberosum , Primula veris , Geum montanum , Cistus fumana , Geranium lucidum , sanguineum , robertianum et dissectum , Althæa hirsuta , Colutea arborescens , Anthyllis montana , Iasminum fruticosum , Teucrium botrys , Cerastium alpinum &c.  
*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Petala. *c* Germen. *d* Staminum tubus auctus et expansus. *e* Legumen. *f* Huius valvula cum semine. *g* Semen.

ASTER PINNATUS. *Tab. 212.*

234. ASTER foliis pinnatis : pinnulis sublinearibus , apice dentatis.  
 Caulis sulcatus , scabriusculus , pedalis , prostratus , ramosus , ramis floridis erectis.  
 Folia lucida , opposita et subconnata , pinnata cum impari , pinnulis sublinearibus , apice dentatis.  
 Flores terminales , solitarii ; pedunculi elongati , foliosi , prope florem incrassati.  
 Calix imbricatus duplici squamarum serie : istæ sunt ovato-oblongæ , scabriusculæ , numero radiorum pares : interiores erectæ , adpressæ ; exteriores nonnihil canaliculatæ apice reflexo.  
 Corolla saturate lutea , composita : radii octo , ovato-oblongi , apice tricrenati : disci flosculi tubulosi , limbo quinquefido.



- Staminum filamenta quinque, brevia, simplicia: anthera cylindræa, rubescens.  
 Germen oblongiusculum, basi angustius: stylus filiformis: stigmata revoluta.  
 Receptaculum nudum: papus pilosus, pilis subarticulatis, adeo ut subplumosus videatur.  
 Semina figura germinis, villis aliquot.  
 Habitat in Nova-Hispania prope oppidum Hapam. ♀ Floruit in Regio horto Matritensi  
 mense Octobri 1793.  
*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Flosculus disci. *c* Idem auctus. *d* Germen et papus, omnia  
 aucta. *e* Pilus auctus.  
*Obs.* Calix caliculatus et squarrosus, nec apice sphacelatus, tum staminum filamenta  
 simplicia non bifurca a Cineraria, Senecioide, Inula distingunt.

### ROTTBÖLLIA INCURVATA *Linnæi sup. Tab. 213.*

235. ROTTBÖLLIA spica tereti, subulata, incurva: gluma calicina subulata adpressa, bi-  
 partita. *Lin. suppl. pag. 114.*  
 Ægylops incurvata. *Lin. sp. pl. tomo 4. pag. 317.*  
 Agrostis incurvata. *Scop. flor. carn. pag. 62.*  
 Radices capillares, ex quibus culmi prodeunt prostrati, quattuor, sexve pollices longi, tere-  
 tes, inferne foliosi, deinde *terminati spica tereti, incurva, articulata.*  
 Folia vaginantia, acuta, glabra, post vaginam striata.  
 Flores spicati, alterni, sessiles in rachidis sinibus excavatis.  
 Calix: gluma univalvis, valvula cartilaginea, adpressa, bifida, uniflora.  
 Corolla bivalvis, scariosa, calice brevior, valvulis inæqualibus.  
 Staminum filamenta tria, brevia: antheræ oblongiusculæ.  
 Germen ovato-lineare: styli duo, filiformes, breves: stigmata plumosa.  
 Semen unicum, oblongum, compressum.  
 Habitat ad fluminis Turix ripas prope Valentix urbem. ☉ Floret Iunio, ibique Orobanche  
 ramosa, Iuncus buffonius, Rumex crispus, Panicum aristatum, distachyon &c.  
*Explic.* tab. *a* Rachis aucta. *b* Calix auctus. *c* Semen. *d* Flos.

### VERBESINA SERRATA. *Tab. 214.*

236. VERBESINA foliis ovato-lanceolatis, serratis, rugosis, inferne tomentosis: petiolis brevi-  
 bus subconnatis.  
 Caules tripedales, erecti, teretes, tomentosi, præsertim teneri.  
 Folia ovato-lanceolata, acuta, serrata, pagina inferiore tomentosa et albicantia, superiori vi-  
 ridia, rugosa; floralia solitaria, reliqua opposita: petioli breves, teretes, subconnati.  
 Flores corymbosi, corymbis densis.  
 Calix communis concavus, laciniis ovatis, erectis, æqualibus, villosis, duplici ordine.  
 Corolla composita lutea. Radii fere sex, feminei, ovati, breves, tridentati, quorum germen  
 breve, oblongiusculum, nonnihil compressum: stylus filiformis: stigmata revoluta. Flos-  
 culi hermaphroditi numerosi in disco, tubulosi, limbo quinquefido, pedicellati: anthera  
 rubescens: stigmata revoluta.  
 Receptaculum paleaceum, paleis acutis, carinatis, flosculos distinguentibus.  
 Papus bidentatus, dentibus setiformibus.  
 Semina ovata, basi acuta, compressa, superne lateribus membranacea, terminata duobus  
 dentibus subulatis.  
 Habitat in Nova-Hispania. ♀ Florebat in Regio horto Matritensi mense Octobri et No-  
 vembri.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *c* Radius. *d* Flosculus hermaphroditus. *e* Palea. *f* Semen.



CISTUS POPULIFOLIUS *Linnaei. Tab. 215.*

237. CISTUS caule fruticoso exstipulato: foliis cordatis, ovato-acutis: petiolis subconnatis: floribus sub-umbellatis.

Cistus arborescens exstipulatus; foliis cordatis, lævibus, acuminatis, petiolatis. *Lin. sp. pl. tomo 2. pag. 591.*

Ciste a feuilles de Peuplier. *Lamarck Dict. tomo 2. pag. 15.*

Ledum latifolium, secundum, maius. *Clus. hist. 1. pag. 78.*

Caulis tripedalis, teres, fruticosus, ramosus, cortice griseo-rubente tectus: rami teneri, petioli atque pedunculi villosi, villis senectute evanescentibus.

Folia maiora quam in reliquis speciebus, cordata, ovato-acuta, lævia quum perfecta sunt, opposita, sustentata petiolis brevioribus teretibus subconnatis.

Flores axillares et terminales, subumbellati: pedunculus communis sesquipollicaris, initio imbricatus squamulis lutescentibus ovatis, postea nudus: radii quattuor aut plures uniflori.

Calix ex quinque foliolis cordatis ovato-acutis dorso villosissimo, interioribus rubescentibus et paulo brevioribus.

Corolla magna albicans, petalis quinque orbiculatis, immaculatis.

Staminum filamenta numerosa, brevia, lutea: antheræ ovato-acutæ.

Germen globosum: stylus nullus: stigma globosum.

Capsula ovata, quinquelocularis, quinquevalvis, loculis polyspermis.

Semina fusca, fere decem in quolibet loculamento, globosa.

Habitat in montibus Ayodar, copiosius tamen in Portacæli monte *Maior* dicto.  $\bar{n}$  Floret Maio: ibique Vella annua, Tragopogon picrioides, Poa rigida, Aira cariophylea, Ruta linifolia, Coris monspeliensis, Viburnum tinus &c.

*Explic. tab. a* Calix expansus. *b* Germen stigmatate coronatum. *c* Capsula. *d* Huius sectio. *e* Semen. *f* Valvula.

*Obs.* Color albus desiccatione vertitur in luteum: quapropter herbariorum exemplaria luteos flores conservant, quod in aliis Cistis evenit.

CISTUS LINEARIS. *Tab. 216.*

238. CISTUS suffruticosus, stipulatus, subtomentosus: foliis linearibus: floribus racemosis.

Caulis lignosus brevis, cuius rami oppositi fere pedales, teretes, tomento brevi canis.

Folia opposita, linearia, limbo nonnihil revoluta, petiolis brevibus sustentata: stipulæ quatuor, lanceolatæ, acutæ.

Flores racemosi, racemis oblongis, terminalibus: flos quilibet pedunculatus et ad squamulam axillaris.

Calix striatus, violaceus, ex quinque foliolis, quorum duo exteriora breviora.

Corolla alba, petalis ovato-orbiculatis.

Stamina numerosa, corolla breviora: antheræ luteæ.

Germen ovatum: stylus staminibus longior: stigma capitatum.

Capsula trilocularis, trivalvis: semina parva.

Habitat copiose in Cortes de Arenoso, et Lucena.  $\bar{z}$  Floret Iunio: ibi Rosa spinosissima,

Cistus patens, Genista hispanica, Convolvulus capitatus: hic inter alia Cistus roseus.

*Explic. tab. a* Capitulum. *b* Calix expansus. *c* Germen. *d* Capsula. *e* Semen.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* A Cisto lævi et violaceo differt hæc planta: a lævi toto habitu, foliis petiolatis et longioribus, corolla lutea cet. a Violaceo ramis virgatis, foliis angustioribus et longioribus, aliisque pluribus momentis, quæ tabulæ sistunt, clarius vero plantæ vivæ et rami desiccati.

*2.<sup>a</sup>* Cistum roseum, qui frequens est prope oppidum Lucena ad viam qua tendimus in



*Castillo de Villamelefa*, sat bene pinxit Cl. Iacquinus in horti botanici vol. 3. tab. 65. Verumtamen notandum est speciem hanc stipulis gaudere lineari-acutis, quattuor in unaquaque foliorum oppositione: calices item sunt illi valde villosi, multoque maiores quam in depicta tabula: stylus denique staminibus longior et stigma capitatum.

PERIPLOCA PUNICÆFOLIA. *Tab. 217.*

239. PERIPLOCA caule fruticoso, lento: foliis lanceolatis.

Caulis teres, fruticosus, lentus, sexpedalis, ramis alternis.

Folia opposita, lanceolata, glabra, integerrima, petiolis brevibus sustentata.

Flores axillares, racemoso-corymbosi, pedunculo communi brevi, ramificato.

Calix viridis, globosus, quinquefidus.

Corolla monopetala, luteo-viridis, profunde quinquepartita, laciniis linearibus, patulo-reflexis, limbo revoluta, macula fulva oblonga superiore pagina notatis. Inter lacinias corpuscula existunt totidem, ipsis adnata, bifida, limbo convoluto, ex quorum crenulis eriguntur setæ solitariae, lutescentes, incurvatæ in semicirculum.

Genitalium structura hæc est. In fundo calicis locantur germina duo viridia, subcoalita, ovata, in stylos duos abeuntia breves teretes, tectos corpore operculi instar, in cuius superficie notantur punctula duo prominentia, quæ stigmata indicant. E fundo et iuxta germina lamellæ exsurgunt quinque, sensim latiores, virides, quorum apex villosus contra operculum inclinatur, et cum ipso corpus idem efformat. Relinquunt lamellæ istæ fenestras quinque longitudinales, per quas germen in fundo conspicitur, et antheræ in superiori parte. Istæ sunt Cynanchorum more per paria unitæ, productioni capillari: prodit hæc iuxta lamellæ apicem; excurrit dehinc pendula et bifurcata, anthera hinc inde terminata in clavæ formam: adeo ut duæ antheræ albicantes adpareant in fenestræ cuiusque parte superiore, quæ ad diversa filamenta aut productiones capillares pertinent. (Consultantur quæ de Cynanchis dixi volumine 1. pag. 5. et 6.)

Fructum non dedit.

Habitat in Canariis insulis, vernacule ibi dicta *Granadillo*. ¶ Vidi floridam in R. horto Matrit. mense Octobri.

*Explic.* tab. *a* Flos postice spectatus. *b* Idem situ verticali. *c* Lacinia corollæ aucta et expansa, spectata antica superficie, cui adiacent duo corpuscula. *d* Eadem postice visa ut limbi appareat revolutio. *e* Genitalia. *f* Antherarum par. *g* Germina.

HELIANTHUS LINEARIS. *Tab. 218.*

240. HELIANTHUS caule fruticoso, valde ramoso: foliis linearibus, scabris, sessilibus, alternis. An *Helianthus angustifolius* Linnæi?

Caulis fruticosus, teres, tripedalis, valde ramosus, ramis alternis, teneris pilosis.

Folia alterna, linearia, versus basim paulo latiora, sessilia, scabra, uninervia.

Flores corymbosi, pedunculis elongatis, foliosis, unifloris.

Calix communis ovato-oblongus, imbricatus, squamulis linearibus, erectis, adpressis, superne latioribus, reflexis, ciliatis.

Corolla lutea, composita. Radii plures, neutri, ovati, obscure tridentati. In centro flosculi hermafroditi, quorum corollulæ tubulosæ, pedicellatæ, limbo quinquefido.

Staminum filamenta quinque: anthera fusca, cylindracea.

Germen subcompressum, coronatum setulis duabus basi coalitis: stylus filiformis: stigmata revoluta. Neutris germen filiforme, et papus obsoletus.

Receptaculum paleaceum, paleis ovato-acutis, carinatis.

Semina oblonga, obtusa, subtetragona, pilis adpressis, quorum papus sæpe deciduus.



Habitat in imperio Mexicano prope oppidum Hapam.  $\mathcal{Z}$  Colitur in Regio horto Matritense.  
*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Flosculus hermaphroditus, cui subiecta palea. *c* Idem auctus.  
*d* Papus auctus. *e* Calicis squamulæ. *f* Semen. *g* Idem auctum.

### HELIANTHUS GIGANTEUS *Linnæi. Tab. 219.*

241. HELIANTHUS foliis alternis, lanceolatis, scabris, basi ciliatis: caule stricto, scabro.

*Linn. sp. pl. tomo 3. p. 885.*

Chrysanthemum virginianum elatius, angustifolium, caule hirsuto viridi. *Pluk. alm. 99. tab. 159. fig. 5. mala.*

Caulis orgialis et amplius, florum pondere superiore parte reclinatus, viridis, quandoque rubescens, scaber uti tota planta, duobusque angulis fere oppositis tomentosus, tomentosa linea decurrente ex petiolorum basi.

Folia sparsa, lanceolata, trinervia, nervis confluentibus in unicum prope basim, parce et quandoque obscure dentata: petioli breves, basi pilosi.

Flores magni terminales.

Calix communis squarrosus, imbricatus, squamulis ovato-acutis, nigricantibus, ciliatis.

Corolla lutea composita. Radii subviginti, oblongi, apice obscure bifidi. In centro flosculi hermaphroditi ut in præcedenti.

Receptaculi paleæ ovato-acutæ, carinatæ, nigræ.

Semina solitaria, oblonga, subtetragona, pubescentia, coronata squamulis brevissimis, et duabus aristis lateralibus.

Habitat in imperio Mexicano, prope oppidum Hapam.  $\mathcal{Z}$  Floruit in Regio horto Matritensi mense Novembri 1793.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Flosculus hermaphroditus eiusque palea. *c* Semina.

*Obs.* Planta ignota D. de Lamarck ut ipse fatetur, et quidem diversa ab eiusdem Heliantho virgato.

### HELIANTHUS DENTATUS. *Tab. 220.*

242. HELIANTHUS caule orgiali, glabro: foliis oppositis, scabris, dentatis, ovato-acutis, basi cuneatis.

Caulis teres, orgialis, glaber, ramosus.

Folia opposita, scabra, ovato-lanceolata, basi cuneata, inæqualiter dentata, trinervia, petiolis sustentata triplo brevioribus, canaliculatis, basi subconnatis: floralia alterna subsessilia.

Flores corymbosi, sesquipollicares et amplius, pedunculis elongatis, unifloris.

Calix communis polyphyllus: squamulæ subduodecim, lineari-acutæ, cæruleo-nigricantes.

Corolla lutea, composita. Radii neutri, raro feminei, tuncque steriles, subduodecim, fere pollicares, ovati, obscure tridentati. In centro flosculi hermaphroditi, pedicellati, ore quinquefido, quorum filamenta quinque, et anthera cylindræa fulva.

Germen obscure tetragonum, coronatum membranula brevissima, biaristata: stylus filiformis: stigmata revoluta.

Receptaculum convexum, paleaceum, paleis flosculos distinguentibus, carinatis, ovato-acutis, apice fulvis.

Semina oblonga, compressa, subpilosa, coronata membranis quattuor ovatis, quandoque duabus, et totidem aristis lanceolatis, acutis, laciniatis.

Habitat in Imperio Mexicano cum præcedente. Florebat in Regio horto Matritense mensibus Octobri et Novembri.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Flosculus hermaphroditus. *c* Idem auctus. *d* Palea expansa. *e* Semen. *f* Idem auctum. *g* Idem absque aristis. *h* Calix fructifer sectus.



XANTHIUM ORIENTALE *Linnæi. Tab. 221.*

243. XANTHIUM caule inermi: foliis cuneiformi-ovatis, subtrilobis. *Linn. sp. pl. tomo 4. pag. 157. dec. 33. tab. 17.* (Videantur ibidem auctores).

Xanthium carolinense medium, fructu torosiore. *Dill. hort. elth. t. 321.*

Caulis erectus, crassus, orgialis, valde ramosus, scaber, teres, maculatus, maculis fuscis, oblongis.

Folia alterna, cuneato-ovata, tri-quinque loba, tri-quinque nervia, serrata, scabra, petiolis sustentata folio æqualibus.

Flores masculi compositi. Calix communis polyphyllus, foliolis lanceolato-acutis: corollulæ albæ, minimæ, tubulosæ, quinque-dentatæ: inter flosculos paleæ lineares, ciliatæ, ipsis longiores. Stamina filamenta quinque, brevissima, basi in unicum corpus filiforme coalita: antheræ oblongæ.

Dicti masculi flores sunt spicati, spicis brevibus axillaribus et terminalibus, quæ planta fructifera evanescent.

Feminei flores infra masculos in eadem planta duo sæpius, aliquando tres. Calix uniflorus polyphyllus foliolis ut in mare at paulo longioribus, quæ postea augmentur: corolla nulla: germen superum, ovatum, apice birostratum, aculeis uncinatis tectum: stylorum duo paria, capillaria: stigmata simplicia.

Fructus ovato-oblongus pollicaris, estque drupa sicca, undique aculeis uncinatis tecta, apice bifida, cuius nux bilocularis.

Habitat in Imperio Mexicano. Florebat cum præcedentibus in Regio horto Matritense.

*Explic. tab. a* Flos masculus ad cuius latus palea. *b* Stamina. *c* Corolla expansa. *d* Flos compositus. *e* Idem aliter spectatus. *f* Flos femineus. *g* Huius calix. *h* Stylorum paria. *i* Bractea cuculata stylorum tegens.

*Obs.* Dubitabit Linnæus num planta Americana fuerit eadem cum orientali. Huius iconem ille dedit quam non vidi. Mexicana nostra quædam sistit in flore femineo a caractere generico discrepantia, calicem scilicet polyphyllum, inferum et uniflorum. Conferantur ergo tabulæ aut potius plantæ ut certo pronuncietur.

CACALIA POROPHYLLUM *Linnæi. Tab. 222.*

244. CACALIA caule herbaceo, indiviso: foliis ellipticis subcrenatis. *Lin. sp. pl. tomo 3. pag. 709. Lamarck Dict. encycl. tomo 1. pag. 530.*

Chrysanthemum americanum frutescens, Balsaminæ foliis, nigris maculis punctatis. *Pluk. alm. 100. tab. 116. fig. 1. mala.*

Caulis teretes, bipedales et amplius, glaberrimi, glauci ut et tota planta.

Folia sparsa, ovata, crenata; ad crenulas glandulis notata oblongis, diaphanis: petioli teretes longitudine foliorum.

Flores axillares, solitarii; pedunculis sensim versus apicem incrassatis.

Calix oblongus, conicus, pentaphyllus, foliolis lineari-acutis in conum adpressis.

Corolla composita, æqualis: corollulæ luteo-virentes tubulosæ, tubo gracili elongato: limbus patens, quinquefidus.

Staminum filamenta quinque, capillaria, brevissima: anthera cylindræa.

Germen lineare: stylus simplex: stigmata in spiram revoluta.

Receptaculum nudum. Papus pilosus, seminis longitudine.

Semina solitaria, oblonga, linearia, coronata papo.

Habitat in Imperio Peruano. ☉ Florebat in Regio horto Matritense mense Novembri.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Flosculus integer magnitudine naturali. *c* Semen. *d* Calix fructu maturo.



MILLERIA ANGUSTIFOLIA. *Tab.* 223.

245. MILLERIA foliis lineari-acutis, connatis, trinerviis, obsolete serratis.  
 Caulis sulcatus, rubescens, ramosus, quadripedalis.  
 Folia opposita, connata, sublinearia, acuminata, trinervia, obsolete serrata, serraturis ætate evanescentibus, glauca, glabra.  
 Flores corymbosi, corymbis glomeratis, et quodammodo squamulis imbricati.  
 Calix communis triphyllus, brevis, foliolis ovato-acutis, decem fere flores continens.  
 Corolla lutea, composita. Radius unicus femineus, fertilis; hermaphroditi steriles plures: illius corolla ovata, tridentata, brevis, recurvata; horum tubulosa quinquefida.  
 Stamina in hermaphroditis quinque, brevia: anthera cylindræa: in femina nulla.  
 Germen omnibus ovato-oblongum, striatum: stylus simplex: stigmata in hermaphroditis capita; in femina linearia, divergentia.  
 Receptaculum paleaceum, paleis minimis, flosculos distinguentibus: papus nullus.  
 Semen unicum, ovatum.  
 Habitat in Nova-Hispania. ☉ Floruit in laudato horto mense Novembri.  
*Explic.* tabul. *a* Flos integer. *b* Idem paulo auctus, ubi flosculi patent, paleis deflexis.  
*c* Flos femineus. *d* Idem aliter spectatus. *e* Flosculus hermaphroditus et palea. *f* Germen, stylus et stigmata hermaphroditi.

## NOCCA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

- Calix communis monophyllus, oblongus, laciniis, profundis 6-8, lanceolatis, exterioribus latioribus: proprius monophyllus tubulosus, ore quinquefido.  
 Corolla universalis uniformis: propria tubulosa, pedicellata, limbo quinquefido.  
 Staminum filamenta quinque, capillaria: anthera cylindræa, tubulosa, erecta.  
 Germen superum teres: stylus filiformis: stigmata duo revoluta.  
 Semina solitaria intra calicem proprium. Papus vix ullus, nisi pili brevissimi.  
 Receptaculum commune alveolare, alveolis ciliatis.

*Obs.* Planta fruticosa, foliis oppositis. Genus Laxmanniæ Forsteri affine.

NOCCA RIGIDA. *Tab.* 224.

246. NOCCA caule fruticoso: foliis ovato-acutis, serratis, coriaceis: petiolis brevibus connatis.  
 Caulis lignosus, rubescens, obscure tetragonus, quattuor pedes altus hic in caldario.  
 Folia opposita, ovato-acuta, serrata, saturate viridia: petioli breves crassi, connati.  
 Flores axillares in ramorum summitate, ibique propter foliorum approximationem glomerati.  
 Calix communis fere pollicaris subvillosus: proprius valde pilosus, laciniis acutissimis inæqualibus.  
 Corollæ tubus dilute violaceus: limbus albus, patens.  
 Staminum filamenta alba: anthera saturate violacea.  
 Germen albicans, coronatum pilis brevissimis, lateralibus longioribus: stigmata dilute violacea.  
 Semina solitaria, teretiusscula.

(a) In honorem P. Dominici Nocca Prædicatorum Ordinis, horti Mantuani professoris.



Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Nova-Hispania. ☿ Floruit ultimo Decembri 1793.

*Explic.* tab. *a* Calix communis. *b* Partialis auctus. *c* Flosculus integer magnitudine naturali. *d* Idem calicibus orbatus. *e* Genitalia aucta. *f* Germen auctum.

### PTERONIA POROPHYLLUM. *Tab.* 225.

247. *PTERONIA* caule sulcato ramoso: foliis sparsis, pinnatis; pinnulis decurrentibus, dentatis.

Caulis bipedalis, sulcatus, glaber, annuus, ramosus.

Folia sparsa, pinnata, pinnulis versus apicem maioribus, decurrentibus, dentatis, dentibus in pilos tenuissimos terminatis: in pinnularum sinubus pori existunt diaphani, lunati.

Flores corymbosi, pedunculis foliosis, unifloris.

Calix oblongus, imbricatus, squamulis exterioribus pinnatis, pinnulis capillaribus; interioribus linearibus, carinatis, acutis: prope harum apicem glandula notatur ovata, diaphana.

Corolla composita, uniformis: flosculi omnes hermaphroditi, quorum corollulæ luteæ, tubulosæ, tubo tenuissimo: limbus fere semper quinquefidus, laciniis angustissimis.

Staminum filamenta minima, quinque: anthera in tubo corollulæ cylindracea, apice quinque-setosa.

Germen oblongum, subcylindricum: stylus filiformis: stigmata duo revoluta.

Receptaculum setosum, setulis brevissimis, basi coalitis. Papus pilosus, sessilis, corollæ longitudine.

Semina solitaria, figura germinis.

Habitat in Nova-Hispania. ☉ Floruit in R. horto Matritense mense Novembri.

*Explic.* tab. *a* Squamula calicis exterior. *b* Interior. *c* Flosculus. *d* Idem auctus papo orbatus. *e* Corolla aucta et expansa. *f* Anthera expansa multoties aucta.

### CARDUUS GLAUCUS. *Tab.* 226.

248. *CARDUUS* caule herbaceo, sulcato, subnudo, unifloro: foliis radicalibus ovato-oblongis integerrimis, reliquis linearibus.

Idem foliis profunde dentatis, subpinnatis.

Caulis herbaceus, erectus, pedalis, sulcatus, simplicissimus, uniflorus, glaber.

Folia radicalia ovato-oblonga, in petiolum ipsis æquale attenuata, integerrima, uninervia, nervo in setulam terminato, limbo pilis brevissimis fimbriato: caulina numero pauca, linearia, superiora brevissima: in varietate dentata et subpinnata, caulina præsertim.

Flores solitarii, terminales.

Calix communis oblongus, imbricatus, squamulis lanceolatis, spina brevi rufa terminatis: interiores squamulæ lineares, inermes, longiores, apice scarioso: omnium color virido-luteus.

Corolla composita, tubulosa, uniformis: flosculi omnes hermaphroditi fertiles: horum corollulæ cæruleo-rubentes, infundibuliformes, tubo tenuissimo, limbo quinquefido, laciniis linearibus angustissimis.

Staminum filamenta quinque, capillaria, brevissima: anthera albicans, cylindracea, apice quinquecrenata.

Germen ovatum: stylus filiformis, staminibus longior: stigma emarginatum.

Semina ovata.

Receptaculum pilosum. Papus sessilis seminibus multoties longior, piloso-plumosus.

Habitat in montibus Peñaglosa, et in Desierto de las palmas. ☉ Floret Maio et Junio.



Crescunt hic *Cistus* tuberaria, albidus, monspeliensis, guttatus, *Euphrasia* lutea, *Lotus* hirsutus, *dorycnium*, *tetragonolobus*, *Arbutus* unedo, *Phillyrea* angustifolia, *Spartium* iunceum, *Salvia* verbenaca et clandestina, *Lavandula* spica, et sthæcas pedunculis brevibus &c.

*Explic.* tab. *a* Flosculus. *b* Squamula calicis inferior. *c* Squamula interior. *d* Semen coronatum papo.

*Obs.* Quamquam abunde crescat hæc species in dictis montibus, rarissime gaudet foliis dentatis, tuncque nulla omnino in reliquis partibus differentia existit. Collocari debet post species in hoc opere descriptas, quæ sunt *Carduus* flavescens, pinnatifidus et leucanthus.

### POLYMNIA MACULATA. Tab. 227.

249. *POLYMNIA* caule sulcato maculato: foliis oppositis, connatis, polymorphis.

Caulis orgialis, erectus, pollicem crassus, sulcatus, pilis brevibus rigidus, ramosus, ramis oppositis: in his, caule et petiolis maculæ numerosæ atro-purpureæ.

Folia omnia opposita mollia, et connata: inferiora sesquipedem lata, cordato-subpedata, angulis novem, totidemque sinubus dentatis distincta: quorum petioli pedales teretes, superiore pagina canaliculati, superne versus folium alati cum dentibus; inferne nudi: et tandem, ubi caulem quodammodo amplexantur, auriculæ prominent utrimque binæ. Folia superiora sunt cuneato-hastata, inæqualiter dentata, villosa, per petiolum brevem excurrentia: reliqua sunt hastato-sinuata, lobis inferioribus dependentibus.

Flores corymbosi, terminales, pedunculis crassis, brevibus.

Calix communis polyphyllus, patens, ex septem fere foliolis compositus, duplici ordine et alternatim positus, quæ sunt ovato-acutæ, subpilosæ, striatæ.

Corolla lutea, composita: feminæ subviginti in radio, quarum corollulæ ligulatæ, tridentatæ: flosculi hermaphroditi steriles, plures in disco; horum corollulæ infundibuliformes, pedicelatæ, ore quinquefido.

Staminum filamenta quinque, brevia: anthera cylindræa, nigricans.

Germen in feminis ovato-sphericum: stylus simplex: stigmata capillaria, erecta. In hermaphroditis germen brevissimum, effoetum: stylus simplex: stigmata divaricata, villosa.

Semina solitaria, ovata, glabra.

Receptaculum paleaceum, paleis ovato-acutis, villosis. Papus nullus.

Habitat in Nova-Hispania. Floruit in R. horto Matritense mense Decembri 1793.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Radius cum palea. *c* Idem auctus, ut villi appareant in base eiusdem. *d* Flosculus hermaphroditus. *e* Semen.

*Obs.* Polymniam vuedaliam Linnæi numquam vidi: synonyma aut deffinitiones, quas de hac planta dederunt auctores apud Linnæum, nostræ aliquo modo congruunt. Num ergo eadem sit planta, dicent Botanici.

### ATRACTYLIS GUMMIFERA Linnæi. Tab. 228.

250. *ATRACTYLIS* flore acauli: foliis oblongis, profunde pinnatifidis, laciniis dentato-spinosis.

*Atractylis* flore acauli. *Lin. sp. pl. tomo 3. pag. 696.*

*Cnicus*, carlinæ folio, acaulos gummifer aculeatus. *Tournef. cor. 33.*

*Carthame* gummifer. *Lamarck Dict. encycl. tomo 1. pag. 639.*

*Carduus* pinea Theophrasti. *Alp. exot. 126. t. 124., 125.*

Radix teres, semipollicem crassa, lactescens, pellicula fusca tecta.

Folia radicalia petiolis imbricatis canaliculatis, rigidiuscula, oblonga, pinnatifida, laciniis inæqualiter dentatis, dentibus spinosis; glauca, initio subtomentosa, tomento æta-



te evanescente: flore expanso exsiccantur omnia et pereunt, costa dorsali ut plurimum remanente.

Flos unicus, magnus, sessilis in foliorum centro.

Calix communis turbinato-ventricosus, brevi tomento albicans, ex squamulis compositus oblongis, arcte adpressis, interioribus longioribus, quæ omnes terminantur spina capillari ruffa. Obvallatur hic calix bracteis spinosis duplici ordine versus eiusdem basim positus, quæ terminantur spinis rigidis acutis; reliquæ spinæ sunt breviores et mitiores.

Corolla composita, uniformis, tubulosa, violaceo-rubens. Corollulæ infundibuliformes, limbo quinquefido, laciniis patentibus brevibus linearibus.

Staminum filamenta quinque capillaria: anthera cylindracea violacea.

Germen breve, tomentosum: stylus filiformis: stigma exertum incrassatum.

Semina turbinata, coronata papo sessili, plumoso, longissimo.

Receptaculum planum carnosum ut in *Cynara*, paleaceum, paleis luteis fere pollicaribus, linearibus, apice setosis, setis subquinque capillaribus.

Habitat prope Valentiaë urbem ad viam regiam quæ ducit in Espiocam; crescit etiam in Alberique, Manuel, Quatretonda. Floret mense Septembri: foliis gaudet Iulio et Augusto, quibus orbat ut dixi flore expanso. Nihilominus florem cum foliis delineavi in Botanicorum gratiam.

*Explic.* tab. *a* Flosculus integer. *b* Palea. *c* Semen papo coronatum. *d* Papi plumula. *e* Flos sectus.

*Obs.* Corolla universalis in hoc genere radiis destituitur, aut expungenda ab ipso sunt species gummifera, et cacellata. Receptaculum vidi paleaceum in *Atractylide* humili et gummifera. Immerito ergo Linnæus posuit in caractere generico corollam radiatam et receptaculum villosum. Nec rectius mea sententia egit D. de Lamarck quando inter *Carthamos* recensuit *Atract.* gummiferam et cancellatam; involucrum enim, quo istæ gaudent, tum et squamarum apice foliaceo defectus sat abunde ipsas a *Carthamis* distinguunt.

## BIDENS SAMBUCIFOLIA. Tab. 229.

251. *BIDENS* caule striato: foliis oppositis pinnatis; pinnulis ovato-lanceolatis, serratis, decurrentibus, ultima maiore.

Caulis tripedalis, crassus, ramosus, striatus, glaber.

Folia opposita, pinnata, pinnulis sæpius quinque, ovato-lanceolatis, serratis, decurrentibus, ultima maiore, glabris ut et tota planta.

Flores corymbosi, pedunculis elongatis, striatis.

Calix basi crassus, hemisphæricus, partitus postea in duodecim fere lacinias lineares.

Corolla composita, coccinea: radii duodecim, neutri, quorum corolla ligulata, ovato-oblonga, apice tridentata: germen effoetum absque stylo.

In centro flosculi plures, hermaphroditi, quorum corolla tubulosa, limbo quinquefido. Stamina quinque: anthera cylindracea.

Germen oblongum, aristatum: stylus simplex: stigmata revoluta.

Semina oblonga, quadrangula, nigra, terminata aristis quattuor uncinatis, semine triplo brevioribus.

Receptaculum paleaceum, paleis lanceolatis lineatis: papus aristatus.

Habitat in Peru et Mexico. ♀ Floret mense Novembri in R. horto Matritense.

*Explic.* tabul. *a* Radius. *b* Flosculus hermaphroditus cum palea. *c* Semen. *d* Huius sectio aucta.

*Obs.* Seminis figura limites absolutos ponit inter *Bidentem* et *Coreopsidem*. In illa semina sunt oblonga et tetragona aristis 2-4 terminata; in ista orbiculata, compressa, aristis duabus. Radiorum defectus non semper observatur in *Bidente*, quorum sexus ludit in utroque genere. In compositorum familia nullatenus præponenda videtur series Linnæana a



sexuum præsentia aut abortu deducta, quæ plantas congeneres frequenter dissociat: valere potuit, dum pauca species erant cognitæ: nunc vero novarum stirpium multitudine, quarum characteres diversi, recudenda videntur fere omnia Syngenesiæ genera, recognitis prius speciebus ac mutuo collatis. Oporteret equidem Botanicorum aliquem perficere in Syngenesia quod ego in Monadelphia feci. Tunc certe plurima nova genera evanescerent; atque in plantarum examine, nominibus et sede tuto procederetur.

### CENTAUREA VIRGATA. *Tab. 230.*

252. *CENTAUREA* calicibus palmato-spinosis: foliis subtomentosis, caulinis pinnatis, rameis linearibus.  
 Caulis tereti-sulcatus, erectus, subtomentosus, superne ramosus, quattuor pedes sæpius altus.  
 Folia omnia sessilia, tomentosa, pagina inferiore glauca, superiore cana, caulina pinnata pinnulis sublinearibus, angustis, terminali longiore; ramea linearia.  
 Flores terminales, solitarii, pedunculis foliosis.  
 Calix communis imbricatus, globoso-conicus, squamis oblongis, apice palmato-spinosis, spinis 7-11 brevibus.  
 Corolla dilute cærulea flosculosa: corollulæ infundibuliformes, tubo tenui sensim ampliato, limbo quinquefido, laciniis linearibus acutis.  
 Flosculi radiorum neutri: centrales hermaphroditi. Stamina filamenta in istis quinque, capillaria: anthera cylindracea. Germen parvum: stylus filiformis: stigma incrassatum, obscure bilobum.  
 Semina solitaria, nonnihil compressa, coronata papo piloso.  
 Receptaculum setosum, setis candidis, calicis longitudine.  
 Habitat in tractu montuoso inter Villajoiosa et Allonam: crescit etiam in collibus Crevillente. Floret Julio. Ibique *Teucrium libanitis*, et capitatum, *Atractylis humilis*, *Onopordum acaule*, *Carlina tomentosa*, *Lygæum spartium*, *Stipa tenacissima*, *Cistus squamatus*, racemosus, thymifolius &c. Frustra ibidem quæras *Ulicem* et *Rosmarinum*.  
*Explic.* tab. *a* Squamulæ calicinæ. *b* Flosculus centralis. *c* Semen. *d* Idem auctum.

### CENTAUREA GALACTITES *Linnæi. Tab. 231.*

253. *CENTAUREA* calicibus setaceo-spinosis: foliis decurrentibus, sinuatis, spinosis, subtus tomentosis. *Lin. sp. pl. tomo 3. pag. 917. Lamarck Dict. tomo 1. pag. 677.*  
*Carduus galactites. I. Bauh. tomo 3. pag. 54.*  
 Caulis sesquipedalis et amplius, ramosus, tomentosus, sulcatus, et alatus foliorum decursu.  
 Folia alterna, decurrentia, oblonga, pinnatifida, pinnulis alternis acuminato-spinosis, nervulis prope basim uni-spinosis, pagina inferiore tomento candidis, superiore viridibus, venis albis.  
 Flores terminales, pedunculis elongatis foliosis.  
 Calix ovatus, imbricatus, squamulis ovatis, spina recta viridi terminatis.  
 Corolla magna, purpurascens, flosculosa. Corollulæ ut in præcedenti, attamen radiorum multo maiores.  
 Receptaculum setosum: papus plumosus, longus. Reliqua ut in præcedenti.  
 Habitat copiose in suburbiis Valentiniæ et passim per Regnum Valentinum. ♀ Floret Maio et Junio.  
*Explic.* tab. *a* Squamulæ calicis. *b* Flosculus radii. *c* Centralis aut hermaphroditus. *d* Semen. *e* Plumula aucta.



ASTER HYSSOPIFOLIUS *Linnæi. Tab. 232.*

254. ASTER foliis linearibus, integerrimis, scabris, acutis: pedunculis subnudis. Aster foliis linearibus, integerrimis, obliquatis, acutis, margine scabris, pedunculis subnudis. *Lin. sp. pl. tomo 3. pag. 806. Lamarck Dict. tomo 1. pag. 303.*
- Caulis pedalis, rigidus, sulcatus, glaber.
- Folia sparsa, sessilia, linearia, utrimque acuta, scabra, punctis protuberantibus utraque pagina cooperta, pollicaria, basi sursum inflexa. Ramorum rudimenta ex singulis alis.
- Flores corymbosi; pedunculis uno alterove folio brevi instructis.
- Calix ovatus, brevis, arcte imbricatus, squamulis oblongiusculis, quarum interiores apice coloratæ.
- Corolla composita radiata; radii dilute violacei fere semper octo, lineares, angusti, apice obscure tridentati.
- Discus radiorum corona altior: flosculi huius hermaphroditi, lutei, apice quinquefidi, piloso papo fere tecti.
- Staminum filamenta quinque, brevia; anthera cylindracea, lutea.
- Germen breve, turbinatum, vilosum: stylus longitudine corollæ: stigmata divaricata, latiora et subvillosa.
- Semina solitaria, brevia, valde villosa, coronata papo piloso, sessili ipsis triplo longiore.
- Habitat ad agrorum margines circa Palanques, Villores, Sorita. ♀ Floret Augusto ibique Sideritis subspinosa, aliæque plantæ notatæ numero 231.
- Explic. tab. a* Radius. *b* Flosculus hermaphroditus. *c* Corolla aucta et expansa. *d* Germen, stylus, stigmata aucta. *e* Semen. *f* Idem auctum. *F* Folium auctum.
- Obs.* Haud facile recognosci possunt Linneæanæ species, eæ potissimum quibus folia sunt linearia; idque quia aut nullæ omnino, aut incuriosæ existunt tabulæ. Mea planta foliis gaudet utraque pagina scabris, nedum margine, qualiter Linnæus suam descripsit: in reliquis vix ullum discrimen videas. Quia vero Linnæi plantæ tabula desideratur; placuit Valentinam delineare ut Botanici possint dicere num eadem sit species an diversa.

ASTER ACRIS *Linnæi. Tab. 233.*

255. ASTER foliis lanceolato-linearibus, integerrimis, planis, strictis; floribus corymbosis, fastigiatis: pedunculis foliosis. *Lin. sp. pl. tomo 3. pag. 808. Lamarck Dict. tomo 1. pag. 303.*
- Aster angustifolius tripolis flore. *Barrel. icon. 606.*
- Caulis vix pedalis, teres, erectus, ut plurimum simplicissimus, glaber ut et tota planta.
- Folia numerosa, sparsa, sessilia, lanceolato-linearia, acuta, limbo subpubescente.
- Flores corymbosi, fastigiati, pedunculis foliosis, foliolis sæpe minimis, squamulas referentibus.
- Calix ovatus, arcte imbricatus, brevis, minime oblongus qualem pinxerunt Barrelierius et Garidel.; squamulæ ovato-oblongæ, exterioribus brevioribus.
- Corolla ut in præcedenti: radii fere semper sex dilute violacei lineares, venosi, acuti. Reliqua ut in superiore.
- Habitat circa oppidum Montanejos. ♀ Florebat ultimo Septembri.
- Explic. tab. a* Radius auctus. *b* Flosculus hermaphroditus. *c* Germen auctum. *d* Anthera expansa. *e* Semen. *f* Idem auctum.
- Obs.* Planta præcedenti affinis, a qua differt foliorum textura, et pedunculis squamoso-foliosis. Garideli Tabula 11 nullatenus huic convenit.



HIERACIUM LANIFERUM. *Tab. 234.*

256. *HIERACIUM* caule paniculato, subnudo, lævi: foliis oblongo-ovatis in petiolum alatum attenuatis.
- Caulis semipedalis et ultra, glaber, erectus, nudus usque ad pedunculorum ortum, ubi foliolum ovato-acutum sessile.
- Folia radicalia plura, supra terram expansa, oblongo-ovata, in petiolum alatum attenuata, integerrima. Horum petioli atque caulis basis numerosa lana candidissima obducti, quæ observatur etiam in tenerum filiorum margine, et aliquando per integram superficiem.
- Flores paniculati, pedunculis elongatis uni-bisquamosis.
- Calix communis ovatus, imbricatus: squamulæ lanceolato-acutæ, apice tomentosæ.
- Corolla lutea, composita, imbricata, uniformis. Flosculi hermaphroditi, ligulati, quorum corollulæ lineares, truncatæ, quinquedentatæ.
- Staminum filamenta quinque, capillaria: anthera tubulosa.
- Germen breve, villosum, turbinatum: stylus filiformis: stigmata divaricato-recurva.
- Semina solitaria, tomento brevi obducta, coronata papo piloso, sessili.
- Receptaculum nudum.
- Habitat in montibus septentrionalibus regni Valentini: vidi in rupibus Benifaza mense Junio.  $\mathcal{Z}$  Ibiq̄ue crescunt *Erinus alpinus*, *Campanula alpina*, *Globularia tridentata*, *Scorzonera hispanica*, aliæque plurimæ.
- Explic. tab. a* Calicis squamula aucta. *b* Flosculus. *c* Semen.
- Obs.* Planta affinis *Hieracio Gronovii* Linnæi, diversa omnino a *Plukenetii* figura secunda tabulæ 420. Apex squamularum tomentosus, et lanæ copia quæ plantæ basim tegit characterem specificum præbent.

## PIQUERIA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

- Calix communis simplex, prismaticus, foliolis quattuor conniventibus, ovatis, carinatis, æqualibus.
- Corolla composita: corollulæ hermaphroditæ, uniformes, adpressæ: tubus brevissimus; limbus patens quinquefidus.
- Staminum filamenta quinque, brevissima: anthera cylindracea.
- Germen turbinato-pentagonum: stylus filiformis: stigmata divaricata, incrassata.
- Semina solitaria, minima, turbinata, pentagona, apice truncata.
- Receptaculum nudum. Papus nullus.

*Obs.* Genus *Ethuliæ* affine, a quo differt calice non rotundato, sed erecto prismatico: et semine nudo. *Ethuliæ* calices sunt ut plurimum imbricati, semina apice marginata, et flosculorum limbus erectus.

(a) In memoriam *Andree Piquerii* Hispani medici. Huius viri facundia, ingenium, eruditio, et pietas orbi litterario nota sunt, ipsumque sensim ad anathomes Cathedram in Valentina Academia, ad Regum medici dignitatem, ad plurimarum Societatum honores evexerunt. Plura scripsit opera *Logicam*, *Physicam*, *Philosophiam moralem*, *Praxim medicam*, quæ quanti apud externos habeatur iteratæ editiones *Amstelodami* et *Venetia* prædicant: *Medi-*

*cas* item institutiones, et *Tractatum de Febribus*, quem *Galli* in suam linguam transtulere: unum addam, cæteris prætermittis, illud scilicet cui titulus: *Las obras de Hyppócrates mas selectas con el texto griego y latino, puesto en castellano, é ilustrado con las observaciones prácticas de los antiguos y modernos para la juventud Española, que se dedica á la Medicina. Matriti* tribus volum. anno 1757, 1761 et 1770.



PIQUERIA TRINERVIA. *Tab. 235.*

257. PIQUERIA foliis oppositis, ovato-lanceolatis, serratis, trinerviis : calice quadrifloro. Caules teretes, quattuor pedes alti, ramis oppositis. Folia opposita, ovato-lanceolata, serrata, trinervia, glabra ut et tota planta, basi connata, atque attenuata in petiolum brevem canaliculatum. Flores corymboso-paniculati. Pedunculi axillares et terminales, solitarii, trifidi et ramosi. Calix pentagonus, tetraphyllus, quadriflorus; cuius foliola conniventia, ovata, carinata, apice scariosa. Corollulæ albæ, infundibuliformes: tubus brevis inferne versus germen villosus: laciniæ ovato-acutæ. Reliqua ut in caractere generico. Habitat in Mexicano Imperio. Florebat mense Novembri 1793 in Regio horto Pharmaceutico. *Explic.* tab. *a* Flos compositus magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Calicis foliolum auctum. *d* Flosculus germini insidens auctus, antice spectatus. *e* Idem postica superficie. *f* Corolla expansa. *g* Stamina. *h* Semen. *i* Idem auctum. *k* Huius sectio.

SOLANUM PARVIFLORUM. *Tab. 236.*

258. SOLANUM caule aculeato: foliis-ovato-oblongis obtusis, superne hirsutis; nervo utrimque spinoso. Caulis fruticosus tripedalis, teres, ramosus, spinis armatus, hirsutusque, tener præsertim. Folia numerosa, ovato-oblonga, subsessilia, obtusa, integerrima, pagina superiore hirsuta, uninervia, nervo utrimque spinoso, spinis rufescentibus. Flores solitarii, parvi. Calix quinquepartitus, hispidus. Corollâ alba, calice maior, profunde quinquepartita, laciniis lanceolatis revolutis. Stamina filamenta quinque, brevissima: antheræ sulphuræ in conum adproximatæ. Germen superum, globosum, minimum: stylus filiformis, staminibus longior: stigma obtusum. Bacca globosa minima. Habitat in Insula S. Dominici. *h* Floret Septemb. et Octob. Vidi vivum in Regio horto Parisiense anno 1786. *Explic.* tab. *a* Calix magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Flos integer. *d* Fructus.

OXALIS TETRAPHYLLA. *Tab. 237.*

259. OXALIS scapis umbelliferis: foliis ternatis, et quaternatis; foliolis cordatis, inferne glaucis. Scapi subpedales teretes, initio erecti, postea declinati, terminati umbella multiflora. Folia nunc ternata, nunc quaternata, cordata, pagina inferiore glauca, superiore saturate viridia, sustentata petiolo, scapi fere longitudinis, tereti, inferne obscure violaceo. Flores umbellati: radii plures pollicares, ad quorum basim involucrum breve, dentatum, marcescens. Calix profunde quinque-partitus, laciniis acutis, persistentibus. Corolla campanulato-patens, pentapetala, petalis apice rotundatis integris, prope basim coalitis, unguibus acutis liberis: color roseus ad rubentem accedens, aut dilute violaceus. Stamina monadelphæ, in urceolum brevem coalita: urceolus hic germen cingit, estque



apice decem-partitus, laciniis alternis brevioribus, albis: antheræ subovatae, luteæ.  
 Germen superum, oblongum, profunde quinque-sulcatum. Styli quinque, erecti, villosi,  
 germine longiores: stigmata viridia peltata.

Fructus.....

Habitat in Imperio Mexicano, unde introducta in Regium hortum Matritensem. Vidi floridam mense Maio. ♀

*Explic.* tab. *a* Flos inter. *b* Calix germen continens. *c* Stamina aucta. *d* Germen auctum. *e* Stylus et stigma multoties auctum. *f* Germinis sectio.

## EUSTEPHIA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix: spatha oblonga, ad basim fissa in quattuor lacinias acutas, marcescentes.

Corolla supera, monopetala, tubulosa, profunde quinquefida, laciniis linearibus in cylindrum dispositis: faux pervia.

Staminum filamenta sex imis laciniis supra foveolam inserta, linearia, plana, prope faucem trifida, lacinia media longiore stamniifera, lateralibus brevioribus, coronam efformantibus: antheræ ovatae.

Germen inferum, turbinato-triquetrum: stylus filiformis, staminum longitudine, exertus: stigma incrassatum.

Pericarpium (si ex germine coniiciendum) est capsula trilocularis.

*Obs.* Genus Amaryllidi affine, a quo differt inter alia filamentorum forma: hac utique distinguitur a Crino quemadmodum et germine infero.

## EUSTEPHIA COCCINEA. Tab. 238.

260. EUSTEPHIA foliis radicalibus, linearibus obtusis: floribus umbellatis cernuis.

Ex bulbo radicato scapus exurgit pedalis et amplius, leniter compressus, glaberrimus.

Folia sunt omnia radicalia duo aut tria hinc inde apposita, scapo breviora, linearia, obtusa, et aliquando falcata.

Flores in scapi culmine umbellati, nutantes, pedunculis pollicaribus sustentati, cincti basi laciniis quattuor puniceis oblongis acutis marcescentibus, spathæ residuis.

Corolla coccinea, bipollicaris, profunde sexfida, laciniis tribus interioribus apice virescentibus.

Staminum filamenta alba, plana, prope faucem trifida, lacinia media filiformi exerta, lateralibus subulato-setaceis in coronam expansis: antheræ luteæ, incumbentes, ovatae.

Germen inferum coccineum: stylus albus: stigma subvillosum, incrassatum.

Capsula trilocularis (ex germine). Fructum non perfecit.

Ignoratur patria. ♀ Floruit in Regio horto Matritense mense Maio 1794.

*Explic.* tab. *a* Corolla fissa et revoluta ut stamina conspiciantur. *b* Germen. *c* Huius sectio.

## AMYRIS POLYGAMA. Tab. 239.

261. AMYRIS caule arboreo: foliis simplicibus, sparsis, lanceolato-ovatis, integerrimis.

Arbor bi-orgialis ramosus, cuius cortex fuscus.

(a) Ab *EUSTEPHIA* pulchre coronatus: quia staminum laciniae laterales coronam efformant in fauce Corollæ.



Folia simplicia, sparsa, breviter petiolata, lanceolato-ovata, subcoriacea, nitida, integerrima.

Flores racemosi, racemis axillaribus, binis ternisque in mare præsertim, pollicaribus: flos quilibet pedunculatus, pedunculis capillaribus.

In eadem arbore existunt racemi mares, aliique feminei: quandoque arbor observatur omnino masculini sexus, aut feminini.

Calix monophyllus hemisphæricus, quadridentatus, persistens.

Corolla luteo-albicans ex quattuor petalis patentibus, ovatis, basi angustioribus. In huius centro corpusculum existit luteum planum, orbiculare, octo-crenatum, perforatum, quod in masculis dumtaxat observatur, in quibus

Staminum filamenta octo, erecta, quorum quattuor longiora cum petalis alternant: antheræ ovatæ.

Germen in his nullum, cuius loco punctum nigricans.

In femina germen superum globosum: stylus vix ullus: stigmata corpuscula tria, aut quattuor minima, globosa. In his floribus filamenta observantur breviora quam in mare, pariterque antheræ, quæ fortasse steriles.

Fructus drupa sphærica, maturitate nigricans: nucleus solitarius monospermus.

Habitat in Chile. ♀ Floret mense Maio in Regio horto Matritense, ibique Convolvulus hermanniæ, et Ailanthus glandulosa quas nitide incisas dedit D. L'heritier, atque accurate descripsit.

*Explic.* tab. *a* Ramus masculus. *b* Femina. *c* Flos masculus. *d* Idem auctus. *e* Idem antice spectatus. *f* Corpusculum luteum valde auctum. *g* Flos femineus. *h* Idem auctus. *i* Germen. *k* Idem auctum. *l* Drupa. *m* Huius sectio. *n* Eadem aucta. *o* Nuclei medulla.

*Obs.* Flores sæpe gaudent petalis quinque, staminibus decem, et calice quinque-dentato.

### PSORALEA TOMENTOSA. *Tab.* 240.

262. PSORALEA caule virgato, tormentoso: foliis pinnatis: floribus spicatis terminalibus.

Caules teretes, tripedales, virgati, subrubentes, tomento albo obducti.

Folia sparsa, adproximata, pinnata, pinnulis novem, sessilibus, ovatis, pagina inferiore et limbo tomentosis, punctorum luteorum numero maculatis. Stipulæ subulatæ, petiolo adnatæ.

Flores spicati, spica terminali, terete; bracteis acutis tomentosis, flores distinguuntibus.

Calix tubulosus brevis, apice quinque-dentatus, lacinia inferiore paulo longiore.

Corolla papilionacea, pentapetala. Vexillum orbiculatum, plicato-concavum, integerrimum, album, apice rubro-violaceum, ungue filiformi receptaculo post germen affixum. Alæ et carina violaceæ, ovatæ, auriculatæ, staminum tubo unguibus capillaribus adfixæ.

Stamina monadelphæ, in corpus cylindricum, album, longitudinaliter fissum coalita; postea libera in decem filamenta alba partita: antheræ ovatæ, sulcatæ, nigræ.

Germen ovatum, minimum, apice villosum: stylus erecto-incurvatus, cæruleus: stigma acutum.

Legumen breve, monospermum.

Habitat in Mexicano Imperio. Floruit mense Decembri 1793 in Regio horto Matritense. ♀

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix auctus et expansus. *c* Petala. *d* Staminum tubus, alas et carinam sustinens. *e* Vexillum et germen. *f* Stamina aucta. *g* Germen auctum.

### ANTHERICUM REFLEXUM. *Tab.* 241.

263. ANTHERICUM antheris coalitis.

Caulis teres, bipedalis, folio uno alterove acuto, oblongo.



Folia ensiformia , sesquipedalia , pollicem lata , striata , basi caulem amplexantia , aut potius vaginantia.

Flores spicati , sparsi , duo tresve in singulis bracteis scariosis acutis ; pedicelli inæquales.

Calix nullus. Corolla patens , lutea , cuius sex petala sunt ovato-oblonga , et inferiore pagina notantur linea viridi : petala tria inferiora , angustiora , acuta , revoluta.

Staminum filamenta sex , conniventia , squamoso-tuberculata , lutea , sensim versus apicem crassiora : anthera tubuloso-conica , utrimque sexcrenata ( ut in Syngenesiis ) lutea.

Germen ovato-trigonum : stylus simplex anthera vaginatus eaque longior : stigma crassiusculum.

Capsula trilocularis , trivalvis , polysperma. Semina globoso-angulata , minima.

Habitat..... ☿ Floruit mense Septembri 1793 cum præcedente.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Filamenta aucta. *c* Anthera expansa. *d* Germen. *e* Filamentum. *f* Fructus. *g* Idem sectus. *h* Semen. *H* Idem auctum.

### CHELONE BARBATA. *Tab.* 242.

264. CHELONE foliis oppositis , connatis , lineari-acutis , integerrimis : corollis barbatis.

Caulis teres , glaber , glaucus ut et tota planta , orgialis , ramosus ; ramis axillaribus erectis.

Folia opposita , sessilia , connata , lineari-acuta , longissima , distantia , nonnihil canaliculata ; radicalia spatulata.

Flores axillares , pedunculis oppositis bifloris.

Calix persistens , brevis , profunde partitus in quinque lacinias conniventes , ovatas , apice acutas , limbo subscarioso.

Corolla extus foenicea , intus alba , monopetala , bilabiata : tubus longus sensim ampliatus et subventricosus : faux patens et supra labium inferius barbata pilis aureis : limbi labium superius erectum , apice bifidum ; inferius tripartitum , laciniis ovatis , deflexis , obtusis.

Filamenta quinque , quorum quattuor antherifera , quintum sterile , brevius , imberbe : exsurgunt omnia ex totidem tuberculis ovatis , basi internæ tubi adnatis ; excurrunt recta per tubi interiora , ac tandem quattuor fertilia arcuantur et eriguntur sub labio superiore : antheræ didymæ , lobis divaricatis , intus longitudinaliter dehiscentibus.

Germen superum , ovato-acutum : stylus filiformis rectus : stigma obtusum.

Capsula ovato-acuta , bivalvis , unilocularis , polysperma. Semina angulata , hilo brevi albicante adfixa receptaculo conico.

Habitat in Imperio Mexicano , unde nuperrime introducta in hortum Regium Pharmaceuticum. ☿ Floruit Maio , Iunio et Iulio 1794.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla expansa ut stamina conspiciantur. *c* Germen. *d* Fructus. *e* Huius sectio. *f* Semina receptaculo adfixa. *g* Semen solitarium.

*Obs.* Hæc planta ante florescentiam æmulatur *Lysimachiam ephemerum* : at florida paucis pulchritudine cedit.

### SOLANUM ELÆAGNIFOLIUM. *Tab.* 243.

265. SOLANUM caule aculeato , fruticoso , tomentoso : foliis oblongo-ovatis , inferne tomentosus , nervo utrimque aculeato.

Caulis teres , fruticosus , ramosus , tomento brevi candidus ; tener inermis , vetustate aculeatus , aculeis brevibus.

Folia alterna , oblongo-ovata , pagina inferiore candida , superiori viridia : superiora integerrima , inermia ; inferiora sinuata , nervo et petiolis aculeata.

Flores subracemosi : pedunculis partialibus , florentibus erectis , fructiferis pendulis.

Calix tomentosus , semiquinquepartitus , laciniis acutis.



Corolla cærulea, rotata, patens, semiquinque-partita, subrugosa, laciniarum apicibus revolutis.

Antheræ quinque, oblongæ, luteæ, apice biperforatæ, non conniventes, sustentatæ filamentis brevissimis.

Germen superum, subrotundum: stylus filiformis staminibus longior: stigma obtusum.

Bacca globosa, glabra, lutea, puncto apice notata.

Semina numerosa rotundato-compressa, margine cincta: receptaculum carnosum.

Habitat in America calidiore. ♀ Floret a Julio usque ad Octob. in Regio horto Matritensi.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Fructus. *c* Huius sectio. *d* Semen.

### CINERARIA PRÆCOX. *Tab.* 244.

266. CINERARIA caule fruticoso: foliis cordatis, angulatis, post flores prodeuntibus.

Caulis fruticosus, non lignosus, sesquipollicaris diametri, tres quattuorve pedes altus, superne ramosus, ramis conicis, succulentis, divaricatis, cuius cortex glaber: quotannis denudatur foliis, quorum cicatrices remanent albicantes.

Folia sparsa, numerosa, in ramulorum summitate, longe petiolata, glaberrima, cordata, sinuata, angulis acutis, basi plerumque inæqualia, lobo altero altiore.

Flores lutei corymbosi, ramulos terminantes. Pedunculi communes plures, qui nunc umbella, nunc, quod frequentius evenit, corymbis terminantur: pedunculi partiales sunt sesquipollicares, ornati squamulis pellucidis minutis, inferiore longiore. Folia prodeunt peracta florescentia.

Calix octophyllus, foliolis lineari-acutis, carnosis, in tubum arcte conniventibus, quorum tria interiora latiora. Infra calicis foliola corpus existit crassius, hemisphæricum, nitidum.

Corolla composita: radii quinque, lutei, semipollicares, lineares, apice emarginati, feminei, fertiles. In centro flosculi subviginti, hermaphroditi, quorum corolla flava, tubulosa, apice quinque-fida, laciniis revolutis.

Anthera exerta, tubulosa, apice quinque-crenata, saturate lutea: filamenta capillaria, quinque.

Germen omnibus teretiusculum. Papus sessilis, longus, pilosus.

Receptaculum nudum.

Habitat in Mexico. ♀ Floret Aprili. Colitur in Regio horto Matritense.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Flosculus hermaphroditus. *c* Calix expansus. *d* Ramus floridus. *e* Idem foliis instructus.

### SOLANUM LANCEOLATUM. *Tab.* 245.

267. SOLANUM caule parce spinoso, tomentoso: foliis lanceolatis, integerrimis, subtus tomentosis: panicula terminali.

Caulis fruticosus, tripedalis, ramosus, teres, tomentosus, inferne parce spinosus, spinis brevibus.

Folia alterna, lanceolata, integerrima, pagina inferiore tomentosa; superiore fusca: petioli teretes, vix pollicares.

Flores paniculati, terminales.

Calix tomentosus, semiquinque-partitus, laciniis subulatis.

Corolla dilute cærulea, rotata, semiquinque-partita, laciniis sensim angustioribus apice obtusis.

Filamenta quinque, brevissima: antheræ totidem luteæ erecto-divaricatæ, in quarum apice duo foramina.

Germen superum, subsphæricum: stylus filiformis, longitudine staminum: stigma viride obtusum.

Fructus erecti: bacca globosa, vix ciceris magnitudine.



Habitat in Imperio Mexicano, unde in Regium hortum introductum. *h*  
*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Germen. *c* Anthera aucta. *d* Trunci pars. *e* Fructus.

SALMIA. (*a*)

## CHARACTER GENERICUS.

Calix nullus.

Corolla monopetala, tubulosa, semisexfida, laciniis linearibus, obtusis, revolutis.

Filamenta sex, linearia, erecta, laciniarum corollæ basi inserta: antheræ oblongæ, versatiles.

Germen superum, ovatum, trisulcatum: stylus filiformis, staminibus paulo longior: stigma peltatum.

Pericarpium: drupæ tres, subglobosæ, centro coalitæ.

Semina solitaria, ossea, ovata.

*Obs.* Druparum altera, quandoque duæ abortum patiuntur.

SALMIA SPICATA. *Tab.* 246.

268. SALMIA foliis rigidis, canaliculatis, maculatis: floribus spicatis.

Radix crassa fibrosa, ex qua folia prodeunt pedalia et amplius, lineari-acuta, rigida, canaliculata, maculata, interiora breviora, scapum amplexantia. Scapus teres foliis subæqualis, floribus tectus, quorum fasciculi ut plurimum quadriflori, ad fasciculi basim squama brevis acuta, inferne latior.

Corollæ initio virides, postea pallidæ, ac tandem albicantes. Tubus gracilis, teres, semipollicaris: laciniæ tubo longiores ut plurimum revolutæ.

Staminum filamenta alba: antheræ lutescentes.

Germen viride, glabrum: stylus staminibus crassior: stigma breve, pellucidum, peltatum.

Fructus initio viridis, tandem luteus: semen pulpa tectum, quam pellicula ambit.

Habitat.....  $\mathcal{Z}$  Floret Julio: fructum præbet Septembri.

*Explic.* tab. *a* Corolla expansa. *b* Fructus. *c* Semen. *d* Huius sectio.

*Obs.* Clarissimus Iacquinus in volumine primo horti Vindobonensis plantam dedit tabula 84 huic nostræ similem: notantur tamen in illa quædam, quæ in mea desiderantur; scapus scilicet violaceus punctis albicantibus maculatus; stylus filamentis duplo longior; atque semina mollia. Ad hæc, illius fructum esse dixit laudatus auctor baccam mollem subrotundam monospermam, qui in nostra componitur ex tribus drupis, nisi abortum patiatur. Rectius ille mea sententia drupam dixisset; verumtamen res nunc, non voces discutiendæ sunt. Vidit oculatissimus Iacquinus suam plantam ab aletri, aloë atque a notis omnibus generibus fructificatione diversam, tuncque candore, quo et scientia nemini cedit, plantam a dictis generibus amovendam esse dixit, innominatam relinquens. Venit postea D. de Lamarck qui nauci ducens Iacquini monita atque inventa ad aletrin reduxit plantam reluctantæ fructu: in quo minime laudandus videtur vir alioquin laude dignissimus et de Botanica benemeritus. Linnæo erranti condonandum est, quia flores numquam se vidisse dixit de aletri hyacinthoide tractans. Itaque operæ prætium duxi plantam delineare, eique nomen genericum imponere. Species sunt:

1. *Salmia spicata.*

2. *Salmia guineensis.* *Iacq. hort. vind. vol. 3. tab. 84.*

3. *Salmia ebracteata.* *Katu-Kapel hort. malav. vol. 11. tab. 42.*

(*a*) In honorem Ex. D. D. Caroli de Salm Salm fecit, mihiq; huius scientiæ prima rudimenta S. R. I. Principis, qui in Botanica multum pro- dedit.



PHLOMIS CRINITA. *Tab.* 247.

269. PHLOMIS foliis radicalibus cordatis, utrimque dense tomentosis: involucris setaceis, piloso-tomentosis.

Caulis tetragonus, sesquipedalis, ramis aliquot, annuus, tomento denso et candido cooperatus, quemadmodum et tota planta.

Folia radicalia cordata, ovato-acuta, integerrima, petiolis crassis adproximatis sustentata, quorum longitudo folio æqualis: superiora ovata, parce petiolata et subconnata: floralia bracteiformia, sessilia.

Flores verticillati, verticillis octofloris. Involucra setacea, erecta, tomentosa.

Calix oblongus, turbinato-pentagonus, dentibus quinque æqualibus terminatus.

Corolla monopetala, ringens, extus tomentosa, coloris dilute aurantii: labium superius fornicatum, incumbens, obsolete bifidum et ciliatum: inferius trifidum, lacinia media orbiculata, crenulata, atque denticulis duobus emarginata; lateralibus angustis brevioribus, inter quas et laciniam mediam denticulus brevis: tubus oblongus calicis longitudine, postea ampliatus.

Staminum filamenta quattuor, quorum duo longiora, omniaque recondita sub labio superiore: antheræ ovatæ, rubentes.

Germen quadripartitum: stylus longitudine et situ staminum: stigma subbifidum.

Semina quattuor, oblonga.

Habitat in montibus Valdignæ, præsertim in clivo versus Barig. ♀ Floret Maio, una cum Phlomide purpurea quam vivis coloribus et nitide dedit D. Smith tab. 7. Spicilegii botanici.

*Explic.* tabul. *a* Corolla. *b* Calix. *c* Involucris setæ. *d* Filamenta. *e* Germen, stylus. *f* Labium inferius corollæ postice spectatum.

SAXIFRAGA CUNEIFOLIA. *Tab.* 248.

270. SAXIFRAGA foliis cuneatis, quinquelobis; caulinis lanceolatis: floribus paniculatis.

Radix perennis ex qua cauliculi prodeunt semipedales, paniculati: steriles undique foliosi, foliis sparsis pedunculatis; floriferi longiores, parce foliosi, foliis lanceolatis sessilibus.

Folia glabra, subcarnosa, basi cuneata, limbo quinque-lobato, petiolis breviora.

Flores paniculati, ramulis foliosis, foliolis brevibus.

Calix quinquefidus, laciniis ovato-acutis, superis.

Corolla alba, pentapetala, petalis oblongis, obtusis, unguibus angustioribus.

Staminum filamenta decem, corolla breviora: antheræ ovatæ.

Germen semiinferum ovato-truncatum: styli duo subulati: stigmata obtusa.

Capsula ovata, birostris, unilocularis, polysperma.

Habitat in montibus frigidis prope Castellfort. ♀ Floret Iunio una cum Alyso spinoso, Saxifraga petrea, Coronilla emerus &c.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Petalum. *c* Germen cum stylis coronatum laciniis calicinis. *d* Genitalia. *e* Capsula.

PLANTAGO PILOSA. *Tab.* 249. *fig.* 1.

271. PLANTAGO foliis linearibus valde pilosis: spica conica brevi.

Radix capillaris ex qua scapus exurgit bipollicaris, tenuis valde pilosus, quemadmodum tota planta, terminatus spica brevi, conica.

Folia radicalia, linearia, pollicem longa, lineam lata, valde pilosa, limbo præsertim.



Flores spicati, unusquisque bractea suffultus concava, ovato-acuminata.  
 Calix brevissimus, profunde quadrifidus.  
 Corolla albicans, limbo quadrifido, laciniis acutis.  
 Stamina quattuor, capillaria, corolla longiora: antheræ ovatæ.  
 Germen superum, ovatum: stylus staminibus longior.  
 Habitat in incultis prope Torre de Espioca tertio a Valentia lapide. ☉ Floret Aprili.  
*Expl.* tab. *a* Bractea aucta. *b* Corolla aucta.

### ARENARIA TRIFLORA. *Tab.* 249. *fig.* 2.

272. *ARENARIA* caulibus diffusis; ramis erectis, subtrifloris: foliis lanceolato-subulatis, patentibus.  
 Caules palmares et amplius, copiosi, diffusi, graciles, duriusculi, subpubescentes: rami erecti, tripollicares, subtriflori.  
 Folia sessilia, opposita, lanceolato-subulata, basi ciliata, patentia, internodis longiora, e quorum axillis alia prodeunt quasi fasciculata: floralia breviora, ovato-acuminata.  
 Flores ramos terminant nunc solitarii nunc duo aut tres idque frequentius: pedunculi pubescentes, articulis caulinis longiores: pedicellus intermedius aphyllus, laterales longiores, bracteis duabus oppositis ovatis.  
 Calix ovato-acutus, erectus.  
 Corolla alba, calice duplo longior, petalis obovatis, oblongis, patentibus.  
 Filamenta decem, alba, petalis breviora: antheræ ovatæ, luteæ.  
 Germen viride: styli tres subulati: stigmata vix incrassata.  
 Capsula ovata, unilocularis, apice quinquefariam dehiscens. Semina minuta.  
 Habitat passim in montibus de la Murta, Vilafames et alibi. Floret Maio et Iunio.  
*Explic.* tab. *c* Flos postice spectatus. *d* Petalum. *e* Germen *f* Stamina. *g* Capsula dehiscens.

### IPOMOEA STANS. *Tab.* 250.

273. *IPOMOEA* caule suffruticoso, ramoso, erecto: foliis cordatis ovato-truncatis, dentatis: floribus axillaribus, solitariis.  
 Caulis teres, erectus, ramis alternis.  
 Folia alterna, adproximata, vix pollicaria, cordata, ovata, apice oblique truncata, dentata, rugosa, petiolis brevibus sustentata.  
 Flores axillares, solitarii, magni, pedunculo foliis breviora, bi-squamato.  
 Calix cylindricus, profunde quinque-partitus, laciniis inæqualibus linearibus obtusis.  
 Corolla dilute violacea, campanulata, limbo subquinque-lobato, lobis rotundatis: tubus albicans.  
 Staminum filamenta quinque, subulata, basi tomentosa, imo tubo inserta quorum duo breviora: antheræ erectæ, albicantes, oblongæ, basi emarginatæ.  
 Germen ovatum: stylus filiformis vix staminum longitudine: stigma bilobum alveolare, album.  
 Fructus.....  
 Habitat..... Floruit in Regio horto Matritense mense Augusto et Septembri.  
*Expl.* tab. *a* Corollæ sectio ut genitalia appareant.

### ZINNIA REVOLUTA. *Tab.* 251.

274. *ZINNIA* foliis ovato-lanceolatis, cordatis, scabris; radiorum apicibus revolutis.  
 Caulis pedalis, teres, scabriusculus, ramis oppositis.



Folia ovato-lanceolata, cordata, scabra, subsessilia.

Flores terminales, solitarii.

Calix communis ovato-cylindricus, lævis, imbricatus, squamis obtusis.

Corolla composita, radiata: in radiis feminæ octo, lineares oblongæ, apice emarginato, revoluta, superne coccineæ, inferne viridi-lutescentes, obscure villosæ: in centro flosculi hermaphroditi, tubulosi, tubo gracili, limbo quinque-partito revoluta, intus luteo et villoso.

Staminum filamenta in hermaphroditis quinque, capillaria, alba: anthera cylindræa: in feminis nulla.

Germen in hermaphroditis oblongo-ovatum, apice aristatum; stylus capillaris luteus: stigmata duo. Feminis vero germen nonnihil compressum: stigmata divaricata.

Receptaculum paleaceum, paleis apice rubentibus, fimbriatis.

Habitat in Imperio Mexicano. ☉ Floret Augusto in Regio horto Matritense.

*Explic.* tab. *a* Flos postice spectatus. *b* Flosculus cum palea. *c* Limbus auctus. *d* Radius.

### RUDBECKIA PERFOLIATA. *Tab.* 252.

275. *RUDBECKIA* foliis alternis, ovato-lanceolatis, cordatis sub-perfoliatis.

Caulis sesquipedalis ramosus, ramis alternis, glabris.

Folia ovato-lanceolata, cordata, caulem ita amplexantia ut perfoliata videantur.

Flores terminales, solitarii.

Calix duplici squamarum ordine, laciniis acutis, interioribus brevioribus.

Corolla composita, radiata: radii neutri lutei, fere septem, lato-ovati, apice trifido, laciniis obtusis, media angustiore: in centro conico flosculi numerosi, nigricantes, tubulosi, breves, limbo quinquefido, revoluta, dependente.

Staminum filamenta quinque, brevissima: anthera cylindræa, cuius polen luteum.

Germen minimum, turbinatum: stylus filiformis: stigmata fusca revoluta.

Receptaculum conicum, semipollicare, paleaceum: paleæ ovato-concavæ, apice fusco, retuso.

Semina fusca, turbinata, coronata margine, lente vitrea conspicuo, in quo nullos vidi dentes.

Habitat cum præcedente. ☉ Floret Augusto.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Radius. *c* Flosculus centralis. *d* Idem auctus ad cuius latus squamula aucta. *e* Semen. *f* Idem auctum. *g* Fructus sectus, ut receptaculum appareat.

### SIEGESBECKIA TRIANGULARIS. *Tab.* 253.

276. *SIEGESBECKIA* foliis oppositis, subtriangularibus, inæqualiter dentatis.

Caulis herbaceus, teres, obscure tomentosus, ramis oppositis dichotomis.

Folia opposita, mollia, scabriuscula, subtriangularia, inæqualiter dentata, et prope angulos laterales lobata, maiora præsertim: petioli folio breviores.

Flores solitarii in dichotomia, pedunculis brevibus.

Calix communis exterior pentaphyllus, foliolis subspatulatis, flore longioribus, quorum margines glandulas sustinent pedicellatas: interior angulatus, foliolis ovatis concavis glandulosis.

Corolla composita radiata: radii sex aut septem lutei breves, lati, tridentati, fertiles: in centro flosculi hermaphroditi plures, tubulosi, breviores, quinque-dentati: in quibus stamina quinque et anthera cylindræa.

Germen omnibus turbinatum, incurvum, tetragonum: stylus filiformis: stigma bifidum.

Semina solitaria, germinis figura, in paleis concavis deciduis semirecondita.

Receptaculum paleaceum, paleis similibus calicis interioris squamis: papus nullus.



Habitat in Imperio Mexicano. ☉ Floret in Regio horto Matritense Augusto et Septembre.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer auctus. *b* Radius ad cuius latus squamula. *c* Germinis sectio.  
*d* Flosculus hermaphroditus. *e* Semen. *f* Idem auctum.  
*Obs.* Non omnes flosculi centrales semina ferunt.

### RUELLIA OVATA. *Tab.* 254.

277. *RUELLIA* foliis ovatis, villosis, ciliatis; floribus axillaribus ternis, sub-sessilibus; bracteis linearibus, acutis.  
 Radix fibrosa, ex qua caules prodeunt prostrati, herbacei, pilosi, subtetragoni, vix semipedales, ramis aliquot ex foliis inferioribus.  
 Folia opposita, ovata, mollia, villosa et ciliata, tenera præsertim, uninervia nervo utrimque ramoso, atque in petiolum brevissimum terminata.  
 Flores versus caulis apicem axillares, terni, subsessiles, bracteis stipati linearibus acutis.  
 Calix monophyllus, profunde partitus in quinque lacinias, lineari-acutas, erectas, ad lentem vitream ciliatas, persistentes.  
 Corolla monopetala subcampanulata, saturate cærulea: tubus calicis longitudine, teres, gracilis, albus, ampliatur postea usque ad faucem patulam, coloremque induit cæruleum: limbus quadripartitus, laciniis subæqualibus rotundatis, crenulatis.  
 Staminum filamenta quattuor alba, in dilatatione tubi posita, per paria adproximata, non exerta: antheræ ovatæ, albicantes.  
 Germen superum, ovatum: stylus filiformis: stigma spatulatum, nonnihil deflexum.  
 Capsula ovato-oblonga, utrimque attenuata, bilocularis, bivalvis, dissepimento valvulis opposito, bipartibili longitudinaliter, unguiculis elastice deshiscente. Semina orbiculata, compressa, villosa.  
 Habitat in Imperio Mexicano. ♀ Floret et fructificat mense Augusto in Regio horto Matritense.  
*Explic.* tab. *a* Calix expansus germen continens. *b* Stamina corollæ expansæ et revolutæ adfixa. *c* Fructus ad cuius basim bractææ. *d* Capsula dehiscens. *e* Capsulæ medietas, cuius dissepimentum armatum unguibus. *f* Semen.  
*Obs.* Stigma est certe spatulatum albicans, minime bifidum in hac et in sequente.

### RUELLIA LACTEA. *Tab.* 255.

278. *RUELLIA* caule herbaceo, tomentoso-lanato: foliis ovatis, subcuneatis, ciliatis: floribus axillaribus, nudis.  
 Ex radice fibrosa, perenante caulis adsurgit pedalis obscure tetragonus, lana, aut tomento si mavis tectus præsertim tener, ramis aliquot.  
 Folia opposita, lato-ovata, uninervia, nervo ramoso, ciliata, basi cuneata, in petiolum desinentia, connata.  
 Flores axillares, in caulis fastigio: pedunculi breves, dichotomi, in dichotomia flos solitarius, subsessilis: bractææ nullæ.  
 Calix profunde partitus in quinque lacinias subulatas, pilosas, quarum altera paulo longior.  
 Corolla ut in præcedenti attamen ita dilutior ut ad colorem lacteum accedat: tubi etiam pars calice contenta gracillior et longior.  
 Reliqua ut in precedenti.  
 Habitat ibidem. ♀ Floret et fructificat in Regio horto Matritense mense Augusto.  
*Explic.* tab. *a* Florum ramulus. *b* Corolla. *c* Calix fructifer. *d* Capsula dehiscens. *e* Huius dimidia pars. *f* Semen.



IPOMOEA PENTAPHYLLA. *Tab. 256.*

279. IPOMŒA caule fruticoso, filiformi, volubili: foliis quinatis, glabris: floribus axillari-  
bus, pedunculo solitario.

Caulis debiles, fruticosi, volubiles, quinque et amplius pedes longi glaberrimi ut et tota  
planta.

Folia alternantia, petiolo semipollicari sustentata, in cuius apice sedent foliola quinque,  
ovata, integerrima, inæqualia, superiore longiore, inferioribus brevibus.

Flores axillares: pedunculi solitarii uni-aut triflori.

Calix ovato-oblongus, profunde 5-partitus, laciniis ovatis coriaceis, quarum duæ exteriores  
punctis protuberantibus exasperatæ.

Corolla campanulata, dilute rosea ad album accedens, excepta tubi parte interna et fauce  
quæ violacea sunt. Tubi pars calice contenta gracilis, a calice usque ad limbum am-  
plior, cylindrica. Limbus semiquinque-partitus laciniis ovatis, crenulatis.

Staminum filamenta quinque, breviora quam in præcedentibus huius voluminis speciebus,  
inæqualia, tria breviora: omnium basis crassior, parce tomentosa, affixa tubi parti angu-  
stiori: antheræ sagittatæ.

Reliqua ut in præcedentibus.

Colitur in R. horto Matritense, ex seminibus missis ab Hispanis qui orbem circumeunt. 2

Floruit mense Augusto 1794.

*Explic. tab. a* Tubus. *b* Calix. *g* Germen. *d* Stamina.

CACALIA LINARIA. *Tab. 257.*

280. CACALIA foliis linearibus, sparsis, integerrimis, ad limbum porosis, floribus so-  
litariis.

Caulis suffruticosus, teres, glaucus ut et tota planta, glaberrimus, sesquipedalis, valde  
ramosus.

Folia sparsa, sessilia, linearia, subcarnosa, sesquipollicem longa, semilineam lata, subca-  
naliculata: nervi longitudinali loco linea pellucida observatur, et prope limbum pori  
ovati translucidi.

Flores solitarii, terminales, pedunculis 3-4-pollicaribus inferne foliosis.

Calix simplicissimus, pentagonus, pentaphyllus, foliolis ovatis, carinatis, saturate viola-  
ceis, erectis, submenbranaceis.

Corolla composita tubulosa: flosculi multi, saturate purpurei, vix calice longiores, her-  
maphroditi; limbus quinque-partitus nunc erectus, nunc patens.

Staminum filamenta quinque, alba, capillaria: anthera fusca, cylindræa.

Germen oblongum: stylus filiformis: stigmata fusca divaricata subvillosa.

Receptaculum nudum: papus pilosus, sessilis, longus, subvillosus.

Semina solitaria, germinum figura.

Habitat in Nova-Hispania, nunc primum introducta in Regium hortum Matritensem. Flo-  
ruit Augusto 1794.

*Explic. tab. a* Folium auctum ut pori conspiciantur. *b* Calicis folium. *c* Flosculus.  
*d* Idem auctus. *e* Corollæ sectio, ubi stamina. *f* Germen, stylus, stigmata aucta.

*Obs.* Ad Cacaliam suffruticosam Linnæi accedit hæc planta: nihil ipse dixit de fo-  
liorum poris, qui in nostra numerosi sunt et patentissimi; folia ulterius minime carnosa  
esse in sua planta scripsit, quæ subcarnosa in hac video: diverso itaque nomine nunc  
prodeat.



GAURA MUTABILIS. *Tab.* 258.

281. GAURA foliis sessilibus, alternis, serratis: petalis orbiculato-acutis.  
 Caulis sesquipedalis, teres, rubescens, subvillosus, ut et tota planta, ramis alternis.  
 Folia alterna, sessilia, ovato-lanceolata, parce serrata, nonnihil glauca.  
 Flores subracemosi, versus ramulorum apices: flos quilibet basi bracteatus, bractea brevi, acuta.  
 Calix cylindricus ex quattuor foliolis linearibus in cylindrum adproximatis, rubeo-luteis: expanso flore dehiscit et contra pediculum aut calicis productionem reflectitur.  
 Corollæ petala quattuor, orbiculato-acuta, in spiram initio convoluta, postea in campanam aperta; inserta summo tubo filiformi, sesquipollicari, a germine ad ipsa excurrente; horum color ante expansionem luteus; postea dilute phœniceus: exsiccatione atro-rubens.  
 Staminum filamenta octo, lutea, corolla paulo longiora: antheræ lineares versatiles. Stamina sunt etiam inserta in tubi apice in orbem disposita, expanso tamen flore unilateralia apparent, quod minime observatur in petalis.  
 Germen inferum, ovatum, striatum, quadriloculare, embryonibus quattuor, quorum unicum restat, unicumque loculamentum: stylus staminibus longior, tubo vaginatus: stigmata quattuor subulata, in crucem aperta. Germinis sectio quattuor sistit maculas in corticis crassitie.  
 Fructus est nux oblonga, utrimque attenuata, tetragularis, sulcata, semen unicum continens album oblongum.  
 Habitat in Nova-Hispania. Floruit Augusto in Regio horto Matritense.  
*Explic.* tab. *a* Floris capitulum cui subiectum germen. *A* Germinis aucti sectio, ut loculamenta et maculæ conspiciantur. *b* Petalum. *c* Genitalia. *d* Fructus. *e* Huius sectio. *f* Eadem aucta.

SOLANUM TRIQUETRUM. *Tab.* 259.

282. SOLANUM caule triquetro, foliis cordatis in lanceæ ferrum productis.  
 Caulis fruticosus, humifusus, ramosus, quattuor pedes longus, triquetrus, præsertim tener, glaber, ut et tota planta.  
 Folia alterna, cordata, inferiora ovato-acuminata, superiora lanceæformia, sæpius dependentia: petioli foliis multoties breviores.  
 Flores oppositifolii, umbellati, cernui, pedunculo communi subnullo bifido, partialibus semipollicaribus.  
 Calix turbinatus, monophyllus, semiquinquepartitus, laciniis acutis.  
 Corolla alba, rotata, limbo profundissime partito in quinque lacinias lineares crispas.  
 Staminum filamenta brevissima: antheræ oblongæ, erectæ, in cylindrum adproximatæ, luteæ, perforatæ.  
 Germen globosum: stylus viridis antheris longior: stigma globosum.  
 Fructus penduli, baccæ scilicet globosæ, pisi magnitudine.  
 Habitat in Nova-Hispania. ¶ Colitur in Regio horto Matritense, ubi floruit mense Septembri.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Fructus. *c* Folium inferius.

COREOPSIS ALLATA. *Tab.* 260.

283. COREOPSIS caule alato: foliis lanceæformibus, denticulatis, scabris, alternis.  
 Caulis tripedalis, alatus, scaber, ramosus, ramis alternis.



Folia alterna, scabra, lanceæformia, denticulata, basi in petiolum alatum terminata, alis per caulem decurrentibus.

Flores terminales, solitarii, pedunculis elongatis, alatis.

Calix hemisphæricus, imbricatus, foliolis ovatis, inverse carinatis, scabris, crispis.

Corolla lutea radiata: radii subquattuordecim, ovato-oblongi, tricrenati, quorum germina minima, ovata, alata, effoeta, stylo et stigmatibus destituta: flosculi centrales tubulosi, limbo quinque-fido; horum germen ovato-compressum, margine membranaceo cinctum, terminatumque apice duobus denticulis subulatis: stylus filiformis: stigma bifidum, divaricatum. Filamenta quinque, capillaria, brevissima: anthera fusca, cylindracea.

Receptaculum paleaceum, paleis carinatis, apice luteis, semine longioribus.

Semina hermaphroditis solitaria, figura germinis: feminis nulla.

Habitat prope Mexico. ♀ Floret Septembri in Regio horto Matritense.

*Explic.* tab. *a* Flos integer postice spectatus. *b* Squamula calicina. *c* Radius. *d* Flosculus hermaphroditus auctus et semisectus. *e* Semen. *f* Palea.

*Obs.* Hæc planta differt a *Verbesina radiis sterilibus*; ab *Heliantho seminibus margine membranaceo*.

### CISTUS GLAUCUS. *Tab.* 261.

284. *CISTUS* caule suffruticoso, stipulato: foliis ovatis glaucis margine revolutis: floribus racemosis.

Caulis semipedalis, erectus, suffruticosus, ramis oppositis.

Folia opposita, ovata, tomentosa, glauca, limbo revolutis: petioli breves. Stipulæ subulatæ, quarum quædam post foliorum casum in spinularum formam remanent.

Flores racemosi, racemis terminalibus: flos quilibet pedunculatus ad cuius basim bracteola evanescens.

Calix tomentosus, cuius foliola tria maiora striata, duo reliqua exteriora brevia.

Corolla lutea petalis subcrenulatis.

Staminum filamenta numerosa: antheræ luteæ ovatæ.

Germen superum ovatum villosum: stylus staminibus longior: stigma capitatum.

Capsula calice tecta, trivalvis, polysperma: semina minuta.

Habitat copiose in monte Palomera ditionis Ayorensis in regno Valentino. ♀ Florebat mense Junio ibique *Statice alliacea*, *Arenaria tetraquetra*, *Herniaria fruticosa*, *Illecebrum cymosum*, *Dictamnus albus*, *Buplevrum odontites*, rigidum et frutescens, *Teucrium polium*, aureum, *chamædris*, saxatile, *Cistorumque plurimæ species*.

*Explic.* tab. *a* Petalum. *b* Germen. *c* Capsula supra calicem expansum. *d* Eadem dehiscens. *e* Semen.

### CISTUS ORIGANIFOLIUS *Lamarck. Tab.* 262. *fig.* 1.

285. *CISTUS* suffruticosus exstipulatus: foliis oppositis, petiolatis, ovatis, utrimque pilosis. *Lamarck. Dict. vol. 2. n. 35.*

Caules suffruticosi, diffusi, ramis oppositis, semipedales, cortice rubente villosi tecti.

Folia opposita, ovata, origano vulgari similia, utrimque pilosa limbo præsertim, uninervia, nervo ramoso patenti: petioli breves valde villosi. Stipulæ nullæ.

Flores racemosi, racemis terminalibus, binis.

Calix ovatus, purpureo-viridis, parce villosus, quinquephyllus, foliolis duobus exterioribus brevibus setaceis.

Corolla lutea, minuta, vix calice maior, petalis integerrimis.

Stamina corolla dimidio breviora, lutea.

Germen ovatum: stylus staminum longitudine: stigma capitatum.

Capsula intra calicem, trivalvis polysperma.



Habitat in montibus oppidi Sierra d'Engarceran.  $\bar{h}$  Floret Septembre una cum Euphorbia spinosa, terracina etc.

*Explic.* tab. *a* Germen. *b* Capsula. *c* Semen.

### CISTUS MOLLIS. *Tab.* 262. *fig.* 2.

286. CISTUS suffruticosus exstipulatus: foliis oppositis suborbiculatis valde tomentosis. Caules suffruticosi, rubentes, difusi, semipedales, ramosi, tomentosi. Folia suborbiculata, opposita, petiolata, mollia, tomentosa, nervis oblitteratis. Stipulae nullae. Flores racemosi, racemis terminalibus, solitariis. Calix ut in praecedenti, at pilis albis numerosis tectus. Corolla lutea triplo maior quam in praecedenti, cum quo in reliquis convenit. Habitat prope cacumen montis Peñagolosa.  $\bar{h}$  Floret Iunio.
- Obs.* Planta praecedenti affinis, a qua differt foliis mollissimis tomentosis suborbiculatis, tum corollae magnitudine et racemis solitariis.

### CISTUS DICHOTOMUS. *Tab.* 263. *fig.* 1.

287. CISTUS suffruticosus, exstipulatus, dichotomus: foliis ovatis, oppositis, glabris: floribus racemosis. Caules suffruticosi, filiformes, dichotomi, prostrati, pedales. Folia opposita, ovato-acuta, parva, glabra, crassiuscula, subsessilia, thymi pipirellae aemula. Stipulae nullae. Flores racemosi, racemis in dichotomia et terminalibus; flos quilibet pedunculatus. Calix glaberrimus, ovatus, minimus; foliolis duobus exterioribus brevissimis. Corolla saturate lutea, minuta. Capsula trilocularis, trivalvis, valvulis in stellam apertis: semina duo in quolibet loculamento, nigra. Reliqua ut in praecedentibus. Habitat in montibus Ayodar.  $\bar{z}$  Floret Iunio et Augusto. Crescunt ibidem Cistus populi-folius, tuberaria, ericoides, albidus, salviaefolius, numularius, fumana, Clypeola maritima, Geranium robertianum et malacoides, Fraxinus ornus, Smilax aspera, Quercus suber, Pinus sylvestris, Pistacia lentiscus, terebinthus, Arbutus unedo, Viburnum tinus etc.

### CISTUS STRICTUS. *Tab.* 263. *fig.* 2.

288. CISTUS stipulatus: caule suffruticoso erecto: ramis oppositis strictis: foliis subsubulatis canis. Caulis suffruticosus, erectus, semipedalis, ramis pluribus oppositis, strictis, tomento brevi cano obductis. Folia opposita, subsessilia, angustissima, limboque ita revoluta ut subulata appareant, canescentia, apice pilis paucis terminata. Stipulae subulatae subrubentes. Flores racemosi terminales: flos quilibet pedunculatus, pedunculis canis, fructiferis cernuis. Calix glaber striatus, ovatus, foliolis duobus exterioribus brevioribus. Corolla alba, triplo maior quam in praecedente, cum quo in ceteris convenit, fructu fortasse excepto quem non vidi. Florebat in monte Palomera mense Iunio.  $\bar{h}$
- Explic.* tab. *a* Calix auctus. *b* Germen. *c* Folia cum stipulis aucta.



TAGETES LUCIDA. *Tab. 264.*

289. TAGETES foliis simplicibus, connatis, ovatis, argute serratis, ciliatis.

Caulis teres, rubescens, pedalis, ramis oppositis, glabris.

Folia opposita, sessilia, connata, lucida, ovata, argute serrata, serraturis in setulam terminatis, ita ut ciliata appareant.

Flores corymbosi, terminales, pedunculis ebracteatis, sæpius bifloris.

Calix communis simplicissimus, monophyllus, tubulosus, apice novemdentatus.

Corolla composita, saturate lutea: hermaphroditorum corollæ plures in disco, tubulosæ, limbo quinquefido, laciniis acutis villosis: feminarum tres, aliquando quattuor in radiis, rotundatæ, subcrenatæ.

Stamina in feminis nulla: in hermaphroditis quinque brevissima: anthera lutea, cylindracea.

Germen omnibus oblongum, fertile: stylus filiformis: stigmata reflexa.

Semina linearia, compressa: papus aristatus, aristis luteis, inæqualibus, sæpe quinque.

Habitat in Nova-Hispania. ♀ Floridam vidi in Regio horto Matritense die 22 Octobris 1794.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Idem auctus et expansus. *c* Radius. *d* Huius germen auctum. *e* Flosculus hermaphroditus. *f* Idem auctus.

DAHLIA ROSEA. *Tab. 265.*

290. DAHLIA foliis oppositis, connatis, impari-bipinnatis: pinnulis secundariis ut plurimum alternis.

Caulis teres obscure violaceus, quattuor pedes altus, ramis oppositis.

Folia opposita, connata, impari-bipinnata: pinnulæ ovatæ, crenato-dentatæ, limbo superiore prope basim brevior: pinnulis secundariis nunc alternis, nunc oppositis: petiolus communis superne excavatus, vixque alatus. Foliorum color antica superficie saturate viridis ad fuscum accedens: postica albidus.

Flores terminales, solitarii, magni.

Calix duplex: exterior ex sex aut septem foliolis ovatis, striatis, patulo reflexis: interior longior, ciathyformis, ex tot laciniis lanceolatis, quot sunt radii: laciniæ adeo profunde fissæ sunt, ut calix hic polyphyllus dici possit.

Corolla composita, radiata: radii octo, rosei, feminei, sesquipollicares, ovati, apice obscure tridentati: in centro flosculi hermaphroditus, lutei.

Reliqua ut in Dahlia pinnata pag. 57 primi voluminis.

Habitat in Mexico. ♀ Floret Octobri in Regio horto Matritense.

*Explic. tab. a* Calices.

DAHLIA COCCINEA. *Tab. 266.*

291. DAHLIA foliis bipinnatis: pinnulis ovato-acuminatis, serratis.

Caulis teres, viridis, ramosus, præcedentis altitudine.

Folia impari-pinnata, pinnulis inferioribus iterum pinnatis petiolatis oppositis: pinnulæ omnes sunt ovato-acutæ, acumine producto, serratæ, pagina superiore læte virentes scabriusculæ, inferiori læves glaucæ: petioli communes oppositi, connati, graciles, superne sulcati.

Flores solitarii, terminales.

Calicis exterioris foliola quinque, reflexa.

Radii octo pagina superiore coccinei, inferiore lutescentes, pollice breviores.

Reliqua ut in præcedenti.



Habitat in Mexico. ♀ Florebat cum præcedente.

*Explic.* tab. *a* Flosculus radii. *b* Calices.

*Obs.* Tres hucusque novimus Dahliæ species. Prima est flore pleno cuius color coeruleo-rubens; secunda flore simplici coloris rosei; tertia coccinei. In prima folia sunt simpliciter pinnata, pinnulis sessilibus decurrentibus: in secunda et tertia bipinnata, pinnulis petiolatis, minime decurrentibus. Istæ in secunda nigrescunt, limboque gaudent versus basim altera parte brevior, quarum secundariæ ut plurimum alternæ: in tertia tandem, cuius omnes partes breviores sunt, foliorum color est dilutior, pinnularum apex productior et antica superficies scabriuscula.

## HETEROSPERMA. <sup>(a)</sup>

### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis simplicissimus, profunde 3-4 partitus, laciniis linearibus.

Corolla composita, radiata. Corollulæ hermaphroditæ plures in centro, tubulosæ, limbo quadripartito. Radii fertiles, 3-4, quorum corolla ligulata, brevis, trifida.

Stamina in radiis nulla; in hermaphroditis quattuor brevissima: anthera cylindracea.

Germen omnibus, tribus aut quattuor centralibus exceptis, ovatum, compressum, marginatum: stylus filiformis: stigmata revoluta.

Semen ovatum, cinctum membrana intus concava; in centro semina reperiuntur tria aut quattuor linearia, rostro aucta apice biaristato.

Receptaculum paleaceum, paleis ovatis.

*Obs.* Herba tripedalis ramis oppositis, foliis pinnatis. Centralia semina non omnia sed tria aut quattuor dumtaxat Bidentis semina æmulantur; reliqua tam radiorum quam hermaphroditorum cymbiformia, ovata.

## HETEROSPERMA PINNATA. *Tab.* 267.

292. HETEROSPERMA caule herbaceo: foliis pinnatis; pinnulis linearibus.

Caules herbacei, sulcati, tripedales, ramis oppositis.

Folia opposita, glaberrima, connata, pinnata cum impari, pinnulis linearibus acutis.

Flores terminales, pedunculis unifloris, sesquipollicaribus.

Calicis laciniæ profundissimæ, lineari-acutæ, flore longiores, basi ciliatæ.

Corollulæ luteæ: radii semilineam longi. Anthera fusca.

Paleæ ovatæ, striatæ, flosculos fere sexdecim distinguentes; radiorum violaceo-fusæ, hermaphroditorum luteæ.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Nova-Hispania. ☉ Florebat in Regio horto Matritense mense Octobri 1794.

*Explic.* tab. *a* Flos integer auctus. *b* Radius, cui subiecta palea. *c* Idem auctus. *d* Flosculus hermaphroditus. *e* Idem auctus. *f* Huius stamina. *g h* Radiorum et hermaphroditorum semina. *i k l* Centralia.

## COREOPSIS HETEROPHYLLA. *Tab.* 268.

293. COREOPSIS foliis radicalibus panduriformibus, crenatis; caulinis lanceolatis serratis.

Caules herbacei, pedales, teretes, crassi, subtomentosi.

(a) A seminum diversa forma nomen desumptum est.



Folia scabra, radicalia numerosa, pedalia, panduriformia, in petiolum alatum atenuata, crenata: caulina sessilia, lanceolata, serrata, alterna.

Flores magni, solitarii, axillares, pedunculis elongatis, versus apicem incrassatis.

Calix communis polyphyllus, urceolatus, laciniis pollicaribus, ovato-lanceolatis, ciliatis, scabris.

Corolla composita. Radii plures, dilute violacei, pollicares, ovato-oblongi, apice obtuso tricrenato, quorum germen turbinatum compressum, stylus simplex et stigmata brevia. Flosculi centrales hermaphroditi, quorum corollulæ luteo-virides tubulosæ, pedicellatæ, limbo quinquefido: in his germen maius quam in femina, stylus exertus, et stigmata revoluta; staminum filamenta quinque capillaria, anthera cylindracea apice quinque-dentata.

Receptaculum nonnihil convexum, paleaceum, paleis ovato-acutis compressis.

Non perfecit semina: radiorum germina videbantur sterilia; hermaphroditorum hinc convexa, inde cava, apiceque bicornia. Perit planta, ulterius examinanda, ut ad debitum genus revocetur; nunc autem inter Coreopsides prodeat.

Habitat in Nova-Hispania. Floruit in dicto horto mense Octobri 1793.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Flosculus hermaphroditus, cui subiecta palea. *c* Huius corolla expansa. *d* Antheræ pars aucta.

### BIGNONIA<sup>?</sup> LINEARIS. *Tab.* 269.

294. BIGNONIA<sup>?</sup> caule fruticoso: foliis sparsis, subternis, linearibus, acutissimis.

Caulis fruticosus, teres, quattuor pedes altus, cuius cortex fuscus, ramique virgati.

Folia sparsa, subterna, glaberrima, lineari-acutissima, uninervia, subsessilia.

Flores terminales, ramoso-umbellati, cernui; quorum pedunculi breves, bracteola instructi setacea decidua.

Calix ovatus, monophyllus in duas, tres, aliquando etiam in quattuor lacinias ovatas partitus, villosus.

Corolla rosea, monopetala, campanulata, limbo quinquepartito, lobis rotundatis crispis, quorum tres inferiores saturatiores interna superficie, et patuli; duo superiores erecto-reflexi. Tubus sensim amplior, inferne sulcatus et albicans.

Staminum filamenta quinque, subulata, corolla breviora, imæ corollæ parieti adfixa: duo sunt reliquis longiora, et quintum omnium brevius castratum: antheræ quattuor, ovatæ, bivalves.

Germen oblongum, teres: stylus albus staminibus paulo longior: stigma bifidum, lamellis divaricatis.

Nondum fructificavit, quotannis florens mense Septembri in Regio horto Pharmaceutico.

Ignoratur patria. *h*

*Explic.* tab. *a* Corolla expansa, et revoluta ut stamina conspiciantur. *b* Germen.

*Obs.* Inter Bignonias nunc prodeat, postea separanda si fructus requirat.

### CERBERA OVATA. *Tab.* 270.

295. CERBERA foliis ovatis, sparsis, subsessilibus: floribus terminalibus subquinis.

Caulis fruticosus, bipedalis (hic in caldario) cuius cortex viridis et subtomentosus, tener præsertim.

Folia sparsa, subsessilia, ovata, uninervia, nervo ramoso, superne viridia, inferne glauca et obscure tomentosa.

Flores terminales, pedunculis pollicaribus, quattuor aut quinque in ramorum summitate.

Calix quinquephyllus, foliolis ovato-acutis revolutis, bassi connatis.



Corolla saturate lutea, infundibuliformis: tubus pentagonus, coriaceus, cuius faux interior squamulis quinque clausa, quæ stamina tegunt, unde sensim ampliatur: limbus quinquepartitus patens, laciniis falcatis, apice latioribus.

Staminum filamenta quinque brevissima, tubi pentagoni apice inserta: antheræ subsagittatæ, didymæ conniventes, arista brevi terminatæ.

Germen superum ovatum, cinctum corpusculo pentagono: stylus filiformis tubi longitudine: stigma miro modo clavatum; umbellam nempe refert, cuius limbus inferior quasi fimbriatus foveolis decem, tectis superne pellicula circulari, in cuius centro stigma existit ovato conicum bifidum.

Nondum fructificavit.  $\hbar$  Tota planta lactescit.

Habitat in Nova-Hispania. Floret mense Septembri in Regio horto Matritense.

*Explic.* tab. *a* Tubus cum squamulis et corollæ pars. *b* Idem tubus expansus ut stamina appareant sub squamulis. *c* Stamen auctum. *d* Germen, stylus, stigma. *e* Eadem aucta.

### PSORALEA CITRIODORA. *Tab.* 271.

296. PSORALEA foliis impari-pinnatis, pinnulis ovatis, glabris, eglandulosis: floribus spicato-capitatis.

Caulis herbacei, pedales, reclinati, ramis aliquot glaberrimis ut et tota planta, quæ odorem spirat citri.

Folia pinnata cum impari, decemiuga, pinnulis ovatis, absque glandulis aut poris pellucidis. Stipulæ subulatæ marcescentes.

Flores capitato-spicati, sustentati pedunculo communi bipollicari solitario axillari: flos quilibet suffultus bractea ovato-acuta, setula terminata.

Calix campanulatus, tomentosus, minimus, ore quinque-dentato.

Corolla pentapetala. Vexillum breve, concavum, album, adsurgens, cuius unguis teres arcuatus, basi germinis adfixus: alæ et carina ovatæ, rubentes, basi albicantes, ibique lunatæ; non fundo calicis, sed staminum tubo insertæ, unguibus brevibus.

Stamina monadelphæ: tubi apex in decem lacinias capillares partitus: antheræ decem, ovatæ, nigricantes.

Germen ovatum, minimum, apice villosum: stylus filiformis adsurgens: stigma simplex.

Legumen minimum, ovato-reniforme, monospermum.

Habitat in Nova-Hispania. ☉ Florebat cum præcedente mense Octobri.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali cui subiecta bractea. *b* Calix auctus et expansus. *c* Flos auctus absque calice. *d* Germen auctum.

### HELIANTHUS QUINQUE-RADIATUS. *Tab.* 272.

297. HELIANTHUS caule fruticoso: foliis ovato-lanceolatis, serrato-crenulatis: floribus corymbosis, quinque-radiatis.

Caulis fruticosus, tripedalis, ramosus, tener subtomentosus.

Folia alterna, utrimque subtomentosa, ovato-lanceolata, basi cuneata, serrato-crenulata, petiolis longiora.

Flores corymbosi, corymbo terminali denso.

Calix communis ovato-oblongus, imbricatus; squamulis internis erectis, longioribus, carinatis; exterioribus apice reflexo.

Corolla saturate lutea, composita. Radii quinque neutri, ovati, tridentati. In centro flosculi plures hermaphroditi, quorum corollulæ tubulosæ, limbo quinquepartito laciniis revolutis.

Stamina quinque: anthera cylindracea.



Germen oblongum, compressum, subpilosum, coronatum setulis duabus, inter quas pili breves: stylus filiformis: stigmata revoluta.

Receptaculum paleaceum, paleis carinatis apice subtrifidis.

Semina solitaria, oblonga, obtusa, pilis adpressis, coronata setulis duabus.

Habitat in Nova-Hispania.  $\text{h}$  Floret Decembre in Regio horto Matritense.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Calix. *c* Flosculus hermaphroditus, cui subiecta palea. *d* Palea expansa. *e* Semen, *f* Idem auctum.

### MILIUM LATIFOLIUM. *Tab.* 273.

298. MILIUM culmo ramoso; paniculae ramis simplicissimis: floribus cernuis muticis, duplici ordine imbricatis.

Culmi bi-tripediales, ramosi, ramis alternis, nodis incrassatis, purpureo-fuscis.

Folia alterna, per duos aut tres pollices culmum vaginantia, vagina apice coarctata, ubi folium ampliatur, estque ovato-lanceolatum, glabrum, acutum, longitudine quinquies latitudinem superante.

Flores paniculati, panicula erecta, quattuor aut quinque pollices longa, cuius ramuli simplicissimi, sparsi, adproximati, in foliolum lineare ampliati, quo teguntur florum insertiones. Flores hi sunt secundi, duobus ordinibus imbricati, quindecim fere in unaquaque linea.

Calix: gluma uniflora bivalvis, valvulis ovatis, æqualibus, parallelis, viridi-violaceis: harum superficies exterior, apice et dorso exceptis, rugosa, rugis a limbo prodeuntibus, parallelis.

Corolla: gluma bivalvis, valvulis perlucidis, calice triplo brevioribus.

Staminum filamenta tria, capillaria, alba, calice duplo longiora: anthera violacea, oblonga, utrimque bifida.

Germen minimum: styli duo, calice longiores divaricati, basi nudi, versus apicem penicilli-formes.

Habitat in Peru. ☉ Vulgo Maycillo, id est parva Zæa. Floret autumno in Regio horto Matritense.

*Explic.* tab. *a* Flos integer auctus. *b* Idem expansus. *c* Styli. *d* Filamentum. *e* Spiculae superne et inferne spectatae.

*Obs.* Hæc planta valde utilis atque grata iumentis.

### MILIUM TENELLUM. *Tab.* 274. *fig.* 1.

299. MILIUM culmo simplici: foliis capillaribus: panicula subcylindrica.

Radices capillares, fibrosæ, e quibus culmi exsurgunt tenuissimi quattuor fere pollices alti.

Folia radicalia capillaria, pollicem longa; in culmo tria, quorum vagina incrassata, striata, terminata apice foliolo subulato trium linearum.

Flores paniculati, panicula clavato-cylindrica, in qua fasciculi alternant multiflori.

Calix: gluma uniflora bivalvis, valvulis hemisphæricis glaberrimis.

Corolla: gluma bivalvis, valvulis calice minuto multoties minoribus.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat in arenosis prope oppidum vulgo Pobra tornesa. ☉ Florebat mense Maio, ibique etiam Aira caryophyllea, Briza media Linnæi, Cistus guttatus, crispus et libanotis, Dictamnus albus, Erica scoparia, Genista hispanica, Sideritis scordioides etc.

*Explic.* tab. *a* Paniculae pars aucta. *b* Flos auctus.



SCILLA AUTUMNALIS. *Tab. 274. fig. 2.*

300. SCILLA floribus racemosis: foliis linearibus.

*Hyacinthus autumnalis minor. Clus. hist. 1. pag. 185.*

Bulbus solidus ovato-conicus tunica tectus rufa: radices capillares ex ima bulbi parte.

Scapus palmaris, teres, glaber, terminatus florum racemo.

Folia omnia radicalia, quæ post flores prodeunt, scapo breviora, supra terram expansa, linearia.

Flores sparsi in racemo, pedicellati, absque squamula.

Calix nullus. Corolla infera, sexpetala, dilute violacea, campanulato-patens, petalis ovatis, linea dorsali saturatiore.

Staminum filamenta sex subulata, unguibus petalorum inserta, hisque breviora, nuda: antheræ fuscæ, ovatæ, didymæ.

Germen superum, ovatum, sulcis sex exaratum, quorum alterni profundiores. Styli tres connati, aut si mavis simplex triqueter: stigmata tria, albicantia minima.

Capsula ovato-acuta, brevis, trilocularis, trivalvis, loculis dispermis. Semina nigra, ovato-oblonga nonnihil reniformia.

Habitat copiose in collibus Valdignæ. ♀ Floret Octobri una cum Scilla maritima, Narciso serotino, Teucro iva etc.

*Explic. tab. c* Petalum cum stamine. *d* Stamen auctum. *e* Germen. *f* Idem auctum. *g* Capsula. *h* Huius sectio. *i* Eadem dehiscens. *k* Semen auctum.

*Obs.* Frequentissima species loco citato cui flores sunt semper racemosi: prope Irun et flumen Bidasoa aliam observabam mense Aprili floribus corymboso-capitatis. Hanc Sauvagesius indigitavit Monspel. 19 hoc titulo *Scilla radice solida, scapo multifloro, floribus capitatis*; illam Clusius hist. 1, pag. 185, hac definitione *Hyacinthus autumnalis minor*. Inflorescentia et florendi tempore certe differunt istæ plantæ quas in Linneo coniunctas videmus nomine *Scilla autumnalis*. Rectius mea sententia fiet, si hæc nostra *autumnalis*, illa *verna* nominetur.

VERBESINA VIRGATA. *Tab. 275.*

301. VERBESINA caule virgato: foliis sparsis lanceolatis serratis: floribus corymbosis.

An *Verbesina virginica* Linnæi foliis alternis lanceolatis petiolatis, floribus corymbosis?

Planta mihi ignota.

Caulis virgatus, erectus, quattuor pedes altus. Rami nulli.

Folia sparsa, breviter petiolata, lanceolata, serrata, obscure decurrentia.

Flores terminales, corymbosi, pedunculis bipollicaribus, centrali breviora.

Calix hemisphæricus, squamulis acutis, duplici fere ordine, basi latioribus.

Corolla composita, lutea. Radii sub 12, ovato-oblongi, apice obscure tridentati, feminei, fertiles. In centro flosculi hermaphroditi tubulosi, apice dentibus quinque erectis.

Stamina ut in congeneribus.

Germen omnibus ovatum, compressum, basi acutum, cinctum membranula, apice biaristatum: stylus filiformis: stigmata revoluta.

Receptaculum paleaceum, paleis semine maioribus, luteis, carinatis.

Semina nigra, margine aut ala albicante cincta: quorum aristæ sæpe deciduæ.

Habitat in Nova-Hispania. ♀ Floruit ultimo Decembri 1794 in Regio horto Matritense.

*Explic. tab. a* Radius. *b* Idem auctus. *c* Palea. *d* Semen. *e* Idem auctum.

CEANOTHUS MACROCARPUS. *Tab. 276.*

302. CEANOTHUS caule fruticoso: foliis ovatis, subcordatis, denticulatis.



Caulis fruticosus, lignosus, quattuor pedes altus, ramis alternis patulis, subtomentosis.  
 Folia alterna, lato-ovata, denticulata, inferne subtomentosa, trinervia, nervis ramosis: petioli breves: stipulae subulatae deciduae.  
 Flores axillares glomerati, minimi; pedunculus brevis, qui sensim incrassatur et elongatur quum fructum sustinet.  
 Calix turbinatus, semiquinquepartitus, laciniis acutis, inverse carinatis, deciduis villosis; fructifer augetur hemisphaericam formam induens, sulcis aliquot exaratus.  
 Corolla calice brevior, viridi-lutea: petala quinque ovata, cucullata, ungue tenui, calicis laciniis alterna.  
 Stamina filamenta quinque in cucullis recondita: antherae ovatae.  
 Germen ovatum, receptaculo plano immersum: styli tres breves divaricati, aut si mavis stigmata tria, stylo vix conspicuo superimposita.  
 Fructus pendulus; estque capsula hemisphaerico-trigona, trilocularis; loculis monospermis. Semina ovata, hinc gibba, inde plana.  
 Habitat in Nova-Hispania. *h* Floruit in Regio horto Matritensi mense Augusto, fructum perfecit Decembri.  
*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Flos integer. *c* Idem auctus. *d* Idem petalis orbatus. *e* Fructus magnitudine naturali. *f* Huius sectio. *g* Semen.  
*Obs.* Frutex hic ad Celastrum accedit germine immerso corpori aut disco carnosio plano; a quo differt staminibus intra petala reconditis.

### CONVOLVULUS UNDULATUS. *Tab. 277. fig. 1.*

303. CONVOLVULUS caule prostrato tereti: foliis ovato-oblongis, sessilibus: floribus axillaribus, solitariis sessilibus.  
 Caules in planta culta fere pedales, prostrati, teretes, nonnihil rubri, villis aliquot; ramis alternis.  
 Folia alterna, sessilia, ovato-oblonga, limbo saepius undulato, pilosa, praesertim tenera.  
 Flores axillares, solitarii, sessiles, parvi.  
 Calix brevis, semiquinquepartitus, laciniis acutis, villosis.  
 Corolla calice quinque longior campanulata, limbo pentagono ex rubro et albo variegata: faux tubusque albo-luteus.  
 Stamina filamenta quinque, imo tubo interne adnata, postea libera quorum duo breviora: antherae subsagittatae.  
 Germen globosum, villosum: stylus simplex: stigmata duo filiformia.  
 Capsula calice multo maior, subglobosa, pilosa.  
 Habitat..... ☉ Vidi floridum in Regio horto Matritense die 4 Maii 1795.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla expansa. *c* Filamentum auctum. *d* Germen.

### MINUARTIA DICHOTOMA *Linnaei. Tab. 277. fig. 2.*

304. MINUARTIA caule erecto pollicari: foliis setaceis basi connatis: floribus sessilibus confertim dichotomis. *Loefl. plant. Hisp. pag. 121. tab. 1. Linn. sp. pl. vol. 1. pag. 249.*  
 Radix filiformis, fibrillis aliquot, ex qua caulis adsurgit ut plurimum simplex, erectus, vix pollicem altus; apice dichotomus, dichotomia brevi, conferta, ibique flores.  
 Folia opposita, subulata, prope basim latiora, connata, striata, cauliculum tegentia.  
 Flores solitarii, sessiles, in dichotomiis confertis.  
 Calix pentaphyllus, erectus, pyramidalis; foliolis lanceolatis, acutissimis, duobus exterioribus paulo longioribus, omnibus carinatis et fere semper adpressis.  
 Corolla nulla, cuius loco margo, germen circumdans, profunde multipartita, ut plurimum in 6-7 crenulas.



Staminum filamenta tria sæpius 4, 6, 7 brevissima, subulata, inter crenulas marginis: antheræ totidem didymæ, globosæ.

Germen ovatum, parvum: styli tres, albicantes, breves: stigmata simplicia, incrassata.

Capsula oblonga, compressa, trivalvis, unilocularis, polysperma.

Semina sæpius quinque, rotundo-reniformia, compressa, fusca, in centro albicantia.

Habitat passim in collibus arenosis prope Matritum, præsertim in utraque ripa torrentis vulgo de Cantarranas, et iuxta la Moncloa. ☉ Florebat die 3 Maii una cum *Queria hispanica*, *Crassula cespitosa*, *Aira minuta*, *Ornitogalo umbellato*.

*Explic.* tab. *a* Flos expansus. *b* Stamen. *c* Germen, omnia aucta. *d* Calix capsulam includens. *e* Capsula magnitudine naturali. *f* Eadem aucta dehiscens. *g* Semina aucta. *h* Semen unicum multoties auctum.

*Obs.* In plantis cultis apparet dichotomia, in solo vero sterili atque natali flores videntur innumeris foliolis longioribus obvallati, quorum acerbus capitulum efformat.

### MALVA MINIATA. Tab. 278.

305. MALVA caule erecto, tomentoso: foliis trilobatis: spicis axillaribus: corollis miniatis. Caulis teres, tomento brevi albicans, sesquipedalis.

Folia alterna, crenata, trilobata, lobo medio productiore, acuto; sustentata petiolis nunc longioribus nunc folio brevioribus a basi caulis ad verticem ascendendo. Stipulæ lanceolatæ marcescentes.

Flores racemosi, racemis axillaribus, solitariis: flos quilibet pedunculatus.

Calix exterior ex tribus setulis marcescentibus, brevibus: interior semiquinquepartitus; uterque piloso-tomentosus.

Corolla calice triplo longior, miniata, profundissime quinquepartita; lacinia aut si mavis petala superne latiora, emarginata, et basi, qua tubo inhærent, angusta, saturatiora.

Staminum tubus brevis; versus apicem filamentis brevissimis, rubris coopertus: antheræ fuscæ.

Germen globosum: stylus ruber, simplex: stigmata subviginti.

Fructus maturus hemisphæricus, in centro cavus, ex tot capsulis compositus, quod fuerunt stigmata: capsulæ oblongo-reniformes, compressæ, bivalves, dispermæ, apice dehiscentes ut in *Sida*: semina fusca, reniformia.

Habitat..... 2 Floruit in Regio horto Matritense mense Iulio 1795.

*Explic.* tab. *a* Corolla cum genitalibus. *b* Germen, stylus, stigmata. *c* Fructus. *d* Idem maturus. *e* Capsula. *f* Semen. *g* Eadem aucta.

Consulatur num. 178 huius operis, ubi de Malvacearum corollis.

### OENOTHERA TETRAPTERA. Tab. 279.

306. OENOTHERA foliis alternis, subpinnatis, crispis: flore mutabili fructu: tetraptero.

Caules herbacei, teretes, inferne ramosi, pedales.

Folia sessilia, alterna, oblonga, acuta, subpinnata, limbo crispo.

Flores axillares, solitarii, magni.

Calix monophyllus, superus, deciduus, basi tubulosus, postea quadrifidus, laciniis oblongis acutis, deflexis.

Corollæ petala quattuor, obcordata, sesquipollicaria, basi acuta, divisuris calicis inserta: quum expanduntur, vespere scilicet, candidissima; sequenti die ad ortum solis rubescunt et clauduntur, quorum color intra biduum intensior, et marcescunt.

Staminum filamenta octo, corolla breviora, calicis fauci inserta; quattuor ad petalorum unguis, reliqua cum istis alterna. Omnium color initio luteo-albus, emarcida corolla ruber. Antheræ oblongæ incumbentes.



Germen inferum, oblongum, sulcatum: stylus staminum longitudine: stigma quadrifidum subreflexum.

Capsula cylindrica, tetragona, alis quattuor prominentibus subtomentosis, quadrivalvis, quadrilocularis, polysperma. Semina nuda, minima.

Habitat in Sotoluca Novæ-Hispaniæ. ♂? Florebat in Regio horto Matritense Julio 1795.

*Explic.* tab. *a* Petalum. *b* Genitalia. *c* Fructus ante perfectam maturitatem. *d* Capsula dehiscens. *e* Semina.

### COREOPSIS OVATA. *Tab.* 280.

307. COREOPSIS foliis ovatis, alternis, sessilibus, decurrentibus: floribus corymbosis.

Caules pedales erecti, ex decursu foliorum alati.

Folia alterna, ovata, crenulata, sessilia, decurrentia, uninervia, ut plurimum erecta.

Flores terminales, corymbosi, pedunculis pollicaribus, centrali brevioribus.

Calix hemisphæricus, foliolis linearibus, obtusis.

Corolla lutea radiata: radii octo ovato-oblongi, apice parce tridentati.

Reliqua ut in Coreopside alata, pagina 30, numero 283.

Habitat in Nova-Hispania. ♀ Florebat Julio et Augusto 1795.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Foliolum calicis. *c* Flos neuter. *d* Flosculus hermaphroditus, cui subiecta palea. *e* Semen.

*Obs.* Semen denticuli aliquando decidunt.

### GALINSOGA. *Flor. Peruv. et Chil.*

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis hemisphæricus, imbricatus, squamulis erectis concavis.

Corolla composita, radiata. Radii subquinque, feminei, fertiles, quorum corolla ligulata, obovata, truncata, trifida. In centro flosculi plures, hermaphroditi, quorum corolla infundibuliformis, ore quinquedentato, erecto.

Hermaphroditis staminum filamenta quinque, capillaria: anthera cylindræa.

Germen omnibus turbinatum: stylus filiformis: stigmata duo, revoluta.

Semina solitaria, turbinata, coronata papo sessili, brevi, paleaceo, paleis ciliatis.

Receptaculum paleaceum, paleis linearibus, apice mucronato, et sæpius bifido.

*Obs.* Hoc Floræ Peruvianæ et Chilensis genus vere novum reputo, quamquam valde affine Amello D. de Lamarck Encyclop. vol. I. cuius secunda species, *tenuifolia* scilicet, receptaculo gaudet paleaceo <sup>(a)</sup> et semine non pilis, sed paleis coronato. Hanc speciem consociavit laudatus auctor alteri, cuius papus pilosus est et semine longior, quæque nominatur *Amellus lichnitis*, quibus tertiam addidit, *Amellum umbellatum*, longe a præcedentibus diversum habitu, calice valde imbricato, et radiis bifidis. Itaque Floræ Peruvianæ auctores recte seiungunt ab Amello plantas receptaculo et papo paleaceo, quarum radii frequentius quinque et papi paleæ ciliatæ sunt.

### GALINSOGA PARVIFLORA. *Tab.* 281.

308. GALINSOGA caule herbaceo: foliis oppositis, ovato-lanceolatis, subserratis: pedunculis elongatis uni, bifloris.

(a) Le réceptacle (loquitur de Amello tenuifolia) est chargé de paillettes, ainsi que chaque semence, dont l'aigrette n'est pas formée par des poils: ce caractère indique un rapport marqué entre les deux premières espèces de ce genre, et les Verbesines.



*Verbesina biflora. Hort. Reg. Parisiens.*

Caulis herbaceus, glaber, bipedalis, ramis oppositis, iterum ramosis.

Folia opposita, ovato-lanceolata, subserrata, trinervia, glabra, nervis exceptis: petioli breves, subconnati.

Flores axillares et terminales, pedunculis elongatis uni aut bifloris.

Calix glaber, hemisphaericus, imbricatus squamulis ovatis dupli serie: harum quinque exteriores carinatae, apice scariosae; interiores vero planiusculae coloratae.

Radii fere semper quinque, aliquando septem, quorum corolla brevis alba: hermaphroditorum corolla lutea, quemadmodum anthera et stigmata.

Receptaculi paleae apice bi-trifidae, nonnumquam integrae; papi vero brevissimae, sublineares, ciliatae.

Habitat in Peruvia. ☉ Floret Septembri.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Calix. *c* Radius auctus. *d* Flosculus disci auctus. *e* Semen.

*f* Idem auctum. *g* Papi palea. *h* Receptaculi palea.

*Obs.* Hanc plantam vidi in Regio horto Parisiensi anno 1785 nomine *Verbesinae biflorae*, ibi enata ex seminibus e Peruvia missis a D. Dombeyo: in patriam redux vidi eam iterum in Regio horto Matritense, cuius nomen tandem mutatum fuit in debitum *Galinsoga*.

### GALINSOGA TRILOBATA. *Tab. 282.*

309. *GALINSOGA* caule herbaceo: foliis trilobis, lobo medio productiore: floribus subcorymbosis.

Caulis herbaceus, cavus, sulcatus, procumbens, bipedalis, ramis oppositis.

Folia glabra; caulina opposita et connata; floralia solitaria et lanceolata, in petiolum canaliculatum attenuata: caulina inferne lobis duobus elongatis aucta; reliqua serraturis aliquot, et aliquando lobo altero laterali.

Flores subcorymbosi, pedunculis elongatis, unifloris, villosis, villis terminatis glandula nigricante.

Calix glaber, imbricatus: huius squamulae exteriores ovatae, concavae, limbo scarioso; interiores oblongae, obtusae, coloratae, omnino scariosae.

Corolla lutea. Radii octo ovati, truncati tripartiti, laciniis obtusis, media brevior. Iuxta styli basim in radiis lacinae plerumque binae minimae.

Receptaculi paleae diaphanae, semine longiores, acutae, hinc inde prope apicem unidentatae.

Semina nigricantia, subvillosa: papi paleae angustissimae, ciliatae.

Habitat in Nova-Hispania. ☉ Floret in Regio horto Matritense Octobri.

*Explic. tab. a* Radius. *b* Flosculus hermaphroditus. *c* Idem auctus et expansus. *d* Semen.

*e* Idem auctum. *f* Receptaculi palea. *g* Pedunculi pars cum glandulis.

### ANABASIS TAMARISCIFOLIA *Linnaei. Tab. 283.*

310. *ANABASIS* caule fruticoso: foliis subulato-triquetris: spicis axillaribus.

*Anabasis* foliis subulatis; pericarpis exsuccis. *Linnaei. sp. pl. vol. 1. pag. 629.*

*Kali fruticosum hispanicum, tamariscifolio. Tournefort. inst. 247.*

*Anabase à feuilles de Tamaris. Lamarck. Dict. vol. 1. pag. 139.*

Caulis erectus, fruticosus, bipedalis, teres, sulcatus, superne ramosus, albicans.

Folia sparsa, numerosa, subulato-triquetra, desiccatione decidua.

Flores spicati, spicis axillaribus, in quibus flores sedent minuti.

Calix triphyllus, foliolis ovatis, concavis, crassis, limbo scarioso.

Corolla calice paulo maior, ex quinque petalis ovatis, aequalibus limbo scarioso.

Staminum filamenta quinque, corolla longiora, albicantia, singulis petalis prope germen inserta: antherae lutescentes, versatiles, oblongae, basi bifidae.



Germen superum minimum, conicum in stylum subulatum desinens: stigmata duo obtusa. Fructus nondum erat perfectus mense Iulio quando plantam vidi floridam. Habitat passim ad vias et agrorum margines prope Eldam et Noveldam.  $\mathcal{Z}$  Florebant ibidem *Herniaria fruticosa*, *Cistus squamatus*, *Lygæum spartium*, *Statice furfuracea*, *Thymus cephalotus*, etc.  
*Explic. tab. a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Calix. *d* Huius folium. *e* Corolla cum staminibus. *f* Germen. *g* Folii aucti sectio.

### IN SALSOLAM ET ANABASIDEM OBSERVATIONES.

ANABASIS et SALSOLA genera sunt valde affinia, nondum certis limitibus circumscripta. Plantæ huiusmodi sunt ut plurimum succulentæ et sæpe fruticosæ, foliis ornatæ oppositis aut alternis, in Anabaside præsertim. Flores in ipsis sedent solitarii, bini aut terni, quibus stamina sunt semper quinque, germen superum, stylus bi-trifidus, et fructus subglobosus. Constat hic semine solitario, tunicato in Salsola, in Anabaside pulpa tecto, eiusque embrio in spiram convolutus est, quod nitide expressit Iosephus Gärtner tabulis 75 et 77. Distinxit Linnæus et post ipsum Botanici dicta genera sequentibus notis; pro Salsola scilicet, calice pentaphyllo corolla orbato, filamentis quinque brevissimis, stylo bi-tripartito, et pericarpio capsulari calice obvoluto: pro Anabaside calice triphyllo, corolla pentapetala, filamentis quinque corolla longioribus, stylis duobus et bacca cincta calice. Examinemus singula, notemusque obiter, supradescriptam Anabasidem unico gaudere stylo, fructumque dare exsuccum, qui improprie bacca dicitur, quæ debet esse succulenta.

In Salsolis reperitur calix persistens, fere semper diphyllus, foliolis oppositis carinatis, quod neque Iussieum fugit neque Linnæum ipsum, qui de Salsola muricata dixit: *calices bini congesti*; filamenta sunt sæpe corolla duplo et amplius longiora, ut observari licet in pluribus speciebus; pericarpium denique capsulare dici nequit, semel admissa capsulæ definitione, quam ipsemet Linnæus in Phyl. botanica dedit, his verbis, *capsula est pericarpium cavum determinate dehiscens*. Semen etenim solitarium Salsolæ est intra pelliculam tenuissimam evalvem, quæ rectius *utriculus* dicitur quam capsula. Evanescit ergo, aut saltem ruit magna ex parte character genericus, quo Linnæus credidit Salsolam ab Anabaside separari, fructusque dumtaxat remanet diversus, tunicatus in Salsola, baccatus in Anabaside. Quum vero in Hyperico et Cucubalo, ut alia prætermittam, species numerentur fructu baccato aliis immixtæ capsulari fructu, dubitari iure merito potest, num conservari debeant Anabasis et Salsola, an alterum expungendum e generum catalogo. Litem sub iudice relinquam, quem iubabunt certe sequentium plantarum descriptiones.

### SALSOLA ARTICULATA. Tab. 284.

311. SALSOLA caule fruticoso, ramis oppositis: foliis minimis, connatis; floribus axillaribus, solitariis.

An Kali geniculatum aphyllantes, gilvis paleaceis flosculis hispanicum? *Barrel. tab. 215*. Caulis bipedalis, decumbens, valde ramosus; ramis oppositis et quasi articulatis foliorum nodis.

Folia adproximata, opposita, connata, minima, cava.

Flores axillares, solitarii.

Calix persistens, diphyllus, foliolis oppositis, crassis, obtusis, carinatis, limbo scarioso, corollæ fere longitudinis.

Corolla globulosa, pentapetala, petalis ovatis, viridibus, limbo pariter scarioso.

Staminum filamenta quinque corolla duplo longiora, exerta, subulata, inferne latiora, inserta singulis petalis prope germen: antheræ ovatæ, didymæ luteæ.



Germen superum globosum: stylus simplex: stigmata duo revoluta.

Vidi floridam ad vias prope Eldam, Agost et Noveldam mense Iulio.  $\mathcal{A}$

*Explic. tab. a* Ramuli pars aucta, orbata floribus. *b* Eadem cum floribus. *c* Flos auctus. *d* Calix. *e* Germen magnitudine naturali. *f* Idem auctum.

*Obs.* Planta diversa a *Salsola vermiculata* Linnæi, cui iste concedit flores spicatos alternos; et folia ovata, acuta, carnosae.

### SALSOLA FRUTICOSA Linnæi. Tab. 285.

312. *SALSOLA* foliis carnosis, linearibus, extrorsum arcuatis; basi subtriquetris, supra planiusculis. *Consulatur Linnæus vol. 1. pag. 627.*

Caulis fruticosus, erectus, tripedalis et amplius, ramis oppositis glabris.

Folia opposita, subconnata, carnosae, linearia, caulina fere pollicem longa, ramea breviora, omniaque arcuata, basi triquetra, versus apicem compressa plano verticali.

Flores axillares, fere semper solitarii.

Calix et corolla ut in præcedente.

Stamina exerta: antheræ luteæ basi emarginatæ.

Germen, stylus stigmata ut in præcedente.

Fructus: semen unicum globoso-compressum, tectum pellicula evalvi; quæ omnia continentur intra corollam conniventem et induratum. Ex basi et dorso petalorum membrana exurgit mirum in modum crescens, cuius limbus in semicirculum ampliatur, qui reflexione et concursu quinque membranarum, corollam semipollicarem æmulatur crispam pellucidam, et quandoque variegatam. Ante sæcundationem nullum existit membranæ rudimentum: maturo fructu ad basim membranæ petalum conservatur induratum in foveæ formam.

Habitat in monte Hifac, qui peninsulam efformat prope Calp oppidum.  $\mathcal{A}$  Florebat Maio una cum *Lavandula dentata*, et *Hypocrepide balearica*.

*Explic. tab. a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Calix. *d* Genitalia. *e* Fructus membranis circumdatus, ad quarum basi petala concava. *f* Idem, semen *g* continens. *h* Semen auctum.

*Obs.* Stylus semper simplex, bifidus, ruber. Linnæus tres dixit.

### SALSOLA ROSACEA Linnæi. Tab. 286.

313. *SALSOLA* caule erecto, ramoso: foliis alternis, conico-subulatis, mucronatis: membranis corollinis purpureis.

*Salsola herbacea*, foliis subulatis mucronatis, calicibus explanatis. *Linn. sp. plant. vol. 1. pag. 624.*

*Salsola* foliis ternis floribus substractis, ex conico subulatis, flores æquantibus. *Gmel. Sibiriæ 3. p. 96. num. 75.*

*Kali humile*, alis purpureis, florem rosaceum mentientibus. *Buxb. cent. 1. p. 9. tab. 14. f. 2. apud Gmelin.*

Caulis videtur fruticosus, sesquipedalis, erectus, ramosus, ramis alternis scabriusculis, sæpe rubris.

Folia solitaria, sessilia, alterna, versus apicem sensim breviora; omniaque sunt succulenta, conico-subulata, terminata spinula albicante.

Flores axillares solitarii.

Calix diphyllus cuius foliola sunt caulinis similia licet breviora, ideoque avulso fructu cum corolla remanent tria foliola ut notavit Gmelin, quorum lateralia calicina, medium caulinum, longius



Corollæ petala quinque subrubentia, quorum alæ aut membranæ breviores quam in præcedentibus, saturate purpureæ, limbo crenato. Alarum tres sunt latiores duabus reliquis. Stamina filamenta quinque, corolla longiora: antheræ luteæ.

Germen globosum: stylus simplex: stigmata duo.

Fructus omnino ut in præcedente.

Habitat copiose in arce Alonense.  $\mathcal{Z}$ ? Floribus et fructibus onustam vidi mense Iulio 1791.

Crescebant ibidem Salsolæ sativa, soda et altissima, Caparis spinosa, Aizoon hispanicum, Cheirantus tristis etc.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Germen. *c* Fructus. *dd* Alæ membranaceæ diverse spectatæ ut fovea, petalum scilicet conspiciatur. *e* Semen tunicatum. *f* Idem nudum. *g* Idem auctum ut striæ appareant.

*Obs.* Sufficiens differentia specificæ plantarum, quas Linnæus nominavit Salsolas kali, tragus et rosaceam? Hæc præ ceteris gaudet alis purpureis et caule fortasse fruticoso, quem durissimum et valde ramosum vidi prope Valentia mare in Salsola kali.

### SALSOLA MICROPHYLLA. Tab. 287.

314. SALSOLA caule fruticoso; foliis fasciculatis minimis teretibus: floribus solitariis in spicam densam adproximatis.

Caules bipedales, duriusculi, ramis decumbentibus.

Folia alterna minima, semilineam longa, et ad singula fasciculus axillaris ex pluribus aliis foliolis.

Flores spicati, spicis numerosis, densis, terminalibus.

Calix diphyllus, foliolis minimis ovatis, qui ex concursu tertii folioli ramei apparet triphyllus ut in Anabaside tamariscifolia.

Corollæ petala quinque, calice triplo longiora, lutescencia, ovato-acuta.

Stamina filamenta quinque subulata, corolla longiora: antheræ luteæ, basi emarginatæ.

Germen globosum: stylus simplex; stigmata tria rubentia.

Fructus ut in præcedenti at minor, alæque corollinæ breviores et rubentes.

Habitat in arce Saguntina.  $\mathcal{Z}$  Floret Maio.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *B* Corolla cum alarum rudimentis. *c* Germen. *C* Genitalia aucta. *d* Fructus. *e* Ala ad cuius basim petalum induratum in foveæ formam.

### SALSOLA FLAVESCENS. Tab. 288.

315. SALSOLA caule suffruticoso, ramis erectis: foliis alternis teretiusculis, incanis: floribus axillaribus solitariis.

Caulis suffruticosus, semipedalis, valde ramosus, ramis sesquipedalibus erectis.

Folia alterna, teretiuscula, flavescencia ut et tota planta, incana, fere exsucca.

Flores axillares, solitarii, spiculas efformantes, qui quandoque ita sunt adproximati, ut 5 et 7 in axilla communi reperiantur, foliolis totidem distincti.

Calix diphyllus brevis.

Corolla calice longior, petalis oblongis conniventibus.

Stamina filamenta corolla duplo longiora: antheræ luteæ basi emarginatæ.

Germen globosum: stylus simplex: stigmata duo revoluta.

Habitat in montibus Orcelitanis.  $\mathcal{Z}$  Vidi floridam ultimo Iulio. Crescit etiam tertio a Matrito lapide iuxta oppidum Ribas in collibus contra Xarama flumen, ibique Althæa canabina, Humulus lupulus, Queria hispanica, Carduus pinnatifidus, Senecio iacobæa etc.

*Explic.* tab. *a* Spiculæ pars valde aucta. *b* Flos magnitudine naturali. *c* Idem auctus. *d* Idem expansus. *e* Germen.



SALSOLA ALTISSIMA *Linnæi. Tab. 289.*

316. SALSOLA erecta, herbacea, ramosissima; floribus ternis medio axillari, lateralibus hinc inde ad basim folii.

Salsola ramosissima herbacea, foliis filiformibus acutiusculis, basi pedunculiferis. *Lin. sp. plant. tom. 1. p. 625.*

Chenopodium altissimum, foliis succulentis. *Buxb. cent. 1. pag. 21. tab. 31. fig. 2. apud Linnæum ubi videndi auctores.*

Caulis tripedalis et amplius, erectus, herbaceus, valde ramosus, glaber.

Folia alterna, adproximata, sessilia, succulenta, filiformia, acuta.

Flores terni, minimi, quorum medius axillaris, reliqui hinc inde ad basim folii.

Calix triphyllus, vix conspicuus oculo nudo.

Corolla globulosa, petalis ovatis conniventibus.

Staminum filamenta exerta; antheræ luteæ didymæ.

Germen globulosum, auctum parte superiore membranula tubulosa, per quam transit stylus: stigmata tria.

Semen nigrum minimum.

Habitat copiose in tractu dicto Saladar de Albaterra et prope Illicitanum lacum, quemadmodum etiam in maritimis Alonæ, Valentiaë etc. ☉ Floret Iulio.

*Explic.* tab. *a* Ramuli pars valde aucta. *b* Flos auctus. *c* Germen. *d* Calix. *e* Semen magnitudine naturali. *f* Idem auctum.

*Obs.* Linnæus dixit Salsolæ altissimæ folia esse basi pedunculifera: ego vero in mea planta flores observavi sessiles.

SALSOLA SALSA *Linnæi. Tab. 290.*

317. SALSOLA caule herbaceo erecto: foliis semiteretibus, obtusis: floribus axillaribus ternis. Salsola herbacea, erectiuscula, foliis linearibus subcarnosis, muticis, calicibus succulentis diaphanis. *Linnæus ubi supra pag. 626.*

Chenopodium maritimum, foliis sedi teretibus. *Buxb. apud Linnæum.*

Caulis sesquipedales, erecti, purpurascens, valde ramosi, ramis nunc paniculatis nunc deflexis, valde succulentis, quemadmodum tota planta, quæ proinde difficile exsiccatur in herbarium conservanda.

Folia brevissima, sparsa, semiteretia, obtusa.

Flores axillares, sessiles, terni.

Calix, corolla, germen, stylus, stigmata et semina ut in præcedenti.

Stamina quinque, corollæ longitudine, recondita in totidem petalis valde concavis et conniventibus: antheræ didymæ luteæ.

Habitat cum præcedente. ☉ Floret Iulio.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus et expansus. *b* Ramuli pars.

*Obs.* Cl. Iacquinus in Horti Vindobonensis, pag. 44, tab. 83, plantam dedit nomine Salsolæ salsæ, ab hac nostra diversam et fortasse ab illa etiam quam Linnæus descripsit. Iacquinus planta digynia est; floresque habet axillares congestos a tribus ad quinque, quæ minime conveniunt Linnæi plantæ. Consulatur huius auctoris sp. pl. volumen 1. Francofurti editum anno 1779 curante D. Ioanne Iacobo Reichard, quo usus sum in hoc opere.

SALSOLA SATIVA *Linnæi. Tab. 291.*

318. SALSOLA diffusa, herbacea; foliis teretibus, glabris: floribus conglomeratis. *Lin. sp. pl. pag. 625.*



Kali hispanicum supinum annum, Sedi foliis brevioribus. *Iuss. act. Paris 1715, p. 74.*  
 Ex radice succulenta ramosa, herbacea caulis prodiit aliquando pedalis, ramosus, teres, supra terram diffusus, qui sæpius rubescit.

Folia sparsa, numerosa, teretia, glabra succulenta, sessilia.

Flores axillares, glomerati, 5-7 in singulis foliorum axillis.

Calix triphyllus, foliolis ovato-acutis, concavis, vix nudo oculo conspicuis.

Corolla omnium minima, at calice maior: petala concava, conniventia, limbo scariosa.

Stamina et reliqua ut in præcedente.

Habitat in maritimis regni Valentini. ☉ Floret Iulio et Augusto. Colitur tanta copia in ditionibus Alonensi, Illicitana, Orcelitana et alibi, ut rite combustis plantis, 180,000 talenta <sup>(a)</sup> quotannis inde proveniant indurata materia, vulgo Barrilla.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus et expansus. *b* Calix. *c* Semen. *d* Idem auctum. *e* Ramuli pars.

*Obs.* Præter descriptas species crescit in regno Valentino propter Castelfabiv, floretque Augusto Salsola prostrata Linnæi, quam polygamam dixit Iacquinus tertio volumine Aust. Floræ tab. 294: Flores enim per trienium observavit hermaphroditos et steriles a Iulio ad medium usque Septembris, tuncque inter illos, alios prodire vidit stylosum eleganti rubore, summa divaricatione et longitudine conspicuos, qui staminibus carent, seminaque perficiunt. Quod ad polygamiam attinet, et stylosum figuram idem observatur hic in solo natali et collibus Matritensibus citra fontem vulgo del Verro: hic vero flores omnes sunt fertiles, qui receptaculo insident communi piloso, ad cuius basim foliola sunt duo minima, quæ pro calice communi haberi possunt. Iulio vidi floridas in tractu maritimo qui iacet inter Valentiam et Alonam Salsolam sodam, delineatam a laudato Iacq. tab. 68 Horti Vindobonensis et illas quas kali et tragus nominavit Linnæus.

#### SACCHARUM SISCA. Tab. 292.

319. SACCHARUM panicula cylindracea: foliis convolutis: floribus muticis.

E radice perenni culmi adsurgunt annui, sesquipedales, glabri, nodis tribus quattuorve, tecti vaginis foliorum, et panicula semipedali terminati.

Folia radicalia graminea, convoluta, in acumen acutissimum terminata, culmo breviora; culmi brevia, vagina longa.

Flores numerosi, paniculati, sessiles; panicula cylindracea, tecta undique pilis argenteis, flore longioribus.

Corolla bivalvis, valvulis æqualibus, linearibus, tectis lanugine candida, ad cuius basim pili numerosi candidi calicis loco, corolla duplo longiores.

Staminum filamenta tria, corolla longiora: antheræ luteæ, oblongæ, basi emarginatæ.

Germen oblongiusculum: styli duo incrassati, barbati.

Semina solitaria oblonga.

Habitat in humidis regni Valentini prope Buixcarró, Alberic, et alibi. ♀

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Valvula corollina extus spectata. *c* Eadem interiore parte. *d* Flos auctus lanugine denudatus. *e* Idem cum lanugine.

#### ÆSCHYNOMENE VIRGATA. Tab. 293.

320. ÆSCHYNOMENE caule virgato: leguminibus tetragonis erectis.

Caules bipedales, teretes, glabri, erecti, simplices.

Folia alterna, abrupte pinnata, pinnulis sub-22, ovatis, in quarum apice setula minima.

Stipulæ marcescentes lanceolatæ.

(a) Talenti nomine pondus intelligo centum librarum, quod vulgo Quintal dicitur.



Flores racemosi, racemis axillaribus folio brevioribus.  
 Calix glaber, monophyllus, campanulatus, subbilabiatus, labiis æqualibus, superiore bidentato, inferiore tridentato.  
 Corolla papilionacea, lutea: vexillum emarginatum, parum dehiscens, maius: alæ ovato-falcatae, vexillo breviores: carina lunata utrimque bifida.  
 Stamina filamenta decem, quorum superius liberum: antheræ ovatae parvæ.  
 Germen oblongum: stylus subulatus, adscendens: stigma obtusum.  
 Legumen longum, compressum, tetragonum, utrimque acutum.  
 Semina ovato-reniformia nitida.  
 Habitat in Nova-Hispania. Florebat in Regio horto Matritense ultimo Augusto 1795.  
*Explic.* tab. *a* Flos. *b* Calix. *c* Petala. *d* Alæ cum carina. *e* Carina expansa. *f* Genitalia.  
*g* Germen. *h* Legumen. *i* Semen.

### RHAMNUS IGUANEUS *Linnæi. Tab. 294.*

321. RHAMNUS ramis declinatis, ramulis alternis, distichis: aculeis geminatis: florum racemis axillaribus, monoicis.  
 Rhamnus aculeis geminatis, altero patente; racemis axillaribus monoicis; foliis nudis. *Linn. sp. pl. tomo 1. pag. 545. Iacq. amer. pag. 39. num. 1.*  
 Jujube americana loti arboris folio et facie, fructu rotundo parvo dulci. *Comm. hort. 1. pag. 141. tab. 73.*  
 Caulis fruticosus, cuius rami sunt lenti, longissimi, reclinati, per totam sæpe longitudinem ornati ramusculis alternis, distichis, superioribus brevioribus.  
 Folia alterna, disticha, adproximata, ovato-acuta, dentato-serrata, glabra; petioli breves: spinæ subulatae, acutissimæ, binæ ad foliorum et ramulorum axillas.  
 Flores racemosi, racemis minimis, axillaribus, solitariis, binis aut ternis, versus foliorum paginam inferiorum dependentes. Flores sunt monoici minimi, calice orbati.  
 Corolla flavescens monopetala, profunde quinquepartita, laciniis ovatis, concavis, patentibus.  
 Stamina filamenta quinque, fundo corollæ inserta, brevissima, non alterna sed laciniis corollæ opposita: antheræ ovatae didymæ. Germen in masculis nullum, cuius loco lanugo nudum oculum fugiens: in flore fertili est ovato-oblongum, viride: styli duo divergentes, villosi, et in unoquoque stigmata duo oblonga, crassa.  
 Fructus est drupa subrotundo-acuta, ciceris magnitudine, nucem continens osseam unilocularem.  
 Habitat in Nova-Hispania et in Caribæis insulis. *h* Floret Augusto et Septembre in Regio horto Matritensi.  
*Explic.* tab. *A* Ramus antice spectatus. *B* Eiusdem pars postica superficie, ut flores videantur. *a* Floris capitulum. *b* Flos masculus apertus. *c* Idem auctus. *d* Flos fertilis aut hermaphroditus. *e* Idem auctus. *f* Drupa.

### MIMOSA DISTACHYA. *Tab. 295.*

322. MIMOSA caule fruticoso, inermi, sulcato: foliis bipinnatis, foliolis ovatis: florum spicis axillaribus geminis.  
 Caulis fruticosus, ramis patulis, flexuosis, sulcatis.  
 Folia alterna, abrupte bipinnata, pinnulis secundariis ovatis, obscure villosis, tri-quadriligis. Stipulæ subulatae, rigidæ. Petiolus communis terminatur setula brevi; partiales prope basim deflexi, et veluti geniculati, ibique ornantur setulis duabus vix conspicuis.  
 Flores spicati, numerosi, minimi; spicis axillaribus, geminis, erectis, pollice paulo longioribus.



Calix vix conspicuus, quinquedentatus.

Corolla rubescens, monopetala, semiquinquepartita, laciniis acutis.

Staminum filamenta subnovem, capillaria, corolla triplo longiora, basi connexa: antheræ ovatæ.

Germen superum, pedicellatum, oblongiusculum, compressum; stylus staminum longitudine, sæpe convolutus: stigma simplex.

Legumen.....

Habitat in Nova-Hispania.  $\bar{h}$  Florebat in Regio horto Matritensi mensibus Augusto et Septembri 1795.

*Explic.* tab. A Pinnularum par, quæ auctæ sunt, ut setulæ villique conspiciantur. a Flos magnitudine naturali. b Idem auctus. c Germen. d Idem auctum.

### GENTIANA MARITIMA *Linnaei. Tab. 296. fig. 1.*

323. GENTIANA corollis quinquefidis, infundibuliformibus: stylis geminis: caule dichotomo paucifloro. *Lin. sp. pl. vol. 1. pag. 643. Lamarck Dict. encycl. vol. 2. pag. 642. ubi videndi auctores.*

Radix brevis, fibrosa, ex qua caulis adsurgit vix pedalis, teres, versus apicem dichotomus, glaucus ut et tota planta.

Folia opposita, sessilia, uninervia, ovato-oblonga, acuta, internodiis breviora.

Flores in dichotomiis solitarii, pedunculati, erecti.

Calix monophyllus, profunde partitus in quinque lacinias angustas, acutissimas.

Corolla lutea infundibuliformis: tubus gracilis calice longior: limbus patens profunde partitus in quinque lacinias acutas.

Staminum filamenta quinque tubi interiori parti adfixa: antheræ luteæ in spiram contortæ, exertæ.

Germen oblongum: styli duo connati: stigma ovata, compressa.

Capsula oblonga, teres, calice longior, bivalvis, unilocularis, polysperma. Semina minutissima.

Habitat copiose in Gandiæ *Dehesa*, solo scilicet arenoso iuxta mare Mediterraneum. ☉ Floret Maio, ibique *Cistus lævis*, *halimifolius* et *salvifolius*, *Lavandula multifida*, *Cheiranthus tristis*, *Iris spurea* et *spatulata*, *Crucianella maritima* etc.

*Explic.* tab. a Calix expansus. b Corolla expansa. c Germen, styli, stigmata. d Anthera aucta. e Capsula dehiscens. f Capsulæ valvula cum seminibus.

### IUNCUS MUTABILIS *Lamarck. Tab. 296. fig. 2.*

324. IUNCUS humilis cespitosus, culmis subfoliosis: foliis canaliculatis: floribus congestis sessilibus. *Lamarck. Dict. vol. 3. pag. 270. Iuncus foliatus minimus. I. B. Bauh. 2. cap. 235. pag. 523.*

Radix capillaris, brevis, ex qua culmi prodeunt numerosi, bipollicares, folio uno alterove prope basim instructi, terminati apice florum capitulo.

Folia fere omnia radicalia, pollicaria, canaliculata, sensim graciliora apice acutissima: quæ culmum ornant sunt eiusdem formæ, ipsumque nonnihil vaginant.

Flores capitati, sessiles, 4-6 in singulis capitulis: horum basis suffulta est foliolo setaceo, et squamulis duabus pellucidis.

Calix hexaphyllus, foliolis oblongis, carinatis, acutissimis.

Staminum filamenta sex, brevia, inter calicis foliola et germen inserta: antheræ erectæ.

Germen triquetrum: stylus brevis: stigmata tria, longiora, filiformia.

Capsula ovato triquetra, trivalvis, unilocularis. Semina minuta, obovata.



Habitat in agris arenosis vallis vulgo de Jesus inter Valentiam et Saguntum. ☉ Floret Maio una cum Ornithopo perpusillo, Tillæa muscosa, Cisto guttato etc.  
*Explic.* tab. *g* Flos magnitudine naturali. *h* Idem auctus. *i* Idem expansus. *k* Capsula.  
*l* Eadem aucta. *m* Eadem dehiscens. *n* Semen auctum.

### RAUWOLFIA GLABRA. *Tab.* 297.

325. RAUWOLFIA caule fruticoso, ramoso; foliis omnibus solitariis, ovato-lanceolatis, glabris. Caulis fruticosus, tripedalis, ramis lentis, teretibus, glabris ut et tota planta.  
 Folia sparsa, ovato-lanceolata, subcanaliculata, uninervia, integerrima, petiolis sustentata brevibus.  
 Flores oppositifolii, racemosi, racemis brevibus.  
 Calix monophyllus, minimus, quinque-dentatus, persistens.  
 Corolla alba, cuius tubus cylindricus basi et apice globosus; limbus patens, quinquepartitus, laciniis ovato-acutis integerrimis; faux nuda.  
 Staminum filamenta quinque brevissima, prope faucem tubi interne adfixa: antheræ subsagittatæ.  
 Germen globosum: stylus simplex, erectus: stigma capitatum.  
 Drupa ovata basi angustior et parum convexa, unilocularis, nucem continens ovato-oblongam.  
 Habitat in Nova Hispania. ☿ Floret Augusto, Septembri et Octobri.  
*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla extus visa. *c* Eadem expansa. *d* Stamen. *e* Germen, omnia aucta. *f* Drupa magnitudine naturali. *g* Nux.

### MADIA *Molinæ.*

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis globosus, polyphyllus, foliolis duplici serie positus, carinatis, exterioribus octo longioribus acutis in globum adproximatis.  
 Corolla composita radiata. Corollulæ hermaphroditæ tubulosæ, quinquepartitæ, numerosæ in disco: feminae octo in radio ligulatæ, tridentatæ.  
 Staminum filamenta hermaphroditis quinque, capillaria, brevissima: anthera cylindracea.  
 Germen omnibus ovato-compressum, basi acutius, incurvum: stylus simplex: stigmata duo.  
 Semina solitaria, germinis figura.  
 Receptaculum nudum. Papus nullus.

### MADIA VISCOSA. *Tab.* 298.

326. MADIA foliis sessilibus, sublanceolatis, viscosis: floribus axillaribus.  
 Caulis teres, subcorymbosus, ramosus, bipedalis et amplius, pilis obductus glanduliferis, glandulis viscosis, quæ calices folia et ramulos vestiunt.  
 Folia sparsa, sessilia at minime amplexicaulia, sublanceolata, et fere linearia apice obtuso, basi latiora, uninervia.  
 Flores in summitate ramulorum axillares, breviter pedunculati.  
 Calix communis ovato-globosus: cuius foliola octo exteriora sunt ovato-acuta, cymbæformia, limbo interne revoluta ubi continetur radius: illorum apices connivent, dorsa pilis glanduliferis cooperta sunt, et inter octo sulcos, quos foliola exteriora formant, apparent interiora quæ discum circumdant.



Corollæ luteæ. Radii octo fertiles, calice longiores. In centro flosculi sub-24 minuti, quorum tubus villosus, et anthera fusca.

Semina nigra, nitida, ovato-compressa, inferne nonnihil incurva et acuta.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Chile. ☉ Floruit in Regio horto Matritense Augusto et Septembri 1795.

*Explic.* tab. *a* Radius cum foliolo calicis ipsi respondente. *b* Idem postice spectatus. *c* Idem absque foliolo calicis. *d* Flosculus hermaphroditus auctus. *e* Foliolum calicis interioris seriei. *f* Semen.

*Obs.* Duas huius generis species dedit Molina in historia naturali Chilense *sativam* scilicet foliis petiolatis, et *melosam* foliis amplexicaulibus, quibus proculdubio radii sunt longissimi iuxta laudatum auctorem: diversa ergo ab istis erit hæc nostra planta, cuius radii breves et folia sunt sessilia, nullatenus amplexicaulia.

### GUAZUMA POLYBOTRA. Tab. 299.

327. GUAZUMA caule fruticoso; foliis cordatis, ovato-acutis, serraturis inæqualibus: florum racemis axillaribus, pluribus.

Caulis fruticosus, tripedalis, ramis alternis, teretibus, tomentosis, tomento brevi, sæpe rufo. Folia alterna, cordata, ovato-acuta, obtuse et inæqualiter serrata, subtrinervia, dependentia; pagina superiore nitida et scabriuscula, inferiore tomentosa, præsertim tenera: petioli breves, teretes, tomentosi, versus folium incrassati: stipulæ oppositæ, subulatæ, ramis adpressæ, marcescentes, deciduæ.

Flores racemosi, racemis axillaribus binis, ternisque.

Calix di-triphyllus, foliis reflexo-concavis, deciduis, extus villosis.

Corolla globulosa, flavescens, pentapetala, petalis concavis extus villosis, apice auctis lacinia lineari rubra, bifida.

Staminum filamenta quinque erecto-divergentia, quæ alternant cum foliolis quinque lanceolatis in urceolum quinquefidum adproximatis: antheræ tres in singulo filamentum, obovatae.

Germen globosum in fundo quinque foliorum de quibus mentionem fecimus (quæque a plerisque filamenta sterilia nominantur). Stylus simplex: stigma acutum.

Fructus.....

Habitat in Nova-Hispania. ð Floret Augusto et Septembri.

*Explic.* tab. *a* Capitulum. *b* Flos magnitudine naturali. *c* Idem auctus. *d* Idem corolla expoliatus. *e* Genitalia. *f* Petalum. *g* Idem aliter spectatum. *h* Duo stamina. *i* Germen.

*Obs.* 1<sup>a</sup> Plumierius, primus huius generis auctor, tres species recensuit, dixitque earum alteram esse arborem, reliquas frutices. D. de Lamarck fruticulum observans in Regio horto Parisiensi, nostræ plantæ similem, arborem credidit altissimam, illam scilicet quam Plumierius delineavit, quamque Burmanus dedit tab. 144, fig. 1, Theobromæ nomine. Vidit ille in Plumieri figura florum ramulos solitarios et elongatos, quos in Parisiensi planta observabat breves et corymbosos; et nihilominus ex utrisque eadem efformavit speciem.

2<sup>a</sup> Theobromæ nomine tres arbores descripsit Linnæus, ex quibus tria genera Ambromam scilicet, Theobromam et Guazumam afformarunt Iussieus et Lamarck. Ambromæ characteres primus dedit Iacquinus, tabulam addens quæ est 40 vol. 3 horti Vindobonensis, quem postea sequuti sunt Linnæi filius, Lamarck et Iussieus. Isti sunt characteres:

Ambromæ. Calix pentaphyllus persistens, foliolis lanceolatis patentibus. Corolla pentapetala, petalis ovatis, fornicatis. Stamina connata in urceolum apice decempartitum, laciniis quinque alternis brevioribus, trifidis, triantheriferis; reliquis sterilibus. Germen superum subcylindricum: styli quinque. Capsula oblongo-truncata alis quinque, quinquelocularis, polysperma.

Theobromæ, Cacao vulgo, character genericus est: Calix quinquephyllus, foliolis lan-



ceolatis, acutis, patentibus, caducis. Corolla pentapetala, petalis concavis; auctis apice lacinia filiformi, desinente in foliolum subcordatum acutum. Stamina filamenta decem, basi in tubum coalita, quorum longiora subulata, sterilia; breviora antherifera, anthera solitaria biloculari, utrimque bifida. Germen superum ovatum: stylus filiformis: stigma simplex aut quinquelpartitum. Capsula quinquelocularis polysperma.

Guazumæ character genericus: Calix triphyllus, foliolis concavis, reflexis deciduis. Corolla pentapetala, petalis concavis, fornicatis, auctis apice lacinia lineari tandem bifida. Stamina filamenta fertilia quinque, triantherifera, et alia quinque longiora sterilia basi subconnexa. Germen superum globosum, tuberculis aut squamulis exasperatum: stylus simplex: stigma acutum. Fructus globosus, scaber, quinquelocularis, polyspermus.

Hæc tria genera affinia quidem sunt, verumtamen characteribus gaudent diversis. Quam ob rem recentioribus assentior et ad Guazumam revoco descriptum fruticem.

### IPOMOEA BONA-NOX *Linnæi. Tab. 300.*

328. IPOMOEÆ foliis cordatis, acutis, polymorphis: florum tubo longissimo.

*Ipomoea* foliis cordatis, acutis, integerrimis; caule aculeato; floribus ternis; corollis indivisis.

*Linn. sp. pl. vol. 1. pag. 450.*

*Convolvulus maximus*, caule spinulis obtusis obsito. *Sloan. Jamaic. vol. 1. tab. 96. fig. 1.*

Caulis lactescens, teres, volubilis, longissimus, ramosus, exasperatus tuberculis, spinæformibus, obtusis, inermibus.

Folia alterna, cordata, acuta nunc integerrima, nunc trilobata, quandoque etiam pandurata, et sæpe hederæ similia: petioli teretes foliorum longitudine.

Flores racemosi, racemis solitariis, axillaribus, tri-quinque floris.

Calix oblongus pentaphyllus; foliolis duobus interioribus brevioribus, ovato-acutis, concavis; tribus exterioribus incrassatis, auctisque apice acumine tereti nigricante.

Corolla infundibuliformis: tubus lutescens, semipedalis, cylindricus: limbus albus, patens, quinquelobus, lobis orbiculatis cum acumine setaceo: notantur in limbo quinque radii utrimque lutescentes, qui incipiunt in fauce tubi, et semisim angustiores terminantur in loborum acumine.

Stamina filamenta quinque, inæqualia, exerta, erecta, prope faucem tubi interne adnata, corolla breviora: antheræ oblongæ, basi emarginatæ.

Germen in fundo calicis ovato-acutum: stylus filiformis tubo longior: stigma bilobum albicans.

Non fructificavit in Regio horto Matritensi, at fructus dicente Sloaneo est capsula pollicaris polysperma, seminibus nudis nitidis. In embryome videtur quadrilocularis.

Habitat in Nova-Hispania. ♀ Floret Septembri.

*Explic. tab. a* Calicis foliola duo. *b* Corollæ tubus sectus ut appareant genitalia.



## ADDENDA ET CORRIGENDA

### IN TRIBUS VOLUMINIBUS HUIUS OPERIS.

- Num. 9. LUFFA FŒTIDA. Synonymis addendum est, *cucumis acutangulus* *Iacquin. hort. Vindob. vol. 3. pag. 40. tab. 73, 74.*
- N. 13... COSMOS BIPINNATUS. Hanc plantam ut novam evulgavit Patavii anni 1793 D. Ioseph Antonius Bonnato Coreopsisidis nomine; quod fructus prohibet, et calix duplex, uterque monophyllus, octo-fidus.
- N. 16... LOPEZIA RACEMOSA. Novum genus condidit ex hac planta idem laudatus Bonnato, quam descripsit atque delineavit Pisauræ nomine in opusculo typis dato Patavii mense Novembri anni 1793. Et quamquam ego ante biennium eandem plantam edideram, ne umbram quidem plagii in Bonnato suspicari licet, quod patet ex eius litteris ad me datis Patavii die 23 Ianuarii 1794; in quibus inter alia dicebat, Cl. Ioannem Marsilium Pisauram et Coreopsidem cultas in horto botanico Patavino observasse anno 1790, atque credentem novas, evulgasse; additque casu se evolventem, methodicam Encyclopediam quæ typis Seminarii Patavini prodiit in articulum incidisse qui de Lopezia est, cuius descriptio adamussim respondet plantæ ab ipso descriptæ. „Hoc nempe erat (loquitur laudatus auctor in dictis litteris) vir „præstantissime, quod te monitum volebam, ut tibi gratius accidat, dum me ipsum „audias ultro fatentem, a te primum plantam huiusmodi fuisse in vulgus prolata „tam; utque eidem Marsilio mihi que morem geram, quibus quam maxime displiceret de tua laude licet invite aliquid decerpisse, dum ipse quidem hanc suam „plantam festinat exponere, ego vero sedulitati eius adiutrices manus admoneo; eo „consilio ne alius quispiam hoc ipsum quod egomet ingenue fateor, vel illi vel „mihi queat obiicere.”
- N. 17... MIRABILIS VISCOSA. D. Antonius Turra ex hac mea planta novum genus condidit Vitmaniæ nomine. Num id recte? Botanici iudicabunt.
- N. 20... RUMEX POLYGAMUS. An Rumex lunaria Linnæi, quem Plukenetius dedit fig. 3, tab. 252? Patria, habitus, folia etiam aliquando subcordata id innunt: sola polygamia obstat. Mutari ergo debet in Linnæi definitione vox *hermaphroditis* in aliam scilicet *polygamis*.
- N. 58... PHLEUM SCHŒNOIDES. Post Linnæi definitionem addatur: *Iacq. aust. vol. 5. tabul. 7. suppl.*
- N. 65... LUPINUS TRIFOLIATUS. Inter stirpes rariores D. L'heritier video hanc plantam Dolichos nomine. Tabula quidem elegans, nomen improprium. Neque enim in vexillo calli reperiuntur, neque stamina diadelpha sunt, neque stigma introrsum barbaturum ut mittam reliqua quæ in Dolichis observamus. Potuit laudatus vir plantam videre in horto Parisino quando eandem in Matritensi delineabam, non prius. Ultimo enim Octobri anni 1789 nondum foras emisserat fasciculum sextum in quo ipsam descripsit.
- N. 104. MALVA UMBELLATA. Fructificavit hæc pulcherrima species in horto Regio Matritensi anno 1794, deditque fructum globoso compressum, umbilicatum, villosum, cuius maior diameter pollicaris, minor quinque linearum est: capsulæ in ipso continentur sub-60, pentaspermæ: semina sunt nigra, reniformia.
- N. 111. PHYSALIS SUBEROSA. Evulgavit hanc stirpem Barrelierius tab. 1173 hoc titulo: *Solanum frutex rotundifolium hispanicum*; et post ipsum Linnæus Atropæ frutescentis nomine. Vidit hic habitum et fere omnia esse Physalidis somniferæ, et nihilominus Atropis consociavit.
- N. 113. SISYRINCHIUM SPICATUM. Idem cum Sisyrinchio striato D. Smith, planta utri-



que nova, quam observabant Londini Smithius et Parisiis Iussieus, Botanici celeberrimi, quando ego prope Valentiam in oppido Puzol.

- N. 178. *HIBISCUS SPIRALIS*. Ubi de fructu agitur addendum est: capsula subcylindrica, obtuse pentagona, calicis longitudine, quinquelocularis, quinquevalvis: semina reniformia, nigra, pilosa, duo aut tria in quolibet loculamento. Fructum perfecit Aprili anni 1794.
- N. 208. *LASERPITIUM SCABRUM*. Errore sculptum est in tabula *glaucum* pro *scabrum*.
- N. 252. *CENTAUREA VIRGATA*. In Dictionario Encyclopedico plantam descripsit eodem nomine D. de Lamarck a mea certe diversam: attamen Centaureæ paniculatæ Linnæi ita similem ut huius varietatem reputem. Squamularum spinulæ in mea planta sunt minutissimæ, quare hæc species poterit inter Centaureas ciliatas collocari.
- N. 279. *IPOMŒA PENTAPHYLLA*. Ignorabam Cl. Iacquinum ex Convolvulo pentaphyllo Linnæi Ipomœam fecisse pentaphyllam, quam dedit secundo volumine plantarum rariorum. Notum sit id Botanicis, ut quam maluerint Ipomœam conservent.
- N. 282. *SOLANUM TRIQUETRUM*. Huius fructus est bacca rubra globosa, ciceris magnitudine.



# PLANTARUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

## TABULA SYSTEMATICA.

### CLASSIS 2. DIANDRIA.

IUSTICIA sexangularis. . . . . Numero 222. . . . . Tab. 203.

### CLASSIS 3. TRIANDRIA.

#### *Monogynia.*

CYPERUS iuncifolius. . . . . n. 223. . . . . Tab. 204. fig. 1.

NARDUS stricta. . . . . n. 224. . . . . Tab. 204. fig. 2.

#### *Digynia.*

MILIUM latifolium. . . . . n. 298. . . . . Tab. 273.

tenellum. . . . . n. 299. . . . . Tab. 274. fig. 1.

SACCHARUM sisca. . . . . n. 319. . . . . Tab. 292.

ROTTBOLLIA incurvata. . . . . n. 235. . . . . Tab. 213.

### CLASSIS 4. TETRANDRIA.

#### *Monogynia.*

PLANTAGO pilosa. . . . . n. 271. . . . . Tab. 249. fig. 1.

GALIUM frutescens. . . . . n. 226. . . . . Tab. 206. fig. 2.

### CLASSIS 5. PENTANDRIA.

#### *Monogynia.*

CONVOLVULUS undulatus. . . . . n. 303. . . . . Tab. 277. fig. 1.

IPOMŒA tricolor. . . . . n. 230. . . . . Tab. 208.

stans. . . . . n. 273. . . . . Tab. 250.

pentaphylla. . . . . n. 279. . . . . Tab. 256.

bona-nox. . . . . n. 328. . . . . Tab. 300.

RAUWOLFIA glabra. . . . . n. 325. . . . . Tab. 297.

CERBERA ovata. . . . . n. 295. . . . . Tab. 270.

SOLANUM parviflorum. . . . . n. 258. . . . . Tab. 236.

eleagnifolium. . . . . n. 265. . . . . Tab. 243.

lanceolatum. . . . . n. 267. . . . . Tab. 245.

triquetrum. . . . . n. 282. . . . . Tab. 259.

RHAMNUS iguaneus. . . . . n. 321. . . . . Tab. 294.

CEANOTHUS macrocarpus. . . . . n. 302. . . . . Tab. 276.

GUAZUMA polybotra. . . . . n. 327. . . . . Tab. 299.

ANABASIS tamariscifolia. . . . . n. 310. . . . . Tab. 283.

SALSOLA articulata. . . . . n. 311. . . . . Tab. 284.

fruticosa. . . . . n. 312. . . . . Tab. 285.

rosacea. . . . . n. 313. . . . . Tab. 286.

microphylla. . . . . n. 314. . . . . Tab. 287.

flavescens. . . . . n. 315. . . . . Tab. 288.

altissima. . . . . n. 316. . . . . Tab. 289.



salsa. . . . .	n. 317. . . . .	Tab. 290.
sativa. . . . .	n. 318. . . . .	Tab. 291.

*Digynia.*

GENTIANA maritima. . . . .	n. 323. . . . .	Tab. 296. fig. 1.
----------------------------	-----------------	-------------------

CLASSIS 6. HEXANDRIA.

*Monogynia.*

EUSTEPHIA coccinea. . . . .	n. 260. . . . .	Tab. 238.
ALLIUM capillare. . . . .	n. 227. . . . .	Tab. 206. fig. 1.
chamæmoly. . . . .	n. 228. . . . .	Tab. 207. fig. 1.
PANCRATIUM humile. . . . .	n. 229. . . . .	Tab. 207. fig. 2.
SCILLA autumnalis. . . . .	n. 300. . . . .	Tab. 274. fig. 2.
ASPHODELUS fistulosus. . . . .	n. 221. . . . .	Tab. 202.
ANTHERICUM reflexum. . . . .	n. 263. . . . .	Tab. 241.
SALMIA spicata. . . . .	n. 268. . . . .	Tab. 246.
IUNCUS mutabilis. . . . .	n. 324. . . . .	Tab. 296. fig. 2.

CLASSIS. 8. OCTANDRIA.

*Monogynia.*

ŒNOTHERA tetraptera. . . . .	n. 306. . . . .	Tab. 279.
GAURA mutabilis. . . . .	n. 281. . . . .	Tab. 258.
AMYRIS polygama. . . . .	n. 261. . . . .	Tab. 239.

CLASSIS 10. DECANDRIA.

*Digynia.*

PERIPLOCA puniceifolia. . . . .	n. 239. . . . .	Tab. 217.
SAXIFRAGA cuneifolia. . . . .	n. 270. . . . .	Tab. 248.

*Trigynia.*

ARENARIA triflora. . . . .	n. 272. . . . .	Tab. 249. fig. 2.
----------------------------	-----------------	-------------------

*Pentagynia.*

OXALIS tetraphylla. . . . .	n. 259. . . . .	Tab. 237.
-----------------------------	-----------------	-----------

CLASSIS 13. POLYANDRIA.

*Monogynia.*

CISTUS populifolius. . . . .	n. 237. . . . .	Tab. 215.
linearis. . . . .	n. 238. . . . .	Tab. 216.
glaucus. . . . .	n. 284. . . . .	Tab. 261.
origanifolius. . . . .	n. 285. . . . .	Tab. 262. fig. 1.
mollis. . . . .	n. 286. . . . .	Tab. 262. fig. 2.
dichotomus. . . . .	n. 287. . . . .	Tab. 263. fig. 1.
strictus. . . . .	n. 288. . . . .	Tab. 263. fig. 2.
MIMOSA distachya. . . . .	n. 322. . . . .	Tab. 295.



CLASSIS 14. DIDYNAMIA.

*Gymnospermia.*

SIDERITIS subspinosa. . . . .	n. 231. . . . .	Tab. 209.
PHLOMIS crinita. . . . .	n. 269. . . . .	Tab. 247.

*Angyospermia.*

CHELONE barbata. . . . .	n. 264. . . . .	Tab. 242.
BIGNONIA <sup>?</sup> linearis. . . . .	n. 294. . . . .	Tab. 269.
RUELLIA ovata. . . . .	n. 277. . . . .	Tab. 254.
lactea. . . . .	n. 278. . . . .	Tab. 255.

CLASSIS 16. MONADELPHIA.

*Triandria.*

MINUARTIA dichotoma. . . . .	n. 304. . . . .	Tab. 277. fig. 2.
------------------------------	-----------------	-------------------

*Pentandria.*

XANTHIUM orientale. . . . .	n. 243. . . . .	Tab. 221.
-----------------------------	-----------------	-----------

*Polyandria.*

MALVA miniata. . . . .	n. 305. . . . .	Tab. 278.
------------------------	-----------------	-----------

CLASSIS 17. DIADELPHIA.

*Decandria.*

GENISTA hispanica. . . . .	n. 233. . . . .	Tab. 211.
PSORALEA nutans. . . . .	n. 220. . . . .	Tab. 201.
tomentosa. . . . .	n. 262. . . . .	Tab. 240.
citriodora. . . . .	n. 296. . . . .	Tab. 271.
ÆSCHYNOMENE virgata. . . . .	n. 320. . . . .	Tab. 293.

CLASSIS 19. STNGENESIA.

*Polygamia æqualis.*

HIERACIUM laniferum. . . . .	n. 256. . . . .	Tab. 234.
CARDUUS glaucus. . . . .	n. 248. . . . .	Tab. 226.
ATRACYLIS gumifera. . . . .	n. 250. . . . .	Tab. 228.
BIDENS sambucifolia. . . . .	n. 251. . . . .	Tab. 229.
AGERATUM lineare. . . . .	n. 225. . . . .	Tab. 205.
PTERONIA porophyllum. . . . .	n. 247. . . . .	Tab. 225.
CACALIA porophyllum. . . . .	n. 244. . . . .	Tab. 222.
linaria. . . . .	n. 280. . . . .	Tab. 257.
PIQUERIA trinervia. . . . .	n. 257. . . . .	Tab. 235.

*Polygamia superflua.*

ASTER pinnatus. . . . .	n. 234. . . . .	Tab. 212.
hyssopifolius. . . . .	n. 254. . . . .	Tab. 232.
acris. . . . .	n. 255. . . . .	Tab. 233.
CINERARIA precox. . . . .	n. 266. . . . .	Tab. 244.
TAGETES lucida. . . . .	n. 289. . . . .	Tab. 264.
ZINNIA revoluta. . . . .	n. 274. . . . .	Tab. 251.



SIEGESBECKIA triangularis. . . . .	n. 276 . . . . .	Tab. 253.
MADIA viscosa. . . . .	n. 326. . . . .	Tab. 398.
VERBESINA serrata. . . . .	n. 236. . . . .	Tab. 214.
virgata. . . . .	n. 301. . . . .	Tab. 275.
DAHLIA rosea. . . . .	n. 290. . . . .	Tab. 265.
coccinea. . . . .	n. 291. . . . .	Tab. 266.
GALINSOGA parviflora. . . . .	n. 308. . . . .	Tab. 281.
trilobata. . . . .	n. 309. . . . .	Tab. 282.
HETEROSPERMA pinnata. . . . .	n. 292. . . . .	Tab. 267.

*Polygamia frustranea.*

HELIANTHUS linearis. . . . .	n. 240. . . . .	Tab. 218.
giganteus. . . . .	n. 241. . . . .	Tab. 219.
dentatus. . . . .	n. 242. . . . .	Tab. 220.
quinq̄ueradiatus. . . . .	n. 297. . . . .	Tab. 272.
RUDBECKIA perfoliata. . . . .	n. 275. . . . .	Tab. 252.
COREOPSIS alata. . . . .	n. 283. . . . .	Tab. 260.
heterophylla. . . . .	n. 293. . . . .	Tab. 268.
ovata. . . . .	n. 307. . . . .	Tab. 280.
ENCELIA halimifolia. . . . .	n. 232. . . . .	Tab. 210.
CENTAUREA virgata. . . . .	n. 252. . . . .	Tab. 230.
galactites. . . . .	n. 253. . . . .	Tab. 231.

*Polygamia necessaria.*

MILLERIA angustifolia. . . . .	n. 245. . . . .	Tab. 223.
POLYMNIA maculata. . . . .	n. 249. . . . .	Tab. 227.

*Polygamia segregata.*

NOCCA rigida. . . . .	n. 246. . . . .	Tab. 224.
-----------------------	-----------------	-----------



# DESCRIPTIONES PLANTARUM.

## SIDERITIS CHAMÆDRYFOLIA. *Tab. 301.*

329. SIDERITIS foliis cuneiformi-ovatis, incis, crenatis: bracteis subrotundis, crenatis, subspinosis: caule erecto, ramoso, villosa.

Caules teretes, pedales et amplius, erecti, ramosi, villosi, virido-violacei.

Folia opposita, cuneiformi-ovata, crenata, in petiolum attenuata, late viridia.

Flores spicati, spica interrupta longa: verticilli sexflori, sessiles: bractea verticillis breviores, subrotunda, crenata, crenulis subspinosis.

Calix parce villosus, turbinatus, quinquedentatus, dentibus spinosis aequalibus.

Corolla saturate lutea, monopetala: tubus calicis longitudine, cylindraceus, incurvus; limbus bilabiatus, labio superiori lineari, erecto, emarginato; inferiore trifido, lacinia media maiore.

Staminum filamenta quattuor intra tubum corollae, quorum duo breviora: antherae subrotundae didymae.

Germen quadrifidum: stylus filiformis vix staminibus longior: stigmata duo, quorum superius inferiore vaginatum.

Semina quattuor interne angulata, extus rotundata.

Habitat in regni Valentini tractu, vulgo *Collado de San Antonio* inter Bocayrent et Bañeres oppida, ubi floridam vidi mense Julio 1792  $\mathcal{A}$ . Crescunt ibidem satureia montana, marrubium alyssum, thymus piperella, plantago albicans, scrophularia canina, sisymbrium sophia, digitalis obscura &c.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem expansus. *c* Corolla. *d* Eadem expansa ut stamina conspiciantur. *e* Germen. *f* Idem auctum ut stigmata videantur. *g* Bractea magnitudine naturali. *h* Eadem aucta.

*Obs.* Calices quandoque sunt sexdentati.

## SIDERITIS HIRSUTA *Linnæi. Tab. 302.*

330. SIDERITIS foliis lanceolatis, obtusis, dentatis, pilosis: bracteis dentato spinosis: caulibus hirsutis, decumbentibus. *Linn. sp. pl. volum. 3. p. 40.*

Sideritis foliis lanceolatis, obtusis, dentatis, pilosis: caulibus hirsutis decumbentibus: spicis interruptis, subspinosis. *Lamarck dict. vol. 2. p. 169.*

Sideritis hirsuta procumbens altera, minimum crenata. *Bauh. pin. 233. Tournef. 191.*

Sideritis IIII. Clusii. *Hist. 2. p. XL.*

Caules sublignosi, decumbentes, ex quibus rami prodeunt erecti, hirsuti, vix pedales.

Folia opposita, hirsuta, late viridia, ut plurimum oblonga, basi angusta, apice obtusa, dentata et crenata.

Flores ut in præcedenti; at bractea multo maiores, ovata, dentata, spinosa.

Calix hirsutus, oblongus, quinquedentatus, dentibus aequalibus spinosis.

Corollae tubus incurvus, cuius labium superius erectum, reflexum, lineare, bifidum, niveum; inferius flavum, trifidum, lacinia media latiore emarginata.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat prope Cortes de Pallás in regno Valentino  $\mathcal{A}$ . Florentem vidi mense Julio 1792. stipatam alyso alpestri, rosa spinosissima, spartio patente, genista florida, rusco aculeato &c.



*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla extra calicem. *c* Eadem expansa. *d* Germen, stylus, stigmata aucta. *e* Bractea magnitudine naturali.

*Obs.* Folia huius plantæ potius spatulata et aliquando ovata quam lanceolata sunt.

### SIDERITIS SCORDIOIDES *Linnæi. Tab. 303.*

331. SIDERITIS caule tomentoso: foliis lanceolatis, acute dentatis, pagina inferiore tomentosis: bracteis ovatis dentato-spinosis.

Sideritis foliis lanceolatis subdentatis supra glabris, bracteis ovatis dentato-spinosis, calicibus æqualibus. *Linn. sp. pl. vol. 3. p. 40. Lamarck dict. vol. 2. p. 169.* qui folia dixit *acute dentata*.

Sideritis foliis hirsutis profunde crenatis. *Bauch. pin. 233.*

Betonica foliis ellipticis, acute dentatis, bracteis serratis aristatis, verticillis spicatis. *Hall. herb. n. 261.*

Sideritis montana scordioides tomentosa. *Barrel. icon. 1160.*

Caules duriusculi, sublignosi, tomento incani, adscendentes, vix pedales, terminati spica interrupta.

Folia lanceolata, acute dentata, pagina inferiore valde tomentosa albicantia, superiore viridia rugosa pilis aliquot, et aliquando glabra.

Flores spicati: verticilli sexflori, sessiles: bracteæ verticillis breviores, ovatæ, spinosæ.

Calix campanulatus quinque-dentatus, dentibus interne valde pilosis.

Corolla lutea, cuius labium superius erectum, lineare, emarginatum; inferius trifidum, lacinia media latiore crenulata.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat copiose juxta Miranda de Ebro, et in regno Valentino prope Castalla  $\mathcal{A}$ . Floret Septembri et Octobri.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *c* Idem auctus et expansus interne spectatus. *d* Corolla aucta et expansa. *e* Germen, stylus, stigmata aucta. *f* Bractea magnitudine naturali.

### SIDERITIS LEUCANTHA. *Tab. 304.*

332. SIDERITIS caule fruticoso humili: foliis lanceolatis, brevibus, villosis apice spinosis: corollis albis.

Caules fruticosi breves, ex quibus rami exsurgunt villosi, vix pedales.

Folia opposita, sessilia, brevia, lanceolata, serraturis aliquot, spinula terminali; in quorum axillis fasciculi foliorum minorum ut in thymo vulgari.

Flores spicati, spica interrupta, cuius verticilli sexflori, sessiles: bracteæ breves subrotundæ, spinulosæ.

Calix subtomentosus, turbinatus, dentibus quinque æqualibus.

Corolla alba, cuius labium superius erectum, lineare, emarginatum: inferius trifidum, lacinia media maiore.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in regni Valentini tractu *Collado de San Antonio* ubi floridam observavi mense Augusto  $\mathcal{A}$ . Crescunt ibi asclepias nigra, hypericum ericoides, sedum acre, nepeta catarrha &c.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix expansus. *c* Corolla expansa. *d* Germen, stylus, stigmata. *e* Eadem aucta. *f* Bractea. *g* Folium auctum.

*Obs.* Hæc planta habitu et magnitudine thymum vulgarem refert.



IXORA TERNIFOLIA. *Tab.* 305.

333. IXORA foliis ternatis, lanceolatis, subsessilibus: floribus fasciculatis, coccineis. Caules suffruticosi, simplices, sesquipedales, virido-rubentes.

Folia terna, subsessilia, lanceolata, uninervia nervo utrimque ramoso, glabra, integerrima, pagina superiore viridia et nitida, inferiori glauca: stipulæ subulatæ, erectæ cum foliis alternæ.

Flores corymboso-fasciculati, terminales; pedicellis trifidis, trifloris.

Calix superus, profunde quadripartitus, laciniis linearibus erectis, persistentibus.

Corolla saturate coccinea, tubulosa: tubus gracilis, tetragonus pollicem et amplius longus: limbus quadrifidus, laciniis ovato-acutis, brevibus, patentibus: faux patula, tubique superficies interior albicans, et prope fundum villosa.

Staminum filamenta vix ulla, cuius loco lineæ quattuor albicantes per tubi parietem prope faucem excurrentes: antheræ quattuor oblongæ, utraque extremitate liberæ, in medio adfixæ tubo, ita ut apices per faucem conspiciantur.

Germen inferum, turbinatum, breve: stylus tubo brevior, albus: stigma oblongum, incrassatum duabus constans laminis rubris, hinc inde styli apici adpressis.

Fructus ovato-compressus, truncato-umbillicatus, tectus cortice viridi, terminatusque calicis laciniis, inter quæ umbillicus apparet ruber. Fructus hic est bilocularis, loculis monospermis. Semina ovata.

Habitat in Nova-Hispania  $\mathcal{L}$ . Introducta in hortum Regium Matrit. ab anno 1792. fructum tandem perfecit mense Octobri anni 1795.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Germen et calix. *c* Styli pars cum stigmate valde aucto. *d* Flos sectus et expansus. *e* Fructus. *f* Huius sectio transversalis. *g* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Quamquam Linnæus dixerit, huius generis fructum esse baccam bilocularem, semina quattuor continentem; recentiorum observationibus constat semina solitaria esse in unoquoque locullo: Ita celeberrimus Josephus Gärtner in vere aureo opere de *Fructibus et seminibus* p. 117. primi volum. et 88. secundi, ita etiam D. de Lamarck in opere cui titulus *Illustration des genres* p. 234. quod verum esse in hac nova specie vidimus.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Ixoræ genus adeo simile est Pavettæ generi ut unicum ex ipsis conservari videatur. Consulantur quæ laudatus Gärtner dixit p. 117. 1. volum. et Jussieus p. 203.

GLEOME UNIGLANDULOSA. *Tab.* 306.

334. GLEOME foliis sparsis, ternatis, lanceolatis, integerrimis, fetidis: floribus uniglandulosis.

Caules teretes, villosi, sesquipedales, erecti.

Folia sparsa, ternata, petiolo communi ipsis subæquali sustentata; foliola lanceolata integerrima, medio paulo longiore.

Flores terminales, numerosi: flos quilibet sustentatus pedunculo pollicari ad bracteam ovatam axillari, cuius diameter tractu temporis augetur.

Calix tetraphyllus, foliolis lanceolatis, acutis, villosis, deciduis.

Corolla alba tetrapetala, petalis adcurrentibus ovatis, apice emarginatis, inferne in unguem capillarem longum desinentibus, cum calicis foliolis alternis. Glandula unica inter germen et calicis superius foliolum, estque concava, lutea.

Staminum filamenta purpurea, corolla duplo longiora, numero 14-16.; quorum 7-8 inter germen et glandulam; totidem, paulo breviora, infra germen receptaculo inserta: antheræ stantes, ovatæ, purpureæ.

Germen sessile, lineare, villosum, viride: stylus purpureus, staminum longitudine: stigma simplex.



Siliqua subcylindrica, bipollicaris: Semina plura, globuloso-compressa.  
 Habitat in Nova Hispania præsertim in Acapulco  $\mathcal{N}$ . Introducta in prædictum hortum anno 1795. ex seminibus Americanis floruit atque fructificavit mense Septembri et Octob.  
*Explic.* tab. *a* Germen et glandula. *b* Flos integer. *c* Siliqua. *d* Semen.

COLUTEA ORIENTALIS. *Tournefortii*. Tab. 307.

335. COLUTEA caule fruticoso erecto: foliis impari-pinnatis, pinnulis novem, ovato-rotundatis, emarginatis, glabris, glaucis: floribus sanguineis.

Colutea orientalis, flore sanguinei coloris, lutea macula notato. *Tournef. cor.* 44.

Colutea fruticosa, foliolis cordatis glaucis; floribus sanguineis. *Lamarck dict. vol. 1. p.* 253.

Colutea humilis fruticosa; foliolis obcordatis; carinæ apice truncato. *Scopoli Flora insubrica vol. 2. p.* 23. tab. 12.

Caules bipedales et amplius, teretes, glaberrimi, ut et tota planta.

Folia alterna, pinnata cum impari; pinnulis ovato-rotundatis, emarginatis, glaucis, brevissime petiolatis: stipulæ oppositæ, breves, acutæ, petiolo communi adnatæ.

Flores racemosi, racemis axillaribus, solitariis, erectis, quinquefloris.

Calix campanulatus, ore quinque-dentato, denticulis subulatis, quorum duo superiores paulo breviores, inferior omnibus longior.

Corolla papilionacea sanguinei coloris: vexillum subrotundum, emarginatum, reflexum, variegatum lineis dilutioribus: prope basim habet callos duos parallelos a tergo non excavatos, et supra ipsos maculas totidem ovato-oblongas, saturate luteas: alæ sunt vexillo et carina breviores, falcatae, basi que auriculatae, carinæ adpressæ: carina lunulata compressa, apice ascendens, cuius color fuscior.

Staminum filamenta decem, quorum superius subulatum liberum; reliqua in vaginam connexa, apice libera, inæqualia: antheræ ovatae.

Germen lineare pedicellatum: stylus ascendens: stigma recurvum, antica parte nitidum, interne barbatum, villis excurrentibus per styli respondentem superficiem.

Legumen inflatum, rubeo-lutescens, sutura superiore apice dehiscens; ubi perforatum apparet hiatus-ovali. Semina quattuor, aut sex, reniformia: (semen unicum aut bina dixit Scopoli).

Habitat in Oriente  $\mathcal{N}$ . Vidi olim in regio horto Parisiensi, postea vero in nostro Matritensi, ubi floret æstate.

*Explic.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Calix expansus. *c* Petala. *d* Vexillum reflexum ut calli appareant. *e* Stamina novem. *f* Germen cum decimo filamentum. *g* Idem auctum. *h* Legumen, et Semina.

*Obs.* Vexillum basi bicallosum Dolicho et aliis generibus commune est.

SOLANUM LENTUM. Tab. 308.

336. SOLANUM fruticosum, inerme, decumbens, ramis subscandentibus: floribus numerosis, terminalibus.

Caules teretes decumbentes et quandoque prostrati, subscandentes et nonnihil tomentosi præsertim teneri, ulnâres et amplius, inermes uti tota planta, ramis alternis.

Folia sparsa, petiolis multoties longiora, ovato-acuta, mollia.

Flores terminales numerosi, pedunculis semipollicem longis.

Calix hemisphæricus, glaber, decem-dentatus, dentibus teretibus, alternis brevioribus.

Corolla violacea, rotata, limbo pentagono, angulis acutis; quæ notatur postica superficie costis quinque lanceolatis, crassiusculis albido-viridibus.

Staminum filamenta quinque, quorum quattuor brevissima, et quintum multoties longius:



antheræ luteæ, didymæ, apice biperforato, conniventes; quarum una, sustentata scilicet filamento longiore, est ceteris duplo altior.

Germen globosum: stylus filiformis longitudine filamenti longioris: stigma clavatum viride.

Fructus: : : :

Habitat in Imperio Mexicano ꝯ. Floruit in Regio horto Matritensi mense Septembri et Octobri anni 1794.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Germen. *c* Antheræ.

### SOLANUM FRUCTU-TECTO. *Tab. 309.*

337. SOLANUM caule, foliorum nervis, calicibusque aculeatis: foliis bipinnato-sinuatis: fructu tecto.

Caules teretes, tripedales et amplius, ramosi, aculeati.

Folia alterna, petiolata, bipinnata, pinnulis obtusis, sinuatis, crispis præsertim teneris.

Flores racemosi, racemis solitariis, 5-7-floris.

Calix persistens, hirsutus, aculeatus, semiquinquepartitus, cuius pars indivisa, inferior scilicet, sensim augetur, tegitque undique baccam.

Corolla lutea, rugosa, extus tomentosa, intus glabra, monopetala, rotata, limbo semiquinquepartito, patente: tubus brevissimus, in cuius apice interna crenulæ quinque.

Staminum filamenta quinque, minima, crenulis alterna: antheræ luteæ, oblongæ, conniventes, apice poris duobus dehiscentes.

Germen globosum: stylus filiformis, staminibus paulo longior: stigma incrassatum.

Bacca globosa, glabra, apice puncto notata, calice aucto tecta, bilocularis, receptaculo carnoso. Semina numerosa, rufescentia, subrotunda, compressa.

Habitat in Imperio Mexicano. Culta in R. H. M. ex seminibus inde missis, floruitque autumno anni 1796, et perit.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Corolla expansa cum staminibus. *c* Huius tubus et stamina. *d* Germen. *e* Calix fructum fovens. *f* Bacca. *g* Huius sectio transversalis. *h* Semen.

### ASCLEPIAS ALBA. *Tab. 310.*

338. ASCLEPIAS caule volubili: foliis oppositis, ovato-acutis, inferne albis: umbellis solitariis, multifloris.

Caules teretes, longissimi, volubiles, ramosi, lactescentes ut et tota planta.

Folia opposita, ovata, apice acuminata, basi obcordata, pagina superiore late viridia, inferiore alba tomento brevissimo.

Flores umbellati, umbella solitaria ad latus petioli: pedunculus communis bipollicaris: radii 20-30, pollicares, uniflori: involucrum polyphyllum, foliolis brevibus, acutis. Ex centro umbellæ alia prodit.

Calix monophyllus, profunde partitus in quinque lacinias lanceolatas acutissimas.

Corolla sordide alba, monopetala, rotata, profunde partita in quinque lacinias ovato-acuminatas, limbo villosa. Eius centrum occupat pedicellus brevissimus, genitalia sustinens, quæ ambiunt 1.º corniculi quinque clausi, candidissimi, nitidi, corollæ lacinias alterni; 2.º pellicullæ prismaticæ quinque, longitudinaliter fissæ, cum quibus alternant sacculi totidem apice squamosi, basi interna biloculares.

Staminum radices quinque, minimæ, rubentes, ovato-acutæ inter saccorum apices, angulis stigmatis adfixæ, e quarum basi fila prodeunt duo, initio arcuata, postea pendula in clavam producta, quæ tandem in sacculorum loculamenta reconduntur.

Germina duo, supera, obovata, in stylos conicos abeuntia, terminatos stigmatibus communi obscure pentagono, fungoso, partim tecto quinque squamulis supra recensitis.

Fructus. . . .



Habitat in Peruvia. Floruit in laudato horto Matritense mense Octobri anni 1795.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corniculus. *c* Idem auctus. *d* Sacculi. *e* Genitalia aucta.  
*Obs.* Consulatur huius operis vol. 1. p. 5.

SIDA BICOLOR. *Tab.* 311.

339. SIDA caule fruticoso erecto, ramis patulis: foliis lanceolatis, valde acuminatis, serratis: floribus axillaribus solitariis.  
 Caulis bipedalis, teres, virido-violaceus, ramis alternis patulis.  
 Folia alterna, lanceolata, valde acuminata, serrata, petiolis longiora: petioli prope folia incrassati: stipulæ subulatae deciduæ.  
 Flores axillares, solitarii, quorum pedunculi erecti, pollicares.  
 Calix semiquinquepartitus, laciniis acutis coloratis.  
 Corolla extus rubens, intus saturate flava, patens, petalis, aut rectius laciniis quinque basi acutis, apice altera parte brevioribus.  
 Stamina tubus flavescens, apice multipartitus, filis capillaribus brevissimis, antheriferis: antheræ luteæ, obovatae.  
 Germen globosum obscure pentagonum: styli quinque staminibus longiores, reflexi: stigmata globosa.  
 Fructus intra calicem quinquecapsularis: capsulæ monospermæ, muticæ, extus convexæ, interna parte acutæ. Semina reniformia.  
 Habitat in Nova-Hispania  $\mathcal{N}$ . Colitur in R. H. Mat. ubi floruit mense Octobri anni 1795. una cum Nissolia fruticosa.  
*Explic.* tab. *a* Calix postice spectatus. *b* Flos integer. *c* Germen cum stylis. *d* Capsula. *e* Semen.

SIDA LINEARIS. *Tab.* 312. *fig.* 1.

340. SIDA foliis linearibus serratis: petiolis basi spinosis: floribus solitariis.  
 Caules fruticosi, sesquipedales, erecti, parce ramosi.  
 Folia alterna, lineari-elliptica, serrata, petiolis multoties longiora: petioli basi spinosi, spina recurva: stipulæ lanceolatae pilis aliquot.  
 Flores axillares, solitarii, pedunculis brevibus.  
 Calix pentagonus, turbinatus, quinquedentatus.  
 Corolla lutea, calice maior, vix aperta.  
 Stamina tubus et antheræ ut in præcedenti.  
 Germen globoso compressum, sulcis decem: styli decem: stigmata globosa.  
 Fructus decemcapsularis, intra calicem: capsulæ in orbem positæ, muticæ, monospermæ.  
 Habitat cum præcedenti, floruitque ibidem eodem tempore  $\mathcal{N}$ .  
*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla. *c* Stamina. *d* Germen cum stylis. *e* Idem auctum. *f* Fructus. *g* Capsula. *h* Semen.

*Obs.* Ordine collocari debet hæc species post Sidam capensem Monadelphicæ num. 49. a qua differt foliorum figura, stipulis pedunculo brevioribus, et spina recurva ad basim petioli. His notis atque fructu decemcapsulari distinguitur a Sida angustifolia num. 24. eiusdem Monadelphicæ.

SIDA TRIDENTATA. *Tab.* 312. *fig.* 2.

341. SIDA caule brevissimo filiformi: foliis ovatis apice tridentatis: floribus axillaribus solitariis.



Caulis tripollicaris, tomentosus, ramis alternis.  
 Folia alterna, ovata, apice truncata et tridentata, pagina inferiore subtomentosa: petioli foliis æquales duarum fere linearum: stipulæ lineares; erectæ, petioli longitudine.  
 Flores solitarii, lutei, axillares, pentagynei. Reliqua ut in congeneribus.  
 Habitat in insula Sancti Dominici: vidi siccam absque fructu, communicatam a D. Dupuy.

*Explic. tab. i Folium auctum.*

ARALIA HUMILIS. *Tab. 313.*

342. ARALIA caule annuo: foliis impari-pinnatis, pinnulis cordatis, serratis, ovato-acutis: floribus umbellatis.

Caulis teres, erectus, sesquipedalis, tectus cortice nunc viridi nunc rubente, tuberculis fuscis variegato.

Folia alterna, impari-pinnata, pinnulis cordatis, serratis, scabriusculis, ovato-acutis: petiolus communis basi incrassatus.

Flores umbellati, umbellis aliquando axillaribus et sæpius terminalibus: pedunculi communes 1-3-pollicares, articulati, ad articulum bisquamosi, squamulis rubentibus, acutis, marcescentibus: radii subviginti, pollicares: involucra polyphylla foliolis setaceis brevibus.

Calix superus ex quinque denticulis minimis compositus.

Corollæ petala quinque, viridia, ovato-acuta, initio patientia, postea reflexa.

Staminum filamenta quinque, petalis alterna, erecta, corollæ longitudine: antheræ ovata didymæ.

Germen inferum, obovatum, lineis quinque notatum: styli quinque erecti: stigmata simplicia.

Fructus est drupa ovata, obscure pentagona, coronata denticulis calicis, pentasperma: semina oblonga.

Habitat in Nova-Hispania  $\mathcal{N}$ . Floret quotannis mense Octobri in R. H. Mat. fructum dedit anno 1792.

*Explic. tabulæ, in qua plantam delineavi priusquam umbellæ debitam magnitudinem haberent, quarum alteram pinxi floribus et fructibus onustam magnitudine naturali, quam sistit figura A. a Floris capitulum. b Idem auctum. c Flos integer auctus. d Idem corolla expoliatus. e Drupa. f Huius sectio. g Semen.*

*Obs.* Hanc plantam descripsisse videtur D. de Lamarck pag. 224. vol. I. Encyclopædiæ nomine Araliæ racemosæ Linnæi, synonymis addens Iacobi Cornuti tabulam p. 75., et inscriptionem scilicet *Panaces Καρπιμον. Sive racemosa canadensis.* Cornuti plantam, quam Barrelierius recudi curavit tab. 705, diversam esse ab Aralia nostra nullus inficiabitur, qui dictas tabulas cum hac nostra comparet. Canadensis etenim planta fructus præbet racematim contextos, uvarum racemulos æmulantes: hæc nostra Mexicana in umbellas dispositos. Quare aut duas longe diversas plantas in unum coniunxit laudatus Encyclopædiæ auctor; aut suppressenda videntur synonyma Linnæi, Cornuti, aliorumque auctorum.

ÆSCHYNOMENE PICTA. *Tab. 314.*

343. ÆSCHYNOMENE foliis pinnatis, pinnulis linearibus obtusis: floribus racemosis, vexillo postice picto.

Caulis teres, orgyalis, glaber uti tota planta, ramis alternis.

Folia alterna, pinnata, pinnulis utrimque fere 18, linearibus, obtusis, aliquando emarginatis, semipollicem longis: stipulæ subulatæ, marcescentes.

Flores racemosi, racemis pendulis: pedunculi partiales ad bracteolam brevem axillares, et prope calices bibracteati, bracteolis subulatis, deciduis.



Calix glaber, campanulatus, ore quinquedentato, dentibus brevibus subæqualibus.  
 Corolla lutea papilionacea: vexillum orbiculatum, emarginatum, erecto reflexum, postica  
 superficie variegatum punctis, maculisque minimis nigricantibus: alæ ovato-lineares, ba-  
 si falcata: carina alis brevior, basi et apice bifida.  
 Staminum filamenta decem alba, quorum unum liberum, reliqua in vaginam fissam con-  
 nexa, apice libera: anthera ovata, fusca.  
 Germen lineare, teres: stylus subulatus ascendens: stigma simplex.  
 Legumen arcuatum, subteres, articulatum, articulis 16. plus minusve. Semina ovata.  
 Habitat in Nova-Hispania et in promontorio Bonæ-Spei ♂. Floruit et fructificavit autum-  
 no anni 1795 in R. H. Mat. Eandem habebam siccam, quam in dicto promontorio  
 legit D. Sonnerat.  
*Explic.* tab. *a* Calix cum germine. *b* Petala expansa. *c* Stamina. *d* Eadem expansa. *e* Ger-  
 men. *f* Legumen.

ÆSCHINOMENE LONGIFOLIA. Tab. 315.

344. ÆSCHYNOMENE caule fruticoso: foliis pinnatis, pinnulis lanceolatis: calicis limbo  
 inflexo.  
 Caulis orgyales, teretes, glabri, parce ramosi, cortice tecti fusco-rubente.  
 Folia pedalia, abrupte pinnata, pinnulis sesquipollicaribus, lanceolatis, terminatis setula  
 brevi, quorum petioli breves; communis vero basi incrassatus: stipulæ subulatae mar-  
 cescentes.  
 Flores racemosi, racemis axillaribus pendulis: pedunculi partiales ad bracteolam axillares.  
 Calix glaber, campanulatus, limbo quinquedentato inflexo, a basi ad limbum compressus  
 adeo ut rotulam æmuletur.  
 Corolla lutea, papilionacea: vexillum orbiculatum, emarginatum, limbo nonnihil con-  
 nivente.  
 Reliqua ut in præcedente.  
 Legumen:::  
 Habitat in Nova-Hispania ♀. Floret autumno in R. H. Matritensi.  
*Explic.* tab. *a* Petala postice spectata. *b* Calix. *c* Stamina novem connexa. *d* Germen cum  
 filamenta libero. *e* Stamen auctum.

*Obs.* Hæc planta (si non est Piscidia, fructum enim non vidi, a quo desumitur cha-  
 racter differentialis) differt ab Æschynomene grandiflora Linnæi 1.º Calicis figura: 2.º  
 Florum magnitudine octies minori: 3.º Foliis acutis, quæ obtusa sunt in grandiflora, cuius  
 exemplar posideo lectum a Commersonio in Insula Bourbonica.

PISCIDIA PUNICEA. Tab. 316.

345. PISCIDIA fruticosa foliis pinnatis, pinnulis ovatis: leguminibus pendulis.  
 Caulis fruticosus quattuor et amplius pedes altus, ramis alternis, glabris.  
 Folia alterna, pinnata, pinnulis utrimque fere 14, ovatis, oblongis, pagina superiore vi-  
 ridibus, inferiore glaucis: petiolus communis basi incrassatus: stipulæ subulatae macer-  
 scentes.  
 Flores racemosi, racemis axillaribus pendulis: pedunculi partiales ad bracteolam axillares,  
 prope calicem incrassati, ibique ornati bracteolis duabus oppositis deciduis.  
 Calix coloratus, campanulatus, limbo quinquedentato inflexo.  
 Corolla punicea, papilionacea: vexillum emarginatum, orbiculatum, erecto-reflexum: alæ  
 ovatae longitudine fere vexilli: carina lunulata, retusa, unguibus tenuibus.  
 Staminum filamenta decem, quorum unum liberum, reliqua in vaginam, longitudinaliter  
 fissam, connexa, apice libera: anthera ovata.



Germen oblongum, compressum, stylus subulatus adscendens: stigma simplex.

Legumen articulatum, oblongum, compressum, apice acutum, auctum alis quattuor longitudinalibus (maioribus quam in Loto tetragonolobo) initio rubentibus, divergentibus, postea per paria adproximatis fructu maturo. Semina fere decem ovata, nitida, grisea.

Habitat in America calidior; unde semina adsportavit D. Ludovicus Née quæ terræ commissa anno 1795. plantas dedere eiusdem speciei cum ea quæ iam in H. R. Mat. floruerat Augusto præcedenti. Fructicavit anno 1796.

*Explic.* tab. *a* Petala expansa postice spectata. *b* Calix et genitalia. *c* Germen. *d* Floris capitulum quod necdum debitam magnitudinem adquisivit. *e* Idem ante corollæ expansionem. *f* Legumen magnitudine naturali, quæ sæpius variat. *F* Leguminis sectio ut alæ appareant. *g* Semen.

### SALVIA ANGUSTIFOLIA. *Tab.* 317.

346. SALVIA foliis lanceolatis oblongis; inferioribus parce serratis, superioribus subintegræ verticillis sexfloris.

Caulis tetragoni, erecti, bipedales, ramis oppositis.

Folia sessilia, angusta, lanceolata; inferiora serraturis aliquot; superiora subintegra.

Flores verticillati, verticillis sexfloris, ad quorum basim bracteæ duæ oppositæ, aut si major foliola duo acuta: flos quilibet breviter pedunculatus.

Calix bilabiatus: labium superius integrum, acutum; inferius bifidum.

Corolla saturate cærulea: tubus compressus longitudine calicis: limbus ringens, cuius labium superius breve, compressum, incurvum, integrum, villosum: inferius latum, patens, trifidum, lacinia media maiori, subrotunda, emarginata.

Stylus prope stigma barbatus. Reliqua ut in congeneribus huius operis.

Habitat in Nova-Hispania  $\mathcal{N}$ . Colitur in R. H. Mat. ubi floruit autumnus anni 1795.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Idem expansus.

### SALVIA CIRCINATA. *Tab.* 318.

347. SALVIA foliis cordatis, ovato-acutis, crenatis: calicinis lobis obtusis.

Caulis erecti, tetragoni, pilis aliquot, bipedales, ramis oppositis.

Folia opposita, petiolis longiora, cordata, crenata, mollia, ovato-acuta.

Flores verticillati, verticillis sexfloris in spicam terminalem dispositis, ad quorum basim bracteæ duæ oppositæ, ovatæ, acuminatæ, ciliatæ.

Calix bilabiatus labiis obtusis villosis, superiore integro, inferiore breviter emarginato.

Corollæ color, figura et magnitudo ut in præcedenti, labio superiore excepto quod est emarginatum.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in Nova-Hispania  $\mathcal{N}$ . Colitur in laudato horto, floretque autumnus.

*Explic.* tab. *a* Corolla expansa. *b* Calix. *c* Idem expansus.

### SALVIA PAPILIONACEA. *Tab.* 319.

348. SALVIA foliis ovato-lanceolatis, serratis, utrimque acutis: corollarum limbo quadridido.

Caulis erecti, tetragoni, ulnares, ramis oppositis, subtomentosis.

Folia ovato-lanceolata, serrata, utrimque acuta, petiolis longiora, superiore pagina saturate viridia, inferiore albicantia et nonnihil pubescentia.



Flores verticillati, verticillis sexfloris in spicam terminalem dispositis, ad quorum basim bracteolæ duæ breves deciduæ.

Calix oblongus, lutescens, bilabiatus, labio superiore ovato-acuminato; inferiore versus apicem bifido.

Corolla saturate cærulea, sesquipedallicaris: labium superius fornicatum integrum, extus tomentosum; inferius dependens, oblongo-ovatum, trifidum lobulo medio emarginato; inter labia prope faucem lacinia duæ lineares, sæpius expansæ alarum instar ut in plerisque papilionaceis.

Staminum filamenta duo, alba, basi libera et adproximata, corollæ adfixa lacinulis duabus transversalibus prope faucem corollæ.

Stylus corolla longior, superne duplici ordine opposito barbatus: stigma bifidum cæruleum.

Reliqua ut in congeneribus.

Præcedentium concivis  $\mathcal{Z}$ . Floruit in eodem horto mense Decembri 1795.

*Explic.* tab. *a* Corolla expansa. *b* Germen, stylus, stigmata.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Lacinia lineares corollæ, in crucem ut plurimum expansæ, desiderantur in aliquo flore.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Flores vidi aliquos in hac specie tetrandros; duo scilicet filamentorum paria assurgebant ex lacinulis transversalibus ipsorum, quæ totidem antheras sustinebant: filamenta hæc non sub labio superiore erant recondita ut sæpius observatur in *Salviis*; sed prominebant divaricata.

### SALVIA PHLOMOIDES. *Tab.* 320.

349. *SALVIA* foliis ovatis, serratis: verticillis sexfloris, bracteatis: bracteis orbiculato-acutis, ciliatis.

Caulis tetragoni, villosi, erecti, bipedales, ramis oppositis.

Folia opposita, petiolis longiora, ovata, serrata, nonnihil rugosa, pilis aliquot.

Flores spicati, spicis terminalibus, verticillis sexfloris; quorum bractea orbiculato-acuta, ciliata.

Calix campanulatus, striatus, bilabiatus, labio superiore integro cum acumine, inferiore bifido.

Corolla cærulea ex albo variegata, ringens: labium superius concavum, integrum; inferius trifidum lacinis lateralibus brevibus, media latâ biloba, lobis orbiculatis.

Reliqua ut in congeneribus descriptis in hoc opere, præsertim pagina 15 primi voluminis. Imperii Mexicani incola, ex seminibus enata in R. H. Mat. floruit ultimo Septembri anni 1795  $\mathcal{Z}$ .

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla. *c* Eadem expansa. *d* Stamina. *e* Germina, stylus, stigmata. *f* Semina. *g* Bractea.

### CROTALARIA ANGULOSA *Lamarck. Tab.* 321.

350. *CROTALARIA* foliis simplicibus, subovatis: stipulis lunatis, amplexicaulibus: caulibus quadrangularibus sulcatis. *Lamarck Dict. vol. II pag. 197. num. 16.*

Caulis tetragonus, angulosus, vix pedalis.

Folia brevissime petiolata, solitaria, alterna, ovata, læte viridia, integerrima: stipulæ lunata, caulem amplexantes.

Flores racemosi, racemis terminalibus: pedunculi breves ad bracteolam axillares.

Calix campanulatus, quinquepartitus, laciniis acutis, subæqualibus; quarum duæ superiores.

Corolla dilute cærulea, papilionacea: vexillum subrotundum, emarginatum, reflexum, albicans, lineis violaceis variegatum, cuius unguis brevis bicallosus: alæ vexillo breviores, ovata, cæruleæ: carina dilutior, recurvata, apice acuta, alisque brevior.



Stamina monodelpha, quorum tubus, qua vexillum respicit, fissus et hians, apice decem-partitus, laciniis capillaribus, alternis longioribus: antheræ crocei coloris, globosæ in filamentis longioribus, in brevioribus oblongæ, erectæ.

Germen ovato-oblongum, tomentosum: stylus simplex, infractus, adsurgens: stigma obtusum.

Legumen pendulum, turgidum, glabrum, uniloculare, bivalve: semina globoso-reniformia. Habitat in insula Mindanao: ex seminibus ibi lectis a D. Ludovico Née, enata in laudato horto floruit Septembri anni 1795 ☉.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Petala. *c* Calix. *d* Germen. *e* Filamenta. *f* Eadem expansa. *g* Caulis pars. *h* Stipula.

*Obs.* D. de Lamarck tres plantas uti varietates coniunxit, quia omnibus est caulis angulatus, tetragonus.

### CROTALARIA INCANA *Linnaei. Tab. 322.*

351. CROTALARIA foliis ternatis, ovatis, mucronatis: stipulis setaceis: leguminibus hirsutis. *Lamarck Dict. vol. 2. p. 197. num. 26. Linn. vol. 3. p. 423. Jacq. observ. 4. p. 4. tab. 82.*

Caulis bipedalis et amplius, ramosus, teres, atro-rubens, pubescens, uti et petioli præsertim teneri.

Folia ternata, ovata, apice breviter mucronata, pagina superiore viridia, inferiore glauca et pubescentia, sustentata petiolo communi pollicari: stipulæ setacæ, breves, deciduæ.

Flores racemosi racemis terminalibus, semipedalibus: pedunculi partiales brevissimi, floresque nutantes: prope calicem in pedunculi apice bracteolæ duæ setacæ, divergentes, et tertia ad eiusdem pedunculi insertionem.

Calix ut in præcedente.

Corolla lutescens, cuius vexillum carinatum, integrum, variegatum lineis saturatoribus, alis longius: alæ ovatæ: carinæ margines albo-lanatæ.

Genitalia ut in præcedente.

Legumen inflatum, pendulum, hirsutum: semina globoso-reniformia.

Habitat in America calidiore ☉. Floret Septembri in R. H. Mat.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Petala. *c* Germen. *d* Stamina expansa.

*Obs.* Hanc plantam minus incanam esse in Europæ hortis quam in solo natali observavit Cl. Jacquinus loco citato: in huius icone desideratur fructificationis sistema, et foliorum mucrones. Silentio pressi Sloani tabulam 179, in qua aut diversa designatur planta, aut nostra male depicta fuit; quod etiam innuit Jacquinus qui Sloani icones mediocres reputavit.

### IPOMOEA PILOSA. *Tab. 323.*

352. IPOMOEA foliis quinatis, pilosis, integerrimis: caule volubili piloso. *Linn. nomine CONVOLVULI pentaphylli vol. 1. p. 443. ubi videndi auctores.*

*Ipomoea pentaphylla. Jacq. plant. rar. fascicul. 2. vol. 2. Observ. vol. 2. p. 297.*

Caulis volubilis, scandens, longissimus, ramosus, teres, sæpe ruber, tuberculis fuscis variegatus, pilisque rigidis rufescentibus coopertus.

Folia alterna, subsessilia, petiolata, petiolis rubris valde pilosis, apice sustentibus foliola quinque lato-lanceolata, integerrima, acuminata, uninervia nervo ramoso, pilis raris vestita.

Flores axillares pedunculati, pedunculo communi 3-4-pollicum longo, apice bifido bifloro, ibique bistipulato.

Calix pentaphyllus foliolis ovatis oblongis, quorum duo exteriora includunt reliqua, limboque gaudent sæpius rubro: omnium dorsa hirta pilis rufis.



Corolla alba infundibuliformis, cuius tubus vix calicis longitudine, et limbus patens plicatus integerrimus.

Staminum filamenta quinque, inæqualia, imo tubo adnata, tuberculis totidem oblongis adfixa: antheræ albæ, oblongæ, sulcatæ, erectæ.

Germen globosum: stylus albus, staminibus brevior: stigma album bilobum.

Capsula globosa, obtusa, calice tecta, quadrilocularis, tetrasperma. Semina extus globosa, intus angulata, ita ut quartam spheræ partem referant.

Habitat in America calidiore ☉. Floret Septembri in laudato horto Matritensi.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Idem sectus et expansus ut genitalia appareant. *c* Capsula calice tecta. *d* Eadem calice denudata. *e* Semen.

*Obs.* Hæc planta diversa est a Convolvulo pentaphillo Plumierii Americ. tab. 91. fig. 2. cui folia sunt simplicia profundissime partita in quinque lacinias nitidas dentatas, et flores ramosi.

### PECTIS PROSTRATA. Tab. 324.

353. PECTIS caule prostrato: foliis ovato-linearibus, connatis, basi ciliatis; supra nitidis, subtus punctatis.

Caules teretes, duriusculi, prostrati, vix pedales, valde ramosi, ramis sparsis.

Folia connata, sessilia, ovato-linearia, basi utrimque ciliata, pagina superiore viridia, nitida; inferiore glauca, punctisque diaphanis veluti perforata.

Flores versus ramulorum summitates in dichotomia solitarii, subsessiles, erecti.

Calix communis simplex, oblongus, quinesulcatus, pentaphyllus, foliolis æqualibus, canaliculatis, erectis, adpressis.

Corolla composita, radiata: radii feminei quinque, calicis foliolis respondententes, quorum corolla lutea, ligulata, brevis, limbo ovali apice breviter tridentato: in centro flosculi 5-8-hermaphroditi, quorum corolla pariter lutea, minima, infundibuliformis, limbo erecto, quinquefido.

Staminum filamenta quinque, brevissima: anthera cylindræa.

Germen omnibus lineare, fertile: stylus filiformis, stigmata revoluta.

Semina linearia, subtetragona, villosa, coronata paleis quinque, acutis.

Receptaculum nudum.

Habitat in Nova-Hispania ☉. Floruit autumnno anni 1795. in R. H. Mat.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix expansus. *c* Radius. *d* Idem auctus. *e* Flosculus hermaphroditus. *f* Idem auctus. *g* Semen auctum.

*Obs.* Inflorescentia convenit hæc species cum Pecte punctata descripta et delineata a D. Jacquino tab. 169. Stirpium Americanarum, a qua differt quia P. punctata est erecta bi-tripedalis ramis striatis; foliisque gaudet linearibus cum acumine, haud basi connatis: et floribus pedunculatis, pedunculis longitudine fere foliorum. Differt etiam hæc nostra a P.P. ciliari et linifolia Linnæi ut patet ex collatione tabularum Plumerii 151. fig. 2. et Sloani 149. fig. 3. cum nostra tabula.

### PSORALEA LUTEA. Tab. 325.

354. PSORALEA caule decumbente: floribus spicatis luteis: foliorum pinnulis ovatis, subtomentosis.

Caules pedales, teretes, ramosi, ramis alternis.

Folia impari-pinnata, pinnulis ut plurimum 17, ovatis, subtomentosis, breviter petiolatis, terminali crenata: petiolus communis teres basi bistipulatus, stipulis lanceolatis, brevibus deciduis.

Flores spicati, spicis terminalibus, sesquipollicem longis, in quibus flores sedent ad bracteam axillares.



Calix persistens, nonnihil compressus, extus tomentosus, intus glaber, punctisque rubris variegatus, semiquinquefidus, laciniis acutis æqualibus, infima longiore.

Corolla lutea pentapetala, cuius vexillum breve, concavum, compressum, ungue capillari affixum basi germinis; alæ ovatæ, basi lunulata, unguibus adfixæ tubo staminum, quemadmodum et carina, quæ alis est longior.

Stamina monadelphia: tubi apex decempartitus, laciniis capillaribus antheriferis: antheræ fusæ: polen croceum.

Germen ovatum, compressum, apice villosum: stylus filiformis pilis aliquot: stigma obtusum.

Legumen intra calicem, minimum, monospermum. Semen ovatum.

Habitat in Nova-Hispania ꝯ. Floruit in laudato horto mense Octob. 1796.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Calix expansus intus spectatus, ubi puncta rubra. *c* Petala. *d* Genitalia. *e* Stamina aucta. *f* Germen auctum. *g* Legumen. *h* Semen.

### ABRONIA UMBELLATA de Jussieu. Tab. 326.

355. ABRONIA caule herbaceo diffuso: foliis oppositis ovatis, altero brevioribus: floribus umbellatis.

*Abronia. De Jussieu gener. p. 448, 449. Lamarck Illustration des genres p. 267. 469. tab. 105.*

Caules herbacei, teretes, diffusi, ramosi pedales.

Folia ovata, inferne glauca ubi nervus unicus protuberans, petiolis fere triplo breviora, opposita quorum aliud maius cum minore alternans.

Flores in pedunculo axillari solitario, foliis longiore, 12-18 sessiles, involucri cincti polyphylo, foliolis ut plurimum quinque lanceolatis, brevibus, quæ pro calice communi asumsit D. de Lamarck.

Calix proprius nullus.

Corolla infera infundibuliformis, cuius tubus virido-albicans, longus, basi tumidus, ultra coarctatus, supra latior; limbus pulchre roseus, patentissimus, quinquepartitus, laciniis obcordatis seu bilobis, pagina inferiore dilutioribus.

Staminum filamenta quinque basi coalita in vaginulam hypogynam brevissimam, ultra parumper libera, statimque adglutinata tubo corollæ, per quem inæqualiter excurrunt, donec tandem iterum libera antheras sustinent luteas, oblongas, non exertas: harum duæ sitæ sunt prope faucem perviam; duæ paulo inferius, et quinta sub istis.

Germen superum, ovatum, cinctum basi vaginula urceoliformi, quinque dentata, e quorum dentibus assurgunt filamenta alba: stylus simplex tubo brevior: stigma clavatum subvillosum.

*Semen unicum, durum, ovato-acutum, quinqueangulare, angulis undulato-crispis, tectum basi corollæ. Lamarck.*

Habitat in Californiæ maritimis ☉, unde D. Colignon misit semina in R. hortum Parisiensem, ubi floridam vidi, descripsi et delineavi mense Septembri anni 1788.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Idem tubo longitudinaliter secto et expanso ut genitalium situs appareat. *c* Germen intra vaginulam, terminatum stylo et stigmatibus: omnia aucta. *d* Semen. *e* Eiusdem sectio transversalis.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Miror D. de Lamarck nihil de vaginula dixisse, quam vidimus oculatissimus de Jussieu et ego multoties dicto anno; unicus ille character classem monstrat, Monadelphiam scilicet, ad quam hoc genus pertinet. D. de Jussieu Abroniam collocavit inter Iasmineas post Nyctaginem.

*Obs. 2.* Huius plantæ fructum non vidi; fructificavit ipsa certe postquam Galliam reliquit in patriam reversurus medio Octobri anni 1789, ideoque quæ de fructu dicta, ex citato opere D. de Lamarck desumpta sunt, qui num fructum designaverit magnitudine naturali aut aucta prorsus ignoro.



*Obs. 3.<sup>a</sup>* Huius plantæ habitus Valerianæ est, flores Primulæ, character fere Nyctaginis. Nec defuere Parisiis botanici peritissimi qui plantam primo aspectu Boerhaaviam crediderint.

### DODONÆA VISCOSA *Linnæi. Tab. 327.*

356. DODONÆA caule fruticoso: foliis oblongis, lanceolatis, alternis: floribus paniculatis. *Dodonæa viscosa. Linn. sp. pl. vol. 2. p. 162. Lamarck Dict. vol. 2. p. 292. Jacq. Americ. pict. p. 54, 55.*

Caulis fruticosus, valde ramosus, in horto Matritensi tripedalis, in patria vero orgyalis et ultra.

Folia alterna, integerrima, lanceolata, glaberrima, uninervia, basi attenuata in petiolum brevem qui per ramulos decurrens costam aut angulum efformat.

Flores racemoso-paniculati terminales: pedunculi pollicares, ad foliolum axillares.

Calix tetraphyllus, foliolis ovatis concavis deciduis: corolla nulla.

Staminum filamenta brevissima, ut plurimum octo, basi germinis inserta: antheræ totidem oblongæ, arcuatæ, quadrisulcatæ, didymæ, conniventes.

Germen triquetrum: stylus crassus longus, basi simplex, supra tripartitus, laciniis in fasciculum sæpe coalitis: stigmata simplicia rubentia.

Fructus est capsula inflata, trisulca, trilocularis, aucta alis tribus membranaceis subrotundis. Semina ovata, bina in unoquoque loculamento.

Habitat in Iamaica et in America calidiore  $\varphi$ . Colitur in R. H. Mat. ubi floridam vidi mense Novembri anni 1787, fructiferam Ianuario sequenti.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Eiusdem foliolum. *c* Flos integer. *e* Germen. *g* Fructus maturus. *h* Huius sectio. *i* Ala cum tertio loculamento.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Huius plantæ folia diversa sunt ab illis quæ Sloan pinxit tab. 162. fig. 3. quamque nihilominus ad eandem speciem cum hac nostra reduxit D. de Lamarck: fortasse variat foliis.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Missam facimus Dodonæam trifoliatam Trew. rar. 12 tab. 9, quia vera Ptelea est.

### COUTOUBEA TERNIFOLIA. *Tab. 328.*

357. COUTOUBEA foliis ternis lanceolatis oblongis acutis: florum spicis terminalibus densis.

Caulis teres, herbaceus, erectus, quinque pedes altus, ramis aliquot versus apicem.

Folia terna, sessilia, oblonga, acuta, integerrima, glabra, nervo unico longitudinali.

Flores spicati, spica densa, in qua terni sedent ita dispositi ut spica appareat quodam modo hexagona: flores singuli sunt basi tribracteati, bracteolis lateralibus acutis brevibus, media longiore, præsertim in verticillis inferioribus.

Calix monophyllus, profunde partitus in quattuor lacinias acutissimas erectas.

Corolla alba monopetala calice longior, hypocrateriformis, limbo patente quadrifido, laciniis æqualibus ovato-acutis.

Staminum filamenta quattuor, adfixa tubo corollæ inter ipsum et squamulas apice liberæ, corollæ longitudine: antheræ sagittatæ.

Germen superum, oblongum: stylus filiformis staminibus paulo brevior: stigma bilamelatum.

Capsula ovato-acuta, semibilocularis, bivalvis: semina numerosa, minuta, parietibus capsulæ adfixa.

Habitat in Panamá in tractu dicto *Huerta de la Concepcion*, floretque Novembri ☉. Vidi siccam in ditissimo herbario D. Ludovici Née indefessi Botanici; qui postquam Hispaniæ provincias perlustravit, in scientiæ profectum inter arripuit longum et periculosum. Perscrutatus est regnum Peruvianum et Chilense, vastissimam regionem vulgo *Pampas*



de Buenos Ayres; Novæ-Hispaniæ maximam partem, insulas Philippicas, easque maris pacifici Amicorum dictas, Novam-Hollandiam et in ea coloniam anglicam Botany-Bay nominatam, unde multa plantarum millia secum adsportavit. Huius collectionis plantas aliquas evulgabo, quæ reliquarum præstantiam commendent et præcipue laudati Ludovici solertiam et in Botanicam amorem.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix basi tribracteatus. *c* Idem expansus. *d* Corolla expansa cum staminibus. *D* Eadem aliter spectata ut squamulæ appareant staminumque insertio. *e* Stamen auctum. *f* Germen. *g* Capsula. *h* Eadem expansa in valvulas. *i* Valvula aucta. *k* Semen valde auctum.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Genus *Gentianæ* ita simile ut vix ab eo distinguatur, eo præsertim quod plures dentur *Gentianæ* species corollis quadrifidis.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Hæc species diversa omnino est a *Coutoubea spicata Aubletii*, quam *Coutoubeam albam* nominavit *D. de Lamarck*. Conferatur *Aubletii* tab. 27 cum hac nostra.

*Obs.* 3.<sup>a</sup> *Coutoubea* nomen barbarum fortasse reputavit *Cl. Schreberius*, ideoque in *Picrium* mutavit pag. 791. *Gen. plant. edit. post Reichardianam* secunda anni 1791: quia vero *Parisienses botanici celeberrimi Lamarck et de Jussieu* dictum *Coutoubea* nomen receperunt, pace laudati *Schreberii* idipsum conservare mihi liceat. Hic idem *Jo. Christianus Dan. Scheber* ex mea *MOLINA* (nomen proculdubio dignissimum) *GÆRTNERAM* fecit, quam *Gærtner* ipse *HIPTAGE* nominavit priusquam vidisset nonam meam dissertationem: vidit hanc *Schreberius*, et nihilominus nec verbum addidit de *Molina*.

### CINCHONA PHILIPPICA. Tab. 329.

358. CINCHONA foliis ovatis glabris: floribus corymbosis: pedunculis duplicato trifidis: antheris exertis.

Arbor humilis cortice cinereo amaro.

Folia opposita, glabra, ovata, utrimque acuta, petiolis triplo et amplius longiora: stipulæ latæ inter petiolos, deciduæ.

Flores axillares: pedunculus communis folio brevior erectus, apice tripartitus, ibique bifolius: partes istæ pedunculi breves, iterum trifidæ sunt, trifloræ, tribracteatae.

Calix superus, brevis, campanulatus, quinquepartitus, persistens.

Corolla glabra monopetala, infundibuliformis, semiquinquepartita, ita ut tubus sit laciniis æqualis; istæque patentis.

Staminum filamenta quinque, exerta, basi fere tubi inserta: antheræ oblongæ, erectæ, flavæ. Germen oblongum: stylus filiformis staminum fere longitudine: stigma bilamellatum.

Capsula infera, oblonga, coronata calice, bilocularis, bivalvis, valvis margine introflexo dissepimentum conficientibus. Semina in singulo loculo plurima, ovata, compressa, marginata.

Habitat prope Manila in Santa Cruz de la Laguna, ubi floridam vidit laudatus peregrinator *Née*, e cuius herbario sequentes depromsi ♀.

*Explic.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Corolla expansa cum staminibus. *c* Germen. *d* Capsula. *e* Eadem aucta. *f* Huius medietas intus spectata. *g* Eadem cum seminibus. *h* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Quum plures dentur *Chinchonæ* species corollis glabris, filamentis exertis, atque stigmatibus bilamellatis, quas *Celeb. Linnæus* nusquam vidit, reformari debet huius generis character ut iam pridem fecit carissimus et sapientissimus *de Jussieu*. Quare quæ *Schreberius* dixit de laciniarum lana, simplicitate stigmatis, atque filamentorum mensura delenda sunt, utpote naturæ non semper consona.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Omnia in tabula depinxit ut in exemplari sicco erant: num vero fructus in debitam pervenisset maturitatem et magnitudinem affirmare nequeo.



## LEPTOSPERMUM.

## CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Calix campanulatus semiquinquepartitus, parte germen circumdante persistente.  
 Corollæ petala quinque, orbiculata, calicis margini interiori integroque inserta.  
 Staminum filamenta numerosa (10-20) filiformia calicis margini inserta: antheræ ovatae incumbentes.  
 Germen globosum in fundo calicis, huicque adglutinatum: stylus filiformis erectus: stigma globosum.  
 Capsula globosa depressiuscula, margine calicis umbilicata, quinquelocularis, quinque valvis, loculis polyspermis. Semina numerosissima, tenuissima, oblonga.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Ioannes Reinoldus Forster nomen composuit ex vocibus *λεπτος* exilis, et *σπερμα* semen, quod apprime quadrat plantis nunc describendis. Quinque hucusque vidi, omnes frutices foliis sparsis numerosis, ut plurimum punctatis pagina inferiore: earum quatuor, de quibus in hoc opere, crescunt in Nova-Hollandia, quinta in Nova-Zelandia, quam olim vidi vivam in Regio horto Parisiensi, Philadelphi nomine. Omnium semina sunt similia, et capsulæ quinquevalves, quarum dissepimenta sunt valvulis opposita, si *Leptospermum stellatum* excipias; cuius dissepimenta sunt duplicata ex inflexis valvularum marginibus. Calicis lacinia persistunt in *Leptospermis stellato* et *iuniperifolio*: in reliquis decidunt.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> „Situs diagnosis in maturo fructu suas sæpe ingentes habet difficultates quibus oviam ire licet, examinando situm ovarii in flore recenter expanso; in quo si totum ovarium supra receptaculum floris proprium emineat, subsequentem fructum tuto declarabis superum, etsi per maturitatem suam totus a calice vel corolla fuerit contactus atque incrustatus: contra autem si in illo statu ovarium intra floris delitescat thalamum; aut si stamina atque petala altissime supra sedem fructus calici fuerint inserta, tunc in priori casu audenter, in posteriori vero ob analogiam fructus eiusmodi ad inferos poterunt referri.” *Gärtner introd. gener. pp. 77. 78. vol. 2.* Clarissimo huic Botanico assentior, fructusque *Leptospermi*, *Metrosideri*, *Eucalypti* atque *Fabriciæ* inferos dico.

*Obs.* 3.<sup>a</sup> Cl. Schreber in plantarum generibus, et Lamarck in *Dict. Encyclop.* ex *Leptospermo* et *Metrosidero* unicum genus efformarunt contra *Gärtneri* sententiam, et quod potius est reluctantem fructu. Hac ergo de causa utrumque conserbabo in hoc opere, non item species; quorum aliqua, *metrosideros* a *Gärtnero* nominata, ad aliud genus pertinent.

LEPTOSPERMUM STELLATUM, *Tab. 330. fig. 1.*

359. *LEPTOSPERMUM* foliis ovatis, oblongis, trinerviis, alternis, punctatis: floribus solitariis, subsessilibus: calice integro persistente.

Caulis fruticosus valde ramosus, 6-8-pedalis, glaber ut et tota planta.

Folia alterna, adproximata, subsessilia, ovato-oblonga, utrimque acuminata, trinervia, pagina inferiore punctis aliquot minutis excavata.

Flores solitarii axillares, pedunculis sustentati brevibus.

Calix campanulatus, laciniis quinque ovatis persistentibus.

Corolla lutea.

Staminum filamenta 20 et amplius, lutea, corolla paulo breviora: antheræ luteæ.

Germen, stylus, stigma ut in caractere generico.

Capsula inferiori parti calicis adglutinata, loculamentis quinque apice dehiscentibus, quo-



rum omnium apertura stellulam efformant circa receptaculum columnare pentagonum. Semina tenuissima fusca.

Habitat prope oppidum Jackson in Nova-Hollandia, ibique Iungia imbricata, Fabricia myrtifolia, Banksiæque plures quas legit et adsportavit laudatus Ludovicus Née  $\mathcal{N}$ . Vidi sic. Floret Aprili.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Germen. *c* Calix. *d* Petalum. *e* Genitalia aucta. *f* Capsula. *g* Eadem aucta dehiscens. *h* Receptaculum columnare. *i* Semina. *k* Semen auctum. *l* Folium auctum.

### LEPTOSPERMUM POROPHYLLUM. Tab. 330. fig. 2.

360. LEPTOSPERMUM foliis ovato-oblongis, obtusis, basi angustioribus, dense punctatis: floribus solitariis terminalibus: calicinis laciniis deciduis.

Caulis sexpedalis et amplius, fruticosus, ramis alternis iterum ramosis.

Folia vix semipollicem longa et lineam lata, apice obtusa, subsessilia, alterna, glabra, obscure trinervia, dense punctata pagina inferiore, punctis nigricantibus, contra lucem vero diaphanis, adeo ut tunc perforata videantur.

Flores solitarii, subsessiles in ramulorum apicibus.

Calicis lacinia decidua.

Corolla, genitalia et receptaculum columnare ut in præcedente.

Capsula calicis parte inferiore incrustata, globoso-depressa, subpentagona, valvulis quinque extus scabris atque dissepimento oppositis. Semina numerosa, rufescentia, lineari-paleacea, tenuissima.

Habitat floretque cum præcedente  $\mathcal{N}$ . Vidi in herbario D. Lud. Née.

*Explic.* tab. A Folium auctum. B Capsula aucta. C Semina mag. nat. D Semen auctum.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Corolla lutea et foliorum forma diversum videtur a Leptospermo scopario D. de Lamarck dict. vol. 3. pag. 466. ad quod idem auctor refert plantam *The* vulgo dictam, et figuratam vol. 1. pag. 213. tab. 10. itin. Cook editionis Paris. anni 1778.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Quamquam Leptosperma ut plurimum gaudeant foliis punctatis, hanc speciem dixi *porophyllum* quia puncta in ipsa sunt copiosissima.

### LEPTOSPERMUM MULTIFLORUM. Tab. 331. Fig. 1.

361. LEPTOSPERMUM foliis alternis ovato-acuminatis, uninervis: floribus axillaribus, calicum laciniis deciduis.

An Leptospermum squarrosum *Gærtner* vol. 1. pag. 174. tab. 33.?

Caulis 6-8 pedalis fruticosus ramosus, ramis adscendentibus.

Folia numerosa, alterna, sessilia, ovato-oblonga cum acumine rigido, ut plurimum concava, uninervia.

Flores axillares, subsessiles, solitarii, numerosi, quorum calices ut in præcedenti, eorumque lacinia decidua.

Stylus brevis cum stigmate globoso.

Capsula subglobosa, depressiuscula, umbilicata, cuius valvulae dissepimenta et semina ut in præcedente.

Habitat prope Paramata et Jackson oppida Novæ-Hollandiæ  $\mathcal{N}$ . Fructibus ornatur Aprili. Vidi in laudato herbario absque corolla.

*Explic.* tab. *a* Capsula nondum dehiscens. *b* Eadem perfecte matura. *c* Semina. *d* Semen auctum. *e* Folium auctum.



LEPTOSPERMUM IUNIPERIFOLIUM. *Tab. 331. Fig. 2.*

362. LEPTOSPERMUM foliis sublinearibus, rigide acuminatis; ramulis villosis: calicis glabri laciniis persistentibus.

Caulis fruticosus quinquepedalis: rami numerosi, teretes, alterni, villosi præsertim teneri, et cortice rubro.

Folia alterna, sublinearia cum acumine rigido, sessilia, obscure trinervia, vix trium linearum longitudine, ex quorum axillis alia prodeunt fasciculata.

Flores sessiles, cuius calix glaber, laciniis persistentibus.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in Nova-Hollandia semileuca a portu Botany-Bay.  $\alpha$ . Vidi fructiferum in eodem herbario.

*Explic.* tab. *f* Capsula. *g* Eadem aucta. *h* Semina. *i* Semen auctum. *k* Folium auctum.

*Obs.* A præcedente differt calicum laciniis persistentibus, ramulis villosis et foliorum forma.

METROSIDEROS *Gartner.*

## CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CALIX monophyllus quinque-dentatus, turbinato-campanulatus.

Corollæ petala quinque, basi attenuata, calicis margini interiori inserta.

Stamina numerosa, corolla longiora, calici inserta: antheræ ovatæ incumbentes.

Germen infundo calicis huicque adglutinatum, ovatum: stylus filiformis staminum longitudine: stigma truncatum.

Capsula calicis ventre corticata trilocularis trivalvis, apice dehiscens: semina numerosa minima, cuneiformia, parte acuta receptaculo centrali adfixa.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Septem species examinavi, Novæ-Hollandiæ incolas, in quibus vidi capsulas triloculares trivalves, quarum semina numerosa minima cuneiformia, numquam rotundata. Vidit Cl. Gartner rotundata semina in sua *Metrosidero* costata, quæ ut postea videbimus ad aliud genus pertinet. Mearum plantarum sunt arbores aut frutices, quibus folia sunt integerrima et alterna in quattuor prioribus, opposita in reliquis speciebus.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Ex floribus capsulæque figura, quam dedit Forster tab. 36. videtur *Metrosideri* species planta ab ipso nominata *Leptospermum scandens*.

METROSIDEROS MARGINATA. *Tab. 332.*

363. METROSIDEROS foliis alternis, lanceolatis, trinervis, limbo revoluto: floribus in racemum conglomeratis prope ramulorum summitates.

An arbor alba minor *Rumph. Amb. vol. 2. pag. 76. tab. 17.?*

Caulis fruticosus, octopedalis, ramis alternis et cortice rubente.

Folia alterna, subsessilia, lanceolata, trinervia, nervo medio ramoso, reliquis marginalibus.

Flores in racemum conglomerati, ad bracteam deciduam sessiles, prope ramulorum summitates locati, ita ut post racemum folia denuo occurrant terminalia.

Calicis laciniæ deciduæ.

Petala lutescentia, ovata, patentia.

Staminum filamenta incarnata, pollicem longa, libera.

Germen minimum: stylus incarnatus.

Capsula globosa, calicis ventre indurato corticata. Reliqua ut in caractere generico.



Habitat in Nova-Hollandia prope portum Jackson, floretque Aprili  $\mathcal{A}$ . Vidi in laudato herb. *Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix et corolla. *c* Petalum. *d* Calix expansus cum staminibus. *e* Stamen auctum. *f* Germe. *h* Calix induratus capsulam continens. *i* Idem sectus ut appareat capsula et supra ipsam villi in fauce calicis. *k* Capsula. *l* Eadem aucta. *m* Eadem multoties aucta et secta. *n* Semina. *o* Eadem aucta.

*Obs.* Huius et sequentis plantæ semina comparavit Rumph. paleis aut abruptis spinæ acuminibus, pallide fuscis, et parum incurvis.

### METROSIDEROS QUINQUENERVIA. *Tab.* 333.

364. METROSIDEROS foliis lanceolatis, alternis, quinquenervis: floribus polyadelphis in racemum conglomeratis.

An arbor alba *Rumph. Amb. vol. 2. pag. 72-75. tab. 16.?*

An etiam Melaleuca viridiflora Solandri apud Gærtner de fructibus tab. 35.?

Arbor cuius truncus ad 20. pedes crescit, coronatus coma densa, corticeque cinero tectus. Folia lanceolata, oblonga, subsessilia, alterna, quinquenervia.

Staminum filamenta polyadelphe, lutea, corolla multoties longiora.

Reliqua ut in præcedente cum qua vivit et floret Aprili.  $\mathcal{A}$ . Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. A Flos integer magnitudine naturali. *a* Idem staminibus expoliatus. *b* Petalum. *c* Calix expansus cum staminibus. *d* Filamentorum fasciculus. *e* Germe. *f* Fructus intra calicem induratum edentulum. *g* Huius sectio ut appareat capsula.

### METROSIDEROS NODOSA Gærtner. *Tab.* 334.

365. METROSIDEROS foliis linearibus confertis: floribus aggregatis, in medio ramulorum nodosis.

*Metrosideros nodosa. Soland. et Gærtner tab. 34. fig. 6.*

Caulis fruticosus, octopedalis et amplius, valde ramosus, cortice cinereo: rami teretes ascendentes iterum ramosi.

Folia conferta, sessilia, lineari-acuminata, uninervia, vix pollicem longa, semilineam lata.

Flores prope ramulorum basim aggregati, nodum aut si mavis annulum efformantes.

Calix fructifer edentulus, coriaceus globosus.

Germe ut in præcedentibus, et stylus longissimus habita ad flores ratione.

Capsula et semina valde minuta.

Habitat prope oppidum Jackson in Nova-Hollandia, fructum gerit Aprili  $\mathcal{A}$ . Ex eodem herbario, ubi rami omnes fructiferi, absque floribus.

*Obs.* Styli longitudo et exiguitas calicis indicant stamina longissima et petala minuta.

*Explic.* tab. *a* Fructus mag. nat. *b* Idem auctus. *c* Calix expansus et in eo capsula. *d* Eadem aucta. *e* Huius sectio. *f* Semina. *g* Semen auctum.

### METROSIDEROS ARMILLARIS. *Tab.* 335.

366. METROSIDEROS foliis linearibus, angustissimis, confertis: floribus dense spicatis in medio ramulorum.

Frutex ramosus, ramis teretibus bifurcatis, cortice cinereo albicante, scabriusculo ex tuberculis oblongis, ad basim foliorum locatis.

Folia sessilia ad tuberculum oblongum album, angustissima, laxè imbricata ut in *Ericis pluribus purpurea* præsertim et *vagante*, numquam opposita licet numerosissima, acuta.

Flores in medio ramulorum sedent spicati, quarum spicarum rachides sunt ipsi rami ultra flores foliosi.



Calix subglobosus dentibus quinque quodammodo persistentibus.  
 Capsula in fundo calicis, ipsoque indurato et suberoso corticata, trilocularis, trivalvis. Se-  
 mina cinerea, numerosissima, cuneata, receptaculo columnari affixa parte acuta.  
 Habitat cum præcedentibus, fructumque gerit Aprili 24. Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix magnitudine naturali post petalorum atque staminum casum. *b* Idem  
 auctus. *c* Idem capsulam maturam fovens mag. nat. *d* Idem auctus. *e* Idem sectus ut  
 appareat capsula. *f* Capsula dehiscens. *g* Eiusdem duæ valvulæ cum seminibus. *h* Se-  
 mina matura mag. nat. *i* Semen auctum. *k* Folium triplo longius quam in planta.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> *Metrosiderum* armillarem Gærtneri numquam vidimus: quia vero illius fru-  
 ctus, qualis prostat in laudato opere tab. 34. fig. 5. nostræ plantæ fructui similis apparet,  
 nomen retinimus.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> In ramulorum bifurcationibus gallæ sedent ovatæ cum acumine, glabræ et  
 obscure sulcatæ, quæ primu intuitu fructus cuiusdam imaginem referunt. Omnes vidi fo-  
 ramine pertusas prope acumen locatum. A sistit gallam magnitudine naturali, B auctam.

### METROSIDEROS HYSSOPIFOLIA. Tab. 336. fig. 1.

367. *METROSIDEROS* foliis linearibus, oppositis, punctatis: calicum laciniis deciduis.

Caulis fruticosus, ramosissimus, ramis teretibus.

Folia opposita, sessilia, linearia cum acumine, trinervia, punctis fuscis variegata pagina in-  
 feriore.

Flores prope ramulorum basim glomerati sessiles.

Calix subglobosus, suberosus, fructifer edentulus.

Capsula et semina ut in præcedenti.

Habitat in Nova-Hollandia prope Jackson oppidum ibique *Pimelea* Gærtneri involucrata 24.

Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix fructifer. *b* Huius sectio ut appareat capsula. A Folium auctum.

### METROSIDEROS CALICINA. Tab. 336. fig. 2.

368. *METROSIDEROS* foliis oppositis, enervis, punctatis, lanceolatis: calicibus persisten-  
 tibus.

Caulis fruticosus, ramis oppositis.

Folia opposita, sessilia, enervia, punctata, lanceolata, internodis longiora, vix tres lineas  
 longa et tertiam partem lineæ lata.

Flores in ramulorum basi sessiles, glomerati numero 5-8.

Calix campanulatus, coriaceus, semiquinquepartitus, laciniis ovatis persistentibus.

Germen globosum: stylus calice multoties longior.

Capsula et semina ut in præcedentibus.

Habitat loco citato, fructumque gerit Aprili 24. Ex eodem herbario. Fructiferam vidi non  
 floridam, quod intelligendum est de tribus præcedentibus.

*Explic.* tab. *c* Calix. *d* Idem auctus. *e* Eiusdem sectio ut appareat capsula. *f* Capsula ex-  
 tra calicem dehiscens. *g* Semina. *h* Semen auctum. *i* Folium auctum.

### METROSIDEROS UMBELLATA. Tab. 337.

369. *METROSIDEROS* foliis oppositis, lanceolatis, uninervis, limbo revolutis: floribus um-  
 bellatis terminalibus.

Caulis fruticosus, 8-10 pedes altus, ramis oppositis glabris.



Folia opposita, subsessilia, lanceolata, utrimque acuminata, uninervia, nervo ramoso, limbo nonnihil revoluto; pagina inferiori punctata, punctis nudo oculo vix conspicuis.

Flores terminales, subumbellati, umbella sessili.

Calix campanulatus, apice quinquepartitus, laciniis crassis ovatis coloratis limbo scarioso: a laciniarum divisione usque ad pedunculum seriseus, tomento brevi albo.

Corollæ petala quinque, rubra, crassa, concava, ovato-oblonga, limbo tenui et veluti scarioso.

Staminum filamenta sub 20, rubra, subulata, corolla triplo longiora, calici inserta prope laciniarum divisionem: antheræ incumbentes, reniformes.

Germen in fundo calicis piriforme: stylus filiformis erectus, staminibus paulo brevior: stigma truncatum.

Fructus deerat: at ex embrione fecundato apparet capsula trilocularis, loculamentis polyspermis, et semina minutissima cuneiformia.

Habitat prope tegularia oppidi Jackson in Nova-Hollandia, floretque Aprili 24. Ex eodem herbario.

*Explic. tab. a* Calix expansus et corolla. *b* Petalum. *c* Germen. *d* Idem auctum. *e* Eiusdem sectio. *f* Semina. *g* Calix expansus cum genitalibus. *h* Filamentum auctum.

*Obs.* Staminibus orbatas reperi 4. 5. et 6. huius generis species quas nihilominus ad ipsum et non ad Melaleucam reduxi, quia ipsarum semina vidi minima, cuneiformia. Oculatissimus Gärtner observavit Melaleucæ et Fabriciæ semina alata: qua forma rectius distinguuntur hæc genera a Metrosidero, quam caractere Linnæano desumpto ab staminibus liberis aut polyadelphis. Contempta ergo polyadelphia secundæ speciei eam dixi Metrosiderum, minime confundendam cum Melaleuca leucadendra Linnæi supplementi. In hac enim stamina sunt inæqualia, et calicis lacinia persistentes, in mea vero æqualia, calixque fructifer edentulus.

## ANGOPHORA <sup>(a)</sup>

### CHARACTER GENERICUS.

Calix monophyllus, turbinatus, apice truncatus, dentibus quinque prominentibus, costisque longitudinaliter notatus.

Corollæ petala quinque, limbo calicis inserta, patentia, orbiculata.

Staminum filamenta numerosa, limbo calicis inserta: antheræ ovatae.

Germen in fundo calicis ovatum: stylus subulatus calice longior, truncatus: stigma simplex.

Capsula in fundo calicis, hocque basi corticata, ovato-truncata, trilocularis, trivalvis, dissepimento valvulis opposito: semina lentiformia, solitaria in quolibet loculamento, columnæ trigonæ affixa.

## ANGOPHORA CORDIFOLIA. *Tab.* 336.

370. ANGOPHORA foliis ovatis cordatis sessilibus: floribus corymbosis.

Caulis fruticosus, 7-10 pedes altus ramosus, ramis alternis, teneris præsertim hispidis pilis nigricantibus rigidulis.

Folia alterna, sessilia, uninervia, nervo ramoso, cordata, ovata, coriacea, superiore pagina nitida.

Flores corymbosi, corymbis terminalibus, umbelliferis, magna pilorum copia tectis.

Calix turbinatus initio magna pilorum copia obductus, leviterque costatus: fructifer su-

(a) A vocibus ἀγγος vas, et φέρει ferens; quia fructus huius generis vasis formam referunt.



berosus, parce pilosus, costis quinque sulcatus quæ in dentes prominent. Cavitas diaphragmate orbiculari in duas concamerationes partitur, in quarum inferiore locatur germen, et in superiore recondita sunt stamina ante corollæ expansionem.

Corollæ petala orbiculata, quorum unum tricrenatum, lutescentia, superiore pagina versus insertionem dilute carnea, inferiore prope basim pilis aliquot rigidulis.

Filamenta lutescentia, ante corollæ expansionem inflexa, postea erecta: antheræ luteæ.

Germen ovatum: stylus subulatus diaphragma perforans et erectus ultra calicis altitudinem.

Capsula ovata, supra plana: semina lenticulari-ovata, parte plana columnæ affixa. Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Nova-Hollandia prope oppidum Jackson: floret Aprili tuncque conservat anni præcedentis fructus *h*. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. A Fructuum umbella. *a* Floris capitulum. *b* Flos apertus. *c* Idem absque corolla. *d* Calix sectus cum capsula et diaphragmate. *e* Fructus. *f* Idem secto calice. *g* Capsula dehiscens. *h* Semen qua columnæ erat affixum. *i* Idem opposita parte spectatum. *k* Petalum postica superficie.

### ANGOPHORA LANCEOLATA. Tab. 339.

371. ANGOPHORA foliis alternis, petiolatis, lanceolatis, valde acuminatis: floribus umbellatis.

Metrosideros costata. *Gærtner de fruct. vol. 1. pag. 171. tab. 34. fig. 2.*

Caulis arboreus ramis alternis.

Folia alterna, petiolata, lanceolata acumine valde producto et acutissimo, uninervia, nervo ramoso.

Flores umbellati, umbellis terminalibus.

Calix ut in præcedenti, attamen paulo ventricosior et glaber.

Capsula omnino ut in præcedenti: semina subrotunda, plano-convexa, perfecte delineata a laudato Gærtnero.

Habitat cum præcedente. *h* Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Fructus. *b* Calicis sectio. *c* Capsula. *d* Eadem dehiscens. *e* Semen parte convexa spectatum. *f* Idem parte interna qua columnæ erat affixum.

*Obs.* Huius speciei vidi ramum fructiferum, orbatum floribus.

### EUCALYPTUS *L'heritier.*

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix monophyllus turbinatus apice truncatus, calyptra decidua tectus.

Corolla nulla, nisi calyptram dicas.

Staminum filamenta numerosa, limbo calicis inserta: antheræ ovatæ.

Germen in fundo calicis, ovatum: stylus subulatus, calice longior: stigma simplex.

Capsula ovata, ventre calicis corticata, sub 4-locularis, valvulis totidem apice dehiscens, polysperma.

Semina parva, angulata.

*Obs.* Species mihi notæ sunt arbores aut frutices-Novæ-Hollandiæ, quibus folia sunt alterna, petiolata, petiolo aliquando subalato, lanceolata cum acumine, quodam modo falcata, nervo unico longitudinali in duas partes, inæqualis latitudinis partita. Flores umbellati, umbellis aut in corymbum terminalibus, aut solitariis axillaribus.



EUCALYPTUS CORYMBOSUS. *Tab.* 340.

372. EUCALYPTUS foliis lanceolatis, petiolis subalatis: floribus corymbosis.

Caulis arboreus 20-30 pedes altus, ramis alternis, numerosis.

Folia alterna petiolata, petiolo leviter alato, lanceolata cum acumine producto, uninervia nervulis numerosissimis parallelis oblique ad primarium positis, nitida et nonnihil coriacea.

Flores corymbosi terminales, corymbo ex pluribus umbellis 4-aut 5-floris.

Calix turbinatus, integerrimus, coriaceus, truncatus, calyptra hemisphaerica decidua tectus, in duas concamerationes diaphragmate partitus, in quorum inferiore germen, in superiore stamina dum inflexa et clausa sunt calyptra.

Staminum filamenta fere 80, limbo calicis variis ordinibus inserta, interiora breviora, exteriora semipollicem longa lutea: antheræ reniformes nutantes.

Germen turbinatum: stylus calice longior: stigma obtusum.

Fructum non vidi, qui ex germine fecundato apparet capsula trilocularis.

Habitat in Nova-Hollandia prope oppidum Jackson, floretque Aprili *h.* Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix calyptratus. *b* Idem calyptra dehiscente. *c* Idem staminibus erectis.

*d* Idem sectus ut appareat diaphragma sub quo iacet germen. *e* Filamentum auctum.

*f* Germinis aucti sectio transversalis.

EUCALYPTUS PLATYPODOS. *Tab.* 341.

373. EUCALYPTUS foliis alternis lanceolato-acutis subfalcatis: umbellis florum solitariis, pedunculo communi plano.

An *Metrosideros salicifolia Gærtneri vol. 1. tab. 34. fig. 3. a?*

Caulis arborescens ramis alternis.

Folia, ut in præcedenti, attamen longiora et duriora.

Flores umbellati, umbellis solitariis axillaribus, quorum pedunculus communis brevis compressus, flores sustinens 3-6 sessiles.

Calix, calyptra et genitalia ut in præcedenti, at diaphragma infundibuliforme.

Capsula corticata calice, tunc fere cylindrico, quadrilocularis, quadrivalvis, loculis polyspermis. Semina parva angulata ferruginea.

Habitat floretque cum præcedente. *h.* Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. A Rami fructiferi pars. *a* Calix fructifer. *b* Idem sectus perpendiculariter ut

appareat capsula. *c* Eiusdem sectio horizontalis. *d* Semen. *e* Calix calyptratus. *f* Flos

calyptra dehiscente. *g* Calicis floridi aucti sectio ut appareat diaphragmatis et germinis

situs. *h* Germen.

EUCALYPTUS ROSTRATUS. *Tab.* 342.

374. EUCALYPTUS foliis ovato-lanceolatis, valde acuminatis, nitidis: calyptra rostrata.

Caulis arboreus 15-20 pedes altus ramis alternis.

Folia alterna ovato-lanceolata, 4-12 pollices longa, duos lata, valde acuminata, nitida, coriacea, nervis innumeris ad unicum longitudinalem parum obliquis, sustenta petiolo pollicari subalato.

Flores umbellati, umbellis axillaribus solitariis.

Calix longior quam in præcedentibus, cuius calyptra rostrata rostro compresso.

Germen ovato-tetragonum in fundo calicis, huiusque parieti conglutinatum: stylus subulatus.

Reliqua ut in præcedentibus.



Fructum non vidi, qui ex germine videtur quadrilocularis.

Habitat cum præcedentibus: floretque Aprili *h.* Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos cuius calyptra dehiscit, et stamina evolvuntur. *b* Idem absque calyptra. *c* Calicis sectio ut appareat germen. *d* Germinis aucti sectio.

*Obs.* Præter istas species alias vidi in laudato herbario, non ita perfecte conservatas ut iconibus eas sistam, quas nihilominus indigitabo brevi descriptione.

### EUCALYPTUS OBLIQUUS.

375. EUCALYPTUS foliis ovato-lanceolatis, nervo unico ramoso, nervulis ad ipsum raris: umbellis axillaribus.

In hac specie folia non videntur coriacea; nervuli adsurgunt formantque angulum acutum cum nervo principali: umbellæ quinquefloræ: et calyptra hemisphærica. Videtur eadem species quam D. de Lamarck figuravit tab. 422 Il. gen. cuius descriptionem nondum evulgavit.

### EUCALYPTUS SALICIFOLIUS.

376. EUCALYPTUS foliis lanceolatis, nervo dorsali inæqualiter partis, altera parte versus basim brevior.

Hæc species a reliquis distinguitur foliis altera parte versus basim breviori ut in Begonia et aliis plantis: nervuli sunt etiam adscendentes: umbellæ 7-10 floræ, axillares.

### EUCALYPTUS RACEMOSUS.

377. EUCALYPTUS foliis lanceolatis, acumine acutissimo valde producto; florum umbellis in racemum dispositis.

Caulis arboreus 20 et amplius pedes altus antequam ramis ornetur longis alternis iterum ramosis: folia obscure punctata, acumine acutissimo valde producto: nervus unicus longitudinalis, ex quo plures alternatim adsurgunt, parum ab ipso divergentes: umbellæ 7-9 floræ, pedunculo communi brevi, alternæ in racemum foliosum dispositæ.

*Obs.* D. L'heritier habeo 1. et 2. fasciculum Serti Anglici ubi est character genericus Eucalypti: tabulam non vidi.

### POIRETIA <sup>(a)</sup>.

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix duplex, persistens; exterior imbricatus squamulis brevibus; interior pentaphyllus, foliolis lanceolatis.

Corollæ petala quinque, lanceolata, calice breviora.

Staminum filamenta quinque inter petala et germen inserta: antheræ lineares extus villosæ, conniventes.

Germen superum, globoso-pentagonum: stylus subulatus longitudine staminum: stigma truncatum.

Capsula globoso-pentagona, quinquelocularis, quinquevalvis, dissepimento valvulis opposito. Semina numerosa, minima, ovata, receptaculo centrali adfixa.

(a) In honorem D. Poiret Galli, cuius plura vidimus in Dictionario Encyclopedico Botanica.



*Obs.* Genus Epacri affine, a quo differt corolla pentapetala, et squamularum circa germen defectu.

POIRETIA CUCULLATA. *Tab.* 343.

378. POIRETIA caule fruticoso ramis erectis: foliis vaginantibus, cucullatis, acumine spinoso. Caules fruticosi durissimi bipedales, ramique alterni erecti foliis vaginati.

Folia numerosa, cucullata, rigida, acumine patulo spinoso, caulem vaginantia, et sese excipientia.

Flores versus ramulorum apicem axillares, sessiles.

Calicis exterioris squamulae sex, carinatae, breves, acutae: interioris foliola lanceolato-acuta.

Corollae petala rubra, calicis foliolis alterna persistentia.

Filamenta capillaria, adsurgentia: antherae basi emarginatae.

Capsula minima, magnitudine seminis Miagri hispanici, recondita intra corollam et calicem clausum.

Habitat in Nova-Hollandia prope oppidum Jackson  $\mathcal{Z}$ . Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix expansus. *c* Corolla. *d* Eadem expansa. *e* Germen.

*f* Genitalia. *g* Eadem aucta. *h* Eadem filamentis divaricatis. *i* Stamina quorum aliud antheram sistit parte interiore fisam, aliud ipsam exteriore superficie villosa. *j* Capsula magnitudine naturali. *k* Eadem aucta. *l* Eadem dehiscens. *m* Valvula cum dissepimento et seminibus. *n* Semen multoties auctum.

EPACRIS.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Calix duplex, persistens; exterior imbricatus squamulis pluribus; interior ex quinque foliolis lanceolato-acutis.

Corolla monopetala, limbo quinquepartito.

Staminum filamenta quinque: antherae oblongae prope corollae lacinias.

Germen superum subglobosum: stylus simplex filiformis: stigma globosum. Squamulae quinque germen cingentes.

Capsula quinquelocularis, quinquevalvis, dissepimento valvulis opposito: Semina numerosa, ovata, compressa, receptaculo centrali adfixa.

*Obs.* Filamenta fere semper sunt brevissima, infra laciniarum corollae divisionem locata. Corolla non semper intus villosa, et calix semper duplex; quod Forster et Gärtner notarunt in tabulis, quamquam nihil de ipsius duplicitate dixerint in descriptionibus. Itaque character praecipuus huius generis est: calix duplex, exterior imbricatus: germen cinctum squamulis quinque: et capsula quinquelocularis, quinquevalvis, polysperma.

EPACRIS LONGIFLORA. *Tab.* 344.

379. EPACRIS caule fruticoso: foliis numerosis, ovato-acutis, rigidis, apice subspinoso: floribus tubulosis elongatis.

Caulis fruticosus tripedalis et ultra, ramis divaricatis, teneris subtomentosis.

Folia numerosa, parva, subsesilia, inferiore parte ovata apice acutissima.

Flores axillares solitarii, pedunculo brevi squamuloso sustentati.

Calix exterior imbricatus ex octo squamulis ovato-acutis concavis; interior ex quinque foliolis lanceolatis acutis.



Corolla punicea, tubulosa, pollicaris et amplius, tubi ore parum ampliato, quinquepartito, laciniis ovatis, glabris.  
 Filamenta quinque brevissima in basi laciniarum corollæ posita: antheræ oblongæ didymæ utrimque emarginatæ.  
 Germen pentagonum, cinctum basi squamulis quinque emarginatis: stylus corollæ fere longitudine: stigma globosum.  
 Reliqua ut in caractere generico.  
 Habitat prope portum Jackson in Nova-Hollandia  $\mathcal{N}$ . Ex eodem herbario.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix interior auctus. *c* Huius folium. *d* Corolla aperta et expansa ut appareant genitalia. *e* Anthera et filamentum valde auctum. *f* Germen cum squamulis auctum. *g* Squamula. *h* Capsula multoties aucta. *i* Eadem dehiscens. *k* Valvula. *l* Folium auctum.

### EPACRIS PULCHELLA. *Tab.* 345.

380. EPACRIS caule fruticoso: foliis imbricatis, cordatis, acumine rigido: floribus tubuloso-campanulatis, axillaribus.  
 Caules fruticosi, teretes, 3-4 pedales, ramis pluribus, quorum cortex fuscus exasperatur cicatricibus ortis ex foliorum lapsu.  
 Folia numerosa, parva, imbricato-patula, subsessilia, cordata, basi lata, apice acutissima. Flores axillares et veluti spicati versus ramulorum summitates.  
 Calix exterior ex squamulis sex minutis concavis imbricatis: interior ut in præcedente.  
 Corolla rubens, tubuloso-campanulata, limbo patulo quinquefido, laciniis ovatis glabris.  
 Reliqua ut in præcedente.  
 Habitat in Nova-Hollandia prope oppidum Jackson, ubi frequens est hæc pulcherrima species: floret Aprili  $\mathcal{N}$ . Ex eodem herbario.  
*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Huius corolla. *d* Eadem expansa ut appareant genitalia. *e* Calix interior. *f* Stamen multoties auctum. *g* Germen cum squamulis valde auctum. *h* Folium auctum.

### EPACRIS PUNGENS. *Tab.* 346.

381. EPACRIS foliis imbricatis, rigidis, acuminatis: calice exteriore conico.  
 Frutex pulcherrimus tripedalis et amplius, ramosus, ramis teretibus cortice cinereo tectis, exasperato foliorum cicatricibus.  
 Folia numerosissima, sessilia, imbricato-patula, ovata cum acumine spinæformi, concava, rigida.  
 Flores axillares solitarii versus ramulorum extremitates, ubi spicam densam efformant.  
 Calix exterior conicus, imbricatus squamulis fere sexdecim, lanceolato-acutis, adpressis, inferioribus brevioribus: interior ut in præcedentibus.  
 Corolla glaberrima, infundibuliformis: tubus rubescens, longitudine calicis, gracilis, et prope faucem nonnihil ampliatus: limbus albus, patens, profunde quinquepartitus, laciniis rotundatis cum mucrone minimo setaceo.  
 Staminum filamenta quinque capillaria tubo breviora inserta prope basim corollæ inter squamulas, germen ambientes: antheræ oblongæ, basi emarginatæ.  
 Germen superum globoso-pentagonum: stylus subulatus subvillosus: stigma globosum: squamulæ circa germen quinque, lanceolatæ.  
 Capsula ovato-pentagona, quinquelocularis, quinquevalvis, dissepimento valvulis opposito.  
 Semina numerosa, ovata, compressa, rufa, axi centrali adfixa.  
 Habitat floretque cum præcedente  $\mathcal{N}$ . Ex eodem herbario.



*Explic.* tab. *a* Flos integer auctus. *b* Calix interior. *c* Corolla expansa. *d* Filamentum. *e* Genitalia. *f* Germen cinctum squamulis ooooo. *g* Capsula magnitud. nat. *h* Eadem aucta dehiscens. *i* Valvula. *k* Semen multoties auctum. *l* Folium expansum, auctum.  
*Obs.* Hæc species, quæ variat partium magnitudine, a præcedentibus differt longitudine filamentorum, et corolla infundibuliformi.

EPACRIS SPURIA. *Tab.* 347. *fig.* 1.

382. EPACRIS caule fruticoso: foliis ovato-mucronatis, limbo revoluto: floribus axillaribus subternis.

Frutex quinque aut septem pedes altus valde ramosus, ramis teretibus.

Folia sessilia, alterna, valde adproximata, ovato-oblonga, terminata spinula brevi, limbis revolutis adeo ut linearia appareant.

Flores axillares, terni plerumque ex unico pedunculo brevi.

Calix exterior ex squamulis sex minimis concavis imbricatis: interior ex foliolis quinque concavis, acutis.

Corolla tubulosa semiquinquepartita rubens: tubus sensim ampliatus longitudine calicis lacinia lanceolato-acuta, intus tectæ tomento candido.

Staminum filamenta quinque brevissima infra corollæ lacinias: antheræ oblongiusculæ.

Germen globosum, quinquestriatum, cinctum basi squamulis quinque minimis rubentibus: stylus filiformis tubi longitudine: stigma incrassatum.

Capsula ovata quinesulcata quinquelocularis, loculis monospermis. Semina ovata.

Habitat prope citatum oppidum Jackson, floret atque fructificat Aprili ♀.

*Explic.* tab. *a* Flos mag. nat. *b* Idem auctus. *c* Calix interior ad cuius basim squamulæ quattuor calicis exterioris. *d* Corolla expansa. *e* Germen auctum, cinctum squamulis, et infra illud squamulæ separatæ. *f* Capsula aucta. *g* Eadem secta. *h* Folia aucta quorum aliud expansum, aliud margine revoluto.

*Obs.* Capsulas huius speciei semper vidi clausas, quarum sectio transversalis monstravit quinque loculamenta, et in unoquoque semen ovato-oblongum: reliqua sunt omnino Epacris.

EPACRIS ? VILLOSA. *Tab.* 347. *fig.* 2.

383. EPACRIS foliis linearibus imbricatis: ramis villosis: floribus axillaribus.

Caulis erectus fruticosus 4-5 pedes altus, valde ramosus, ramis villosis.

Folia numerosissima, minuta, imbricata, sessilia, linearia, terminata setula rigida.

Flores axillares, solitarii, longitudine fere foliorum.

Calix duplex, exterior imbricatus ex squamulis sex, ovato-acutis, concavis: interior duplo longior ex quinque foliolis erectis.

Corolla calice duplo et amplius longior infundibuliformis rubens, limbo quinquefido, lacinis lanceolatis intus tomentosis.

Staminum filamenta minima quinque ad corollæ laciniarum basim: antheræ oblongiusculæ.

Germen ovatum, cinctum basi squamulis quinque emarginatis minimis: stylus filiformis: stigma globosum.

Fructum non vidi; ideoque cum dubio ad hoc genus reducta prodeat.

Habitat in Nova-Hollandia iuxta oppidum Jackson haud procul ab agris cultis ♀.

*Explic.* tab. *A* Flos mag. nat. *B* Idem auctus. *C* Calix interior. *D* Exterioris squamula. *E* Corolla expansa. *F* Germen. *G* Squamulæ auctæ.

*Obs.* Inter plantas Epacri affines, quæ aliquarum fructificationis partium defectu ad debitum genus revocari nequeunt, alteram vidi pulcherrimam; fruticem scilicet bipedalem erectum ramosum, cui folia sunt crassiuscula, imbricato-patula, cordata, orbiculato-acuta,



concava, magnitudine siliculæ Clypeolæ maritimæ, atque adeo numerosa ut ramulos omnino tegant. Flores sunt ipsi solitarii, axillares, duplici calice instructi, quorum exterior imbricatus. Hæc vidi in siccis exemplaribus laudati herbarii, quæ si novam Epacris speciem constituunt microphyllam dicemus. Habitat semileuca ab oppido Jackson in via quæ ducit ad Tegularia.

## VINTENATIA <sup>(a)</sup>.

### CHARACTER GENERICUS.

Calix duplex: exterior imbricatus, interior pentaphyllus.  
 Corolla monopetala infundibuliformis: tubus sub apice ventricosus, ad faucem coarctatus: limbus quinquepartitus, laciniis lanceolatis, intus villosis.  
 Stamina filamenta quinque prope tubi apicem libera, deinde corollæ tubo adnata et descendencia basi que tomentosa, apice antherifera: antheræ ovatæ.  
 Germen superum, ovatum, cinctum basi pellicula annulari persistente, et vetustate crenata. Stylus filiformis corollæ longitudine: stigma globosum, dense villosum.  
 Fructus: nux globosa, quinque-ocularis, loculis monospermis. Semina oblonga compressa.

*Obs.* Genus affine Ardisiæ Gärtnerii vol. 2. pag. 78. tab. 94. fig. 2. a quo differt stigmate globoso villosio, pericarpio nucamentaceo, seminibus solitariis, atque filamentorum basi tomentosa, quibus notis ab Epacri resedit. Diversum est etiam a Gynopogo Forsterii Gen. 18. pag. 35. cum quo dumtaxat convenit stigmate villosio, basi que filamentorum tomentosa.

## VINTENATIA HUMIFUSA. Tab. 348.

384. VINTENATIA caule fruticoso, foliis linearibus sparsis numerosis: floribus axillaribus. Caulis fruticosus valde ramosus, bi-tripedalis, humifusus.  
 Folia numerosa, sessilia, parva, linearia cum acumine subulato, lineis longitudinalibus notata limboque minute ciliato.  
 Flores axillares, subsolitarii, subsessiles.  
 Calix exterior ex squamulis fere octo imbricatis, concavis, inferioribus minimis: interior ex quinque foliolis ovato-acutis concavis, extus villosis.  
 Corolla in sicco rubra.  
 Nux durissima, piperis grano minor, externa superficie fusca, interne candida et veluti fungosa. Reliqua ut in caractere generico.  
 Habitat semileuca ab oppido Jackson in Nova-Hollandia floretque atque fructificat Aprilis 24. Ex eodem herbario.  
*Explic.* tab. a Floris capitulum. b Flos integer magnitudine naturali. c Corolla aucta et expansa cum staminibus. d Anthera clausa, et sub ipsa alia aperta. e Germen, stylus stigma. f Calix fructifer. g Fructus sectus. h Idem auctus. i Semen. k Pellicula annularis aucta. l Folium auctum.

## VINTENATIA PROCUMBENS. Tab. 349. fig. 1.

385. VINTENATIA caule fruticoso procumbente: foliis lineari, lanceolatis-imbricatis, ciliatis: floribus axillaribus solitariis.

(a) In honorem doctissimi D. Vintenat cui Botanica plura debet tum in Dict. Encyc. tum alibi conscripta.



Caulis fruticosus, ramosus, procumbens, sexquipedalis, cortice exasperato foliorum cicatricibus post ipsorum cassum.

Folia imbricata, sessilia, numerosa, lineari-lanceolata, ciliata, semilineam lata, et semipollicem longa, nervis longitudinalibus parallelis notata.

Flores axillares solitarii.

Reliqua ut in præcedenti stylo excepto, qui non teres sed quasi pentagonus apparebat.

Habitat cum præcedente.

*Explic.* tab. *a* Capitulum calice villosa clausum. *b* Flos. *c* Corolla expansa. *d* Germen, stylus, stigma, omnia aucta. *e* Folium auctum.

*Obs.* Huius plantæ non vidi fructum, quam nihilominus præcedentis congenerem reputo ex characterum concordantia.

## PEROJOA <sup>(a)</sup>.

### CHARACTER GENERICUS.

Calix duplex, persistens: exterior triphyllus foliolis concavo-acutis minimis: interior pentaphyllus foliolis subulato-carinatis, longioribus.

Corolla hypocrateriformis monopetala: tubus calice brevior supra latior: limbus patens quinque-partitus, laciniis acutis tomentosus.

Staminum filamenta quinque brevissima in tubi summitate: antheræ ovatæ.

Germen superum ovatum: stylus brevis: stigma simplex.

Fructus capsula ovata, unilocularis, monosperma: semen oblongum.

*Obs.* Differt ab *Epacri* stigmati simplici non globoso, squamularum circa germen defectu, et fructu monospermo. Hunc undequaque pressum numquam vidi in valvulas dehiscere.

### PEROJOA MICROPHYLLA. *Tab.* 349. *fig.* 2.

386. *PEROJOA* caule fruticoso: foliis ovatis imbricatis: floribus terminalibus.

Caulis fruticosus, valde ramosus, erectus, fere bipedalis.

Folia numerosa, minima, ovata, cauli et ramulis adpressa, imbricata, longitudinaliter lineata.

Flores terminales conglomerati.

Calices duriusculi; interiorisque foliola corollæ fere longitudine.

Corolla rubescens (in sicco), laciniarum superficie interna tomento cana.

Fructus parvi pulicis magnitudine. Reliqua ut in caractere generico.

Habitat copiose inter Jackson oppidum et Botany-Bay portum *h.* Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *f* Flos mag. nat. *g* Idem auctus. *h* Foliola calicum. *i* Flos expansus. *k* Fructus mag. nat. *l* Idem auctus. *m* Huius sectio transversalis. *n* Eiusdem sectio longitudinalis. *o* Folium auctum.

*Obs.* Hanc plantam floridam accepi a D. Smith anno 1792. hac inscriptione: *Genus novum Epacri affine pentand. monogyn.* Floribus et fructibus onustam adsportavit demum ex eodem loco laudatus Ludovicus Néé, eamque vidi genus novum esse quemadmodum inuerat Clar. Smith.

(a) Dixit D. Ludovicus Néé in honorem D. Francisci del Perojo, Pharmaceutici Hispani de Botanica benemeriti, cum quo perscrutatus est montes septentrionales Hispaniæ.



## BURSARIA.

## CHARACTER GENERICUS.

Calix inferus minimus profunde quinquedentatus.  
 Corolla pentapetala, petalis linearibus insertis receptaculo conico brevi ex fundo calicis ad-  
 surgente.  
 Stamina filamenta quinque, subulata, petalorum longitudine, et cum ipsis alternatim ad-  
 fixa receptaculo: anthera cordata, ovata, incumbentes.  
 Germen ovatum receptaculo impositum: stylus subulatus brevis: stigma simplex.  
 Fructus: capsula cordiformis, compressa, bipartibilis, maturitate in duas dehiscens, qua-  
 rum quavis bivalvis, apice interno bicornis, unilocularis disperma. Semina reniformia  
 compressa, funiculo umbilicale capillari adfixa basi interna capsularum partialium.

*Obs.* A fructus figura, quæ pastoris bursam æmulatur, Bursariam dixi.

## BURSARIA SPINOSA. Tab. 350.

387. BURSARIA caule fruticoso spinoso, foliis emarginatis: floribus racemosis.  
 Caulis fruticosus 3-4 pedalis ramosus, ramis flexuosis, teretibus, spinosis.  
 Folia alterna breviter petiolata, cuneiformia, apice obtusa et emarginata, e quorum axillis  
 spinæ prodeunt ad ramum fere perpendiculares, acutissimæ, folio longiores, et ex ipsis  
 nova folia.  
 Flores racemosi, racemis axillaribus ad latus spinæ: flos quilibet pedunculatus, pedunculis  
 uni-bifloris.  
 Calix minimus, obscure persistens.  
 Corolla luteo-rubens (in sicco) petalis linearibus obtusis inferne angustioribus.  
 Stamina lutescentia, itemque anthera.  
 Capsula et semina ferruginei coloris (in sicco), glabra.  
 Habitat cum præcedenti  $\mathcal{N}$ . Ex eodem herbario.  
*Explic.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Idem auctum. *c* Calix multoties auctus. *d* Flos aper-  
 tus. *e* Petalum. *f* Filamentum. *g* Fructus. *h* Idem dehiscens. *i* Idem auctus. *k* Cap-  
 sularum altera cum seminibus in valvulas expansa.

## SANVITALIA.

## CHARACTER GENERICUS.

Calix communis hemisphæricus imbricatus, foliolis ovatis concavis.  
 Corolla composita radiata: radiis sub-14, feminei, quorum corolla ovata, unicrenata: disci  
 flosculi hermaphroditi tubulosi, limbo erecto quinquefido.  
 Stamina filamenta hermaphroditis quinque brevissima: anthera cylindracea.  
 Germen hermaphroditis oblongum compressum: stylus simplex: stigmata divergentia: fe-  
 minis prismatico-trigonum basi acutum, armatum apice spinulis tribus; quarum interior  
 erecta, exterioribus reflexis: stylus capillaris: stigma bifidum patens.  
 Semina radiorum prismatico-trigona, glabra, apice spinulis tribus, altera erecta, reliquis  
 reflexis. Centralia cuneiformia, compressa, cincta membra dentata, apice emarginata:  
 reliqua, radiis proxima, cuneiformia sunt, scabra, absque ala.  
 Receptaculum paleaceum: pappus nullus.



*Obs.* Descripseram hanc plantam anno præcedenti quum floridam et fructiferam vidi in Regio horto Matritensi, eiusque Iconi nomen præfixi novum pro generis conditione. Quia tamen novissime ipsam vidi delineatam tab. 686. Ilus. gener. D. de Lamarck Sanvitalia nomine, hoc libenter recipio et novum genus describam quod nondum fecit laudatus Lamarck <sup>(a)</sup>. Quare nominis iste auctor, ego characteris generici. De tabulis iudicabit lector: mea quæ plantam sistit ad vivum delineata integrum fructificationis systema complectitur, non item illa Encyclopediæ.

### SANVITALIA VILLOSA. Tab. 351.

388. SANVITALIA caule herbaceo: foliis ovatis oppositis: floribus solitariis terminalibus. Sanvitalia. *Lamarck loco citato.*

Caules herbacei pedales, declinati, et humifusi, dichotomi, villosi et quandoque rubentes. Folia opposita, ovata, integerrima, ciliata, pilis aliquot in utraque pagina, trinervia, sustentata petiolis brevibus basi connatis villosis.

Flores terminales solitarii, pedunculis elongatis foliosis ex dichotomia.

Calicis communis foliola ciliata.

Radii lutei, dorso lineis viridibus notati.

Flosculorum lacinia violaceo-nigricantes quemadmodum et palearum apices, unde corollæ nigrescunt.

Anthera violacea: seminum membrana alba, cuius denticuli pilo brevi terminantur.

Receptaculi paleæ corolla paulo longiores.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Nova-Hispania ☉. Floruit in Regio horto Matritensi mense Septembri 1796.

*Explic.* tab. *a* Calix communis. *b* Eiusdem squamula aucta ut cilia appareant. *c* Flosculus femineus. *d* Idem auctus. *e* Huius germen. *f* Flosculus hermaphroditus cum palea. *g* Idem expansus. *h* Genitalia. *i* Semen centrale. *k* Aliud radiis proximum. *l* Radiorum.

### TAGETES MICRANTHA. Tab. 352.

389. TAGETES caule terete humili: foliis oppositis laciniatis, laciniis linearibus: flore minuto.

Caules duriusculi, teretes, vix pedales, valde ramosi, ramis oppositis glabris, ut et tota planta.

Folia basi subconnata, et quasi pinnata, laciniis linearibus angustissimis alternis.

Flores solitarii, axillares aut in ramulorum dichotomia, pedunculo elongato, erecto uno alterove folio ornato.

Calix communis simplex: tubulosus quinesulcatus, apice quinquedentatus.

Corolla composita radii duo, feminei, quorum corolla ovata integra albicans: in centro flosculi hermaphroditi, ut plurimum quinque, quorum corolla tubulosa lutea, limbo fere semper quadripartito.

Semina subcompressa, longa, basi acuta, coronata pappo ex duabus aristis totidemque paleis: istæ paleæ sunt perlucidæ inæqualis longitudinis.

Habitat in Nova-Hispania iuxta urbem Querétaro, ubi observata fuit a D. Lud. Née ☉. Floruit in Regio horto Matritensi mense Octobri 1796.

*Explic.* tab. *a* Flos integer mag. nat. *b* Calix expansus. *c* Radii flosculus. *d* Idem auctus. *e* Flosculus hermaphroditus. *f* Idem auctus. *g* Semen. *h* Idem auctum.

(a) In opere Encyclopedico plantarum tabulæ præmittuntur, quas postea sequuntur ipsarum descriptiones. Prodit hoc anno Centuria septima, quæ diadelphas po-

lyadelphas et syngenesias complectitur; eiusdemque voluminis descriptiones usque ad Payrolam excurrunt quæ ad Pentandriam monogyniam pertinet.



VALERIANA ANGUSTIFOLIA. *Tab.* 353.

390. VALERIANA folis linearibus integerrimis. *Mill. Dict. n. 4.*

Valeriana rubra angustifolia. *Lin. sp. pl. vol. 1. pag. 84. ubi videndi auctores.*

Caulis teretes, herbacei, erecti, bipedales, ramis oppositis glabris, ut et tota planta.

Folia lineari-acuta, longitudine latitudinem multoties superante, sessilia et subconnata.

Flores paniculati, panicula densa terminali.

Corolla supera rubens infundibuliformis: tubus gracilis prope germen calcaratus, calcari subulato: limbus patens quinquepartitus laciniis ovatis, quarum duæ minores.

Filamentum unicum tubi parieti adfixum prope faucem corollæ, exertum, rubrum: anthera reniformis.

Germen inferum, ovatum, apice angustius, coronatum caliculo brevi monophyllo multifido: stylus ruber, corolla longior: stigma bifidum breve.

Semina solitaria, corticata pellicula, et coronata pappo plumoso patulo multiradiato.

Habitat inter saxa arida montis Aitana regni Valentini. Floret Iulio.

*Explic. tab. a* Flos auctus longitudinaliter sectus ut appareat filamenti insertio. *b* Flos postice spectatus. *c* Idem multoties auctus. *d* Germen et stylus. *e* Idem absque stylo. *f* Fructus auctus, pappo coronatus. *g* Idem parte qua striatus est.

STEVIA <sup>(a)</sup>.

## CHARACTER GENERICUS.

Calix communis simplex, oblongus, polyphyllus.

Corolla composita uniformis: corollulæ infundibuliformes, limbo quinquefido patulo.

Staminum filamenta quinque capillaria: anthera cylindracea tubulosa.

Germen oblongum: stylus filiformis: stigmata duo.

Semina oblonga: pappus paleaceo-aristatus aut paleaceus: receptaculum nudum.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Hoc genus differt ab Eupatorio pappo non plumoso, caliceque simplicissimo: hac nota corollisque quinquefidis distinguitur ab Agerato. Quam ob rem Steviæ adiungo plantam descriptam volumine III huius operis nomine Agerati linearis, quam propter pappi formam Ageratis consociavi ad tempus dumtaxat.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Gradibus ut ita dicam progreditur ab Eupatorio ad Ageratum per quattuor Steviæ species: Salicifolia enim gaudet pappo biaristato; serratæ pappus constat aristis tribus basi latioribus cum quibus alternant paleæ obtusæ breves: Linearis (consulatur vol. III pag. 3. tab. 205.), aristis aut potius paleis lanceolatis quinque; pedatæ tandem paleis fere decem brevissimis, muticis.

STEVIA SALICIFOLIA. *Tab.* 354.

391. STEVIA caule erecto ramoso: foliis lanceolatis dentatis.

Caulis bipedalis, glaber, ramosus, ramis oppositis, aut alternis.

Folia lanceolata, uninervia, glabra, subtus glauca, parce dentata, caulina opposita et fere connata, ramea solitaria.

(a) In memoriam Petri Iacobi Stevii (vulgo Steve aut Esteve), Hispani Valentini Medici magni nominis et Botanices professoris in academia patria medio circiter sæculo XVI. Præter opera typis edita quibus

magnam sibi gloriam peperit, reliquit MSS. Dictionarium plantarum in Valentino regno nascentium: opus et copia et utilitate præstantissimum, si testibus oculatis credimus.



Flores corymbosi, corymbis confertis terminalibus.  
 Calix communis ex quinque foliolis linearibus apice acutis, in tubum adpressis, quinque  
 flosculos continens hermaphroditos, fertiles.  
 Corollulæ infundibuliformes, limbi laciniis quinque, ovatis, albido-roseis: tubus rubens.  
 Anthera intra tubum corollulæ: stigmata purpurea erecta.  
 Semina oblonga angulata, terminata pappo biaristato.  
 Reliqua ut in caractere generico.  
 Habitat in Nova-Hispania: colitur in Regio horto Matritensi ubi floruit Septembri et Octo-  
 bri anni 1796.  
*Explic.* tab. *a* Flos auctus. *b* Calix magnitudine naturali. *c* Eiusdem foliola aucta. *d* Flos-  
 culus magnitudine naturali. *e* Idem auctus. *f* Semen.

### STEVIA SERRATA. *Tab.* 355.

392. STEVIA caule erecto ramoso: foliis sublinearibus, serratis, sparsis.  
 Caulis pedalis et amplius, teres glaber, versus apicem ramosus.  
 Folia sparsa, adproximata, sublinearia, sesquilineam lata, pollices duos longa, inferne an-  
 gustiora integra, a medietate ad acumen serrata; ex horum axillis alia prodeunt bre-  
 viora.  
 Flores corymbosi ut in præcedenti, cum qua convenit calice communi et flosculorum  
 numero.  
 Corolla candida duplo maior quam in præcedente; tubus villosus.  
 Pappus ex tribus aristis basi latioribus, cum quibus alternant squamulæ aut paleæ breves,  
 obtusæ.  
 Habitat in Nova-Hispania: colitur in laudato horto ubi vidi floridam mense Novembri  
 1796.  
*Explic.* tab. *a* Flos auctus. *b* Flosculus magnitudine naturali. *c* Semen. *d* Idem auctum.

### STEVIA PEDATA. *Tab.* 356.

393. STEVIA foliis pedatis.  
 Caulis bipedalis, striatus, subvillosus, ramis alternis.  
 Folia alterna, pagina superiore scabriuscula, pedata, septemlobata, lobis oblongis, medio  
 longiore petiolo partiali proprio, tribus reliquis utrimque lateralibus unipetiolatis, in-  
 æqualibus, inferiore brevior: petiolus communis pollicaris basi ampliatus, teres, super-  
 ne canaliculatus.  
 Flores subcorymbosi pedunculati.  
 Calix communis ex octo, plusve foliolis linearibus adpressis: flosculi omnes infundibulifor-  
 mes albi, limbo quinquepartito revoluta: tubus brevis.  
 Anthera saturate violacea, apice quinquecrenato: filamenta capillaria.  
 Germen obscure tetragonum: stigmata revoluta.  
 Semina figura germinis, coronata pappo paleaceo brevi; paleis fere decem, muticis.  
 Receptaculum nudum.  
 Habitat in imperio Mexicano, unde introducta in Regium hortum Matritensem floruit  
 mense Julio 1797.  
*Explic.* tab. *a* Flos. *b* Idem auctus. *c* Flosculus. *d* Idem auctus. *e* Semen. *f* Idem auctum.

### AGERATUM LATIFOLIUM. *Tab.* 357.

394. AGERATUM foliis subrotundis, serratis: pappi foliolis semine brevioribus.



Caulis herbaceus, teres, villosus, ramosus, sesquipedalis.

Folia subrotunda, basi, nonnihil cuneata, serrata, pagina superiore saturate viridia, inferiore dilutiora, trinervia, nervis omnibus ramosis, petiolis longiora, inferiora opposita, ramea solitaria.

Flores terminales, glomerati, glomerulis ex ramulis umbelliformibus numerosis.

Calix communis ovatus, duplici serie polyphyllus, foliolis subæqualibus, oblongiusculis, apice mucronatis.

Corolla composita uniformis: corollulæ omnes infundibuliformes, minimæ, limbo quadrifido, hermaphroditæ, fertiles.

Staminum filamenta quinque capillaria: anthera tubulosa.

Germen minimum, oblongum, sulcatum: stylus longitudine staminum: stigmata divariacata.

Semina nigra, prismatico-pentagona, oblonga, nonnihil curva, coronata pappo brevi albicante, ex quinque foliolis composito acutis et nullo modo aristatis. Receptaculum nudum.

Habitat prope Limam in imperio Peruviano, floretque Iunio ☉. Vidi siccam in herbario Domini Ludovici Neé. Nominatur vulgo *Teatina*.

*Explic.* tab. *a* Flos compositus. *b* Calix auctus et expansus circa receptaculum. *c* Calicis foliolum. *d* Flosculus. *e* Idem auctus. *f* Corolla expansa. *g* Semen. *h* Idem auctum.

*Obs.* Differt ab Agerato conyzoide Linnæi pappi foliolis muticis, quæ in Agerato conyzoide sunt longitudine seminis, membranacea, ciliato-dentata, in aristam longam setaceam scabram desinentia, quemadmodum ea descripsit et figuravit Cl. Gærtner vol. II pag. 398. tab. 165. fig. 8. D. etiam de Lamarck in Generum illustratione tab. 672. eodem modo designavit pappum duarum specierum in dictionario descriptarum. Quæ figura si ex veris seminibus mutuata fuit non ex laudato Gærtneri opere, mea species ab omnibus huc usque notis differt pappo seminibus breviora et minime aristato.

## CALICERA.

### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis polyphyllus, foliolis linearibus: partialis uniflorus turbinato-pentagonus, apice quinque-dentatus, dentibus passim abeuntibus in totidem cornua divergentia.

Corolla monopetala infundibuliformis, tubo capillari, limbo patente quinquefido.

Staminum filamenta quinque, brevissima, faucibus corollæ inserta incurva: antheræ oblongæ, conniventes, basi coalitæ.

Germen oblongum in fundo corollæ et calicis: stylus capillaris, vaginatus antheris, corolla paulo longior, apiceque incurvus: stigma simplex.

Semina solitaria, oblonga, obsolete pentagona, intra calicem recondita apiculo prominente. Receptaculum globosum fungosum paleaceum, paleis linearibus.

*Obs.* Caliceram dixi a calicis figura qui sæpius in quinque cornua producitur.

## CALICERA HERBACEA. Tab. 358.

395. CALICERA caulibus fistulosis parce foliosis: foliis pinnatifidis, radicalibus numerosis. Ex eadem radice fungosa plures caules adsurgunt herbacei, pedales et amplius, glaberrimi, teretes, fistulosi, folio uno alterove ornati.

Folia pinnatifida, aut si mavis lanceolata utrimque inæqualiter et profunde dentata, sustentata petiolo ipsis duplo longiore, alato, lineari, radicalia præsertim quæ sunt numerosa et imbricata.



Flores terminales, agregati, globum efformantes, corniculis inermibus armatum.

Calicis communis foliola linearia, inæqualia, numero.....

Calices partiales leves subfungosi, inferne turbinato-pentagoni, apice quinquepartiti, laciniis ut plurimum brevibus cucullatis, sæpius pollicaribus, divergentibus, trigonis, sensim versus apicem acutioribus.

Corollæ color herbaceus: tubus capillaris elongatus: limbi laciniæ quinque lineares apice latiores, obtusæ.

Antheræ extus carinata, trigona.

Germen superum utpote in fundo corollæ licet calici inmersum: stigma nigricans.

Semina glabra, oblonga, obsolete pentagona, corticata pellicula apice 5-dentata, quæ fortasse erit tubi corollæ pars infima.

Paleæ receptaculi lineares, calicibus minoribus paulo longiores, numerosæ.

Habitat in regno Chilensi prope viam quæ ducit ab urbe Sancti Iacobi ad *Portillo* vulgo et *Mendozam* ☉. Reperit laudatus Ludovicus Neé in cuius herbario vidi.

*Explic.* tab. *a* Flosculus calice ecorniculato. *b* Idem auctus. *c* Flosculus corniculatus ad cuius basim paleæ. *d* Corolla aucta et expansa ut situs staminum appareat. *e* Antheræ auctæ, basi coalitæ. *f* Anthera altera, eiusdemque sectio. *g* Calix fructifer. *h* Idem in quinque laciniis dilaceratus ut appareant foveolæ ubi erat Semen *i*. *k* Seminis aucti sectio. *l* Pellicula ipsum tegens expansa. *m* Calix alter fructifer. *n* Receptaculum cum aliquibus flosculis et paleis. *o* Corniculi sectio.

*Obs.* Si flosculi essent numero minores, omnes fortasse gauderent calice corniculato: multitudo cornuum proculdubio impedimento est ceteris calicibus, qui unam alteramve laciniam plus minusve producant, reliquis vix exertis.

### SOLANUM PHYLLANTHUM. *Tab.* 359. *fig.* 2.

396. SOLANUM caule herbaceo alato: foliis floriferis.

Radix fusiformis, fibrosa, ex qua caulis adsurgit pedalis et amplius, herbaceus, teres, alatus ex decursu foliorum, inermis uti tota planta.

Folia cuneiformia, superiore parte latiora et quinquelobata, lobis ovato-acutis: inferiore parte sensim angustiora usque ad contactum caulis per quem decurrunt. Florifera sunt alterna, ceterisque sibi oppositis breviora, itemque decurrentia adeo ut caulis quadrialatus sit, alis duabus angustioribus, illis scilicet quæ proveniunt a folio florifero. Comparari hoc potest *Tiliæ* europææ foliolo ex cuius nervo erigitur pedunculus communis, nam pari modo prolongato nervo crasso, sesquipollicari distantia a caule exsurgit pedunculus communis qui postea separatur in duos ramos in quibus alternant flores pedunculis propriis fere pollicaribus.

Calix monophyllus, semiquinquepartitus laciniis ovato-acutis.

Corolla dilute cærulea, lineis quinque saturatoribus a centro ad quinque angulos productis; estque monopetala, rotata, patens, limbo quinqueangulato.

Staminum filamenta quinque brevissima æqualia, antheras totidem sustinentia luteas, oblongas, conniventes apice biperforatas.

Germen globosum: stylus antheris longior: stigma incrassatum.

Baccæ rubræ pisi magnitudine.

Habitat in agris cultis prope oppidum *la Madalena* leuca dissitum a Lima, floretque Iunio et Iulio ☉. Vidi siccum in laudato herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Germen. *c* Anthera. *d* Bacca.

### PLANTAGO PHILIPICA. *Tab.* 359. *fig.* 2.

397. PLANTAGO foliis subulatis villosis: scapo nudo foliorum longitudine: spicis ovatis.



Radix brevis fibrillis aliquot, ex qua folia prodeunt sesquipollicaria, subulata, angustissima, villosa, numerosa, et scapi plures foliorum longitudine, teretes, villosi.

Flores spicati, spica terminali ovata ex sex aut octo floribus: isti sunt sessiles ad bracteam ovato acutam concavam.

Calix villosus profunde quadrifidus.

Corollæ limbus profunde partitus in quattuor lacinias ovatas, albas, in centro violaceas.

Staminum filamenta quattuor longa capillaria: antheræ luteæ basi emarginatæ.

Reliqua ut in congeneribus huius operis. Consulatur, vol. II, pag. 21-22.

Habitat in Santa Cruz de la Laguna in Philippicis insulis ☉.

*Explic.* tab. e Flos integer ad cuius basim bractea. f Germen cum stylo auctum. g Filamentum auctum.

### MENTHA OVATA. Tab. 360. fig. 1.

398. MENTHA foliis ovatis serratis: racemo terminali: floribus secundis.

Radix inverse conica fibrosa, ex qua caulis adsurgit herbaceus, palmaris, tetragonus, parce villosus, vix ramosus.

Folia opposita, ovata, serrata, petiolis paulo longiora.

Flores racemosi, terminales, secundi, racemo bracteato: bracteæ oppositæ orbiculatæ cum acumine, trifloræ, floribus minutis breviter pedunculatis.

Calix monophyllus, tubulosus, quinquedentatus, dentibus æqualibus interne villosis.

Corolla dilute purpurea, monopetala, tubo albicante sensim ampliato, limbo erecto quinquepartito, lacinia inferiore maiore, pulchre crenulata.

Staminum filamenta exerta, tuboque adfixa, quorum duo inferiora longiora: antheræ ovatæ.

Germen quadrifidum receptaculo impositum quadridentato, dente uno ceteris longiore: stylus filiformis erectus, albicans, longitudine corollæ: stigma bifidum patens.

Semina quattuor parva in fundo calicis aucti, cuius os villis clausum.

Patriam ignoro: cultam vidi in horto Regio Pharmaceutico, et novissime apud D. Iosephum Pavon, qui novam speciem reputat, cui assentior ☉.

*Explic.* tab. a Flos mag. nat. b Idem auctus. c Corolla a subiecto calice separata. d Eadem expansa. e Racemus qua parte sunt flores.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Calicis dentes numero varii a 4 ad 7. Filamenta etiam vidi aliquando 5.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Affinis videtur menthæ perilloidi Linnæi, a qua differt racemis terminalibus, et staminibus corolla longioribus. Diversa quoque est a Mentha unilaterali Lamarck. Dict. vol. IV, pag. 112. cuius caulis ramosus est, folia subrugosa 3-4 pollices longa, bracteæ breves ovales aut lanceolatæ infra florum pedunculos, calixque externe pilosus, denticulo superiore brevior; quorum nihil in nostra Mentha.

### CUMINUM CYMINUM Linnæi. Tab. 360. fig. 2.

399. CUMINUM caule herbaceo: foliorum laciniis linearibus.

Cuminum cyminum. *Lin. Sp. pl. vol. I, pag. 698. Lamarck Dict. vol. II, pag. 224,* ubi videndi auctores.

Ligusticum involucris, umbellulisque quadrifidis. *Cranz umbellif. clas. pag. 82. n. 9.*

Radix albicans, fibrillis aliquot, ex qua caulis erigitur herbaceus, teres, semipedalis, ramosus, ramis decumbentibus.

Folia alterna, tripartita laciniis linearibus angustissimis, quarum media sæpius trifida lateralibus bifidis, sustentata petiolo lineari, basi ampliato.

Flores umbellati, umbellis universalibus et partialibus ut plurimum trifidis trifloris: involucra universalialia ex foliolis longissimis integris, umbellularum numero: partialia breviora diphylla.



Calix superus ex quinque denticulis brevissimis acutis.

Corolla purpurascens pentapetala , petalis oblongis bifidis.

Staminum filamenta quinque alba , corollæ fere longitudine : antheræ ovatæ purpurascens.

Germen ovato-oblongum , striatum , inferum , corolla maius : styli duo : stigmata simplicia.

Fructus costatus , costis villosis : semina duo ovato-oblonga ; hinc convexa , striata ; inde plana.

Colitur in Regni valentini agris meridionalibus. ☉ Floret Iulio.

*Explic.* tab. *f* Flos. *g* Idem auctus. *h* Germen calice coronatum. *i* Fructus magnitudine naturali. *k* Semina. *l* Filamentum auctum.

## CARYOCAR AMYGDALIFERUM *Mutis. Tab. 361 , 362.*

400. CARYOCAR foliis oppositis ternatis : foliolis lanceolatis serratis : antheris rotundis.

Truncus teres , erectus , 3-5 pedum diametri , 180 et aliquando 240 pedes altus , coma amplissima globoso-complanata terminatus : eius cortex et præsertim ramorum glaber , viridis , quandoque etiam violaceo-fuscus : rami tenerrimi alternatim compressi.

Folia opposita , ternata , foliolis glabris , membranaceis , serratis , serraturis distantibus , versus petiolum nullis : hæc foliola sunt lanceolato-oblonga , intermedio latiore , uninnervia , nervo ramoso , ramulorum axillis notatis macula , quæ est villorum fasciculus qui nudum oculum fugiunt. Petiolus communis est foliolis subæqualis , teres , utraque extremitate incrassatus : partiales brevissimi , quattuor stipulis ornati : harum duæ maiores sunt , bursiformes , basi hiantes , pedicellis propriis , petiolis lateralibus contra intermedium adfixæ : duæ reliquæ ad basim intermedii petioli locatæ , et præcedentibus oppositæ , sunt minores , setosæ , polymorphæ , lanceolatæ scilicet aut bursiformes. Præter foliorum stipulas aliæ dantur semipollicares , sessiles , oppositæ , ramulorum atque foliorum rudimenta tegentes , resina glutinosa madidæ , deciduæ , nullo ipsarum remanente vestigio.

Flores racemosi , racemis solitariis terminalibus : pedunculus communis plusquam semipedalis blande villosus , villis subulatis , articulatis , horizontalibus : partiales pollicares , versus apicem incrassati ibique articulati , dense villosi.

Calix deciduus , viridis , monophyllus , crateræformis , duas fere lineas latus et longus , apice quinquepartitus , laciniis erectis , rotundis , ciliatis.

Corollæ petala quinque , basi adfixa filamentorum annulo , ovato-oblonga , obtusa , nonnihil concava , carnosa , glabra , virido-lutea , inæqualia , duo scilicet ceteris paulo maiora , vix pollicem longa , semipollicem lata.

Stamina monadelphia : filamenta numerosissima (fere 200) subulata , compressa , albicantia , erecto-divergentia , duplici ordine ex annulo aut corona germen ambiente prodeuntia ; exteriora fertilia et corolla duplo longiora ; interiora castrata , et exterioribus breviora : antheræ minimæ , rotundæ , stantes.

Germen superum , globoso-compressum , obtuse tetragonum , lucidum , sesquilineam latum et altum : styli quattuor subulati , undulati , ut plurimum inæquales , staminibus breviores : stigmata simplicia.

Fructus est drupa globoso-oblonga , parum compressa , glabra , viridis , maculisque saturatoribus notata , mediocriter carnosa , succoque oleoso farcta : variat volumine sesquipollicari scilicet , aut bipollicari et amplius : nucem unicam fere semper continet , duas aliquando , rarissime tres , numquam quattuor , quamquam seminis sectio quattuor indigitet.

Nux est reniformis , parte concava sutura instructa , quæ in drupæ fundo sedet , unilocularis , monosperma. Duplici constat cortice , interiore durissimo , lignoso castanei



coloris, cuius interna superficies semini contigua glaberrima est et fulgens; externa vero processibus nunc clavatis nunc aculeatis ruffo-ferrugineis muricata: cortex alter est suberosus clavarum et aculeorum interstitia nedum replens, sed tegens sua crassitie quæ aliquando duarum linearum est.

Semen subreniforme, superne prope apicem compresso-mucronatum, inferne ubi cotyledones existunt gibbum; mucrone et gibba contra suturam, cui adhæret funiculo umbilicali orto ex facie excavata inter mucronem et gibbam. Seminis pellicula aspera, rufescens.

Habitat in silvis Mariquitæ regni Santa Fe *h*. Observavit, descripsit et vivis coloribus delineari curavit cl. Iosephus Cælestinus Mutis. Floret ab Octobri ad Ianuarium; fructus perficit ultimo Martio. Nuces vidi.

Tab. *explicatio*. Tab. 361 ramum sistit floridum. In tab. 362. *a* Floris capitulum dedita opera sectum ut staminum contentorum situs conspiciatur. *b* Calix. *c* Pedunculus a calice articulo seiunctus. *d* Flos inferne visus, separatus a calice. *e* Petala, quorum maiora notantur stellula. *f* Stamina e corona aut annulo secto prodeuntia, quorum longiora fertilia, breviora castrata et littera *g* notata. *h* Filamentum. *i* Germinem, styli. *k* Germinis sectio. *l* Drupa. *m* Eadem cum carnosæ putaminis parte. *n* Eadem absque putamine carnosæ. *o* Nucis sectio duplici cortice patente. *p* Semen facie excavata visum. *q* Idem absque pellicula.

*Obs. 1.* Diversam esse speciem ab illa quam Linnæus et post ipsum Lamarck indigitavit vel ex ipsorum imperfectis descriptionibus constat. Linnaeana etenim species calice et corolla gaudet purpureis, et antheris oblongis; quod minime observatur in hac nostri Mutisii, cuius fructus est etiam multoties minor.

*Obs. 2.* Huius generis fructificatio affinis est Pekeæ Aubletii, ex qua Rhizobolum fecit cl. Gärtner; qui pagina 93 secundi voluminis sequentem tradit characterem. „Calix „semiquinquepartitus. Corolla pentapetala. Stamina numerosa. Ovarium quadrilobum „superum. Styli quattuor. Nuces quattuor uniloculares evalves monospermæ.” Fructum postea describens suo sapientissimo more, multa de nuce et semine dicit quæ in nostro Caryocare vidimus. Consulatur Gärtner loco citato, et tab. 98 fig. 1.

*Obs. 3.* Quæ hucusque dicta sunt, si præcedentes observationes excipias, et nonnulla de nucis corticibus quos vidi et delineavi, omnia de inedito D. Iosephi Cælestini Mutis opere excerpta sunt; qui huius arboris icones ex America missit nitidissimas et atramento chinensi adumbratas, et vivis coloribus expressas, idque tam accurate ut non dubitem eas cum Smithianis pictis comparare. Descriptionem atque historiam arboris adiunxit hispano sermone numeris omnibus absolutam, quam hic subnecto in honorem sapientissimi viri, qui iure merito Botanicorum in America Princeps salutatur, debetque etiam inter primates Europeos collocari. Utinam præclarissima eius opera Floræ præsertim prelo commissa fuissent; utinam et opuscula mineralogica, oeconomica, phisica, quorum magna copia.

### CARYOCAR ALMENDRON.

Este árbol, celebrado con razon en todo este reyno (de Santa Fe de Bogotá) por la fruta que vulgarmente llaman almendrones, es de los mas útiles de las selvas de Mariquita. Excede á los mas altos Zenascuros (Carola augusta), Otobas (Myristica officinalis), Caracolies (Anacardium caracoli), Caraños (Æginetia carannifera), y Marias (Calophyllum calaba), árboles todos que igualmente abundan y compiten á las palmas mas elevadas. Su grueso y elevadísimo cañon suministra una madera de bastante duracion y de regular pulimento; no tan pesada y compacta como las maderas finas que llaman palos de corazon; pero mas proporcionada para los casos en que deben emplearse tablas anchas y de mediano peso. Antiguamente quando florecian los minerales de Santa Anna y Laxas preferian estos árboles los Mineros en sus oficinas para los ingenios y



tinias de lavaderos. Repuestas hoy las selvas, que en aquellos tiempos asolaria la numerosa poblacion de estos Minerales, no ha sido necesario sacrificar estos preciosos árboles, que aunque comunes son dignos de conservarse entre los frutales, como ya lo hacen y cuidan los dueños de tierras, reputándolos por alhajas que aumentan el valor de sus posesiones.

La cosecha de estos almendrones es la mas contingente y falible que pueda imaginarse. Los habitantes del pais puramente por tradicion aseguraban verificarse solamente cada siete años; periodo que fixarian por la casualidad de haber sucedido así alguna vez, y por la experiencia constante de pasarse muchos años sin ver lograda la abundantísima cosecha que prometen unos árboles tan robustos y poblados de innumerables flores; apoyándolo tal vez en lo misterioso del número siete. Mis observaciones falsifican este periodo, y solo confirman la rareza que no está sujeta á tiempo determinado, sino al conjunto de otras causas de difícil investigacion. El año de 83 fué excesivo el acopio de almendrones, y hasta el presente de 90, en que se cuenta igualmente frustrada, apenas se hallan algunos para muestras, que en vez de satisfacer los encargos anticipados de la capital y provincias, aviven mas bien sus deseos.

Por Julio y Agosto se marchitan las hojas del árbol, que sucesivamente caen; y como de golpe se halla desnudo y nuevamente vestido en todo Setiembre, á imitacion de todos los árboles de estos paises cálidos, en que median pocos dias para esta nueva transformacion. Comienza á florecer á mediados de Octubre hasta fines de Diciembre y mediados de Enero, que suelen hallarse flores en los que se retardaron. En los tres meses siguientes hasta fines de Marzo se perfeccionan las frutas que caen, y dexan los cosecheros hasta hallar las nueces limpias de su corteza mantecosa, que aseguran servir de alimento á las culebras. Lo cierto es que estas se encuentran por esos tiempos con mas abundancia al pie de estos árboles, haciendo no poco peligrosa por este respecto la ocupacion de los peones, que no dexan de exágerar el peligro por aumentar el precio del fruto.

Atribuyen algunos la pérdida freqüente de estas cosechas á la voracidad de las guacamayas verdes, que se alimentan con las frutas tiernas de estos árboles; y es la única especie de aves que los persigue. Esta es una causa puramente imaginaria, que quando mas contribuiria á minorar la cosecha, pero no á frustrarla enteramente por años seguidos; y mas constando por otra parte que no es tan grande el número de estas aves, ni que se ausenten en los años de cosechas. Todo fruto precioso pide mayores cuidados y afanes del hombre, cuya pereza reprehende la Providencia punzando sus deseos con el recuerdo de algunos años de abundancia.

La corteza carnosa ó primera cubierta del fruto contiene una resina dispuesta en forma de aceyte algo pegajoso, espeso, amarillo pardo y de un sabor tan amargo que penetra fuertemente las fauces sin que basten á quitarlo de pronto los repetidos tragos y gárgaras de agua. Estregada entre las manos juntamente con agua levanta una espuma semejante á la de los xaboncillos del árbol (*Sapindus michú*) que no se apaga tan presto dexando las manos suaves, limpias y despercudidas. Podria tal vez aplicarse esta resina á algunos usos económicos y seguramente á muchos medicinales, si de intento se hicieran los experimentos que sugieren las qualidades activas que la distinguen y recomiendan.

El modo de sacar la almendra partiendo la nuez suele ser engorroso y aventurado á los que no están versados en esta maniobra, en que como en otras la industria vence las dificultades. Debe ponerse de punta para recibir el golpe suave, con que raja por la sutura ó única union que puede naturalmente abrirse en tiempo de su germinacion. De qualquiera otro lado que se intente quebrar la nuez se despedaza la almendra.

Confitan estas almendras en la forma acostumbrada con las de Europa; pero con la



diferencia de enxugarlas al horno y á fuego lento para disipar alguna parte del mucho aceyte que tienen , sin cuya precaucion se malograria el baño de azucar. Así preparadas duran largo tiempo sin volverse rancias ni apollillarse , remitiéndolas por un regalo exquisito , cuyo concepto les afianzan su delicado sabor y la rareza de la produccion. A su buen gusto les acompaña su inocente calidad , de cuyo uso moderado no se observan otros efectos que los atribuidos á las almendras de Europa , á las que pudieran substituirse con alguna ventaja , si las de Mariquita fueran mas abundantes.

Esta ciudad se apropió el privilegio de esta cosecha por hallarse situada al pie mismo de la cordillera en cuyas faldas crecen estos árboles , donde fácilmente los descubrieron los primeros pobladores Europeos , á quienes no pudo ocultárseles su recomendable calidad por la semejanza á las almendras de allá. Pudieran ciertamente disputárselo otras provincias , cuyas montañas inaccesibles esconden esta y otras preciosas producciones , que se harán mas familiares con el tiempo por el aumento rapidísimo que va recibiendo la poblacion del reyno.

### DESCRIPCION DEL ALMENDRON.

Arbol altísimo de 60 á 80 varas ; su diámetro de 3 á 5 pies. Su tronco derecho, rollizo , insensiblemente adelgazado hácia arriba , donde se divide en dos ó tres brazos principales , erguidos , que van subdividiéndose en otros mas delgados y menores ; pero en todo lo demas semejantes para formar la copa amplísima globoso-aplanada , bien dispuesta y muy sombría. Las ramas nuevas incorporadas , rollizas , lisas , de color verde cambiado á trechos en morado sucio , y á otros en pardo ; largas de seis á nueve pulgadas , gruesas de tres á quatro líneas ; salpicadas con grietas pequeñísimas , superficiales , densísimas , lineares , longitudinales. Las ramas mas recientes y contiguas á las macetas de flores , aplanadas de ambos lados por trechos alternadamente opuestos , lisas , verdes y terminadas por el cabillo comun de las flores ; largas de cinco á siete pulgadas , gruesas de dos á tres líneas.

Las HOJAS en las ramas nuevas , aproximadas , opuestas por trechos alternados , erguidas , las inferiores horizontales ; de tres en rama : las hojillas alanceolado-oblongas , con sierra que comienza mas arriba de la base ; sus dientecillos grandes , apartados , desiguales , romos ; aguzadas , planas , lisas , membranosas , delgadas , la intermedia algo mas ancha ; largas de tres pulgadas y media á quatro ; anchas de dos á dos y media. El nervio intermedio rollizo por debaxo y sobresaliente ; por encima plano y embutido. Las venas laterales aproximadas por lo comun alternas , raras veces casi opuestas ; hácia la base y punta algunas veces opuestas ; delgadísimas , sobresalientes solo por debaxo : en su origen del nervio hay una manchita formada por un hacecito de vellos pequeñísimos , y solo visibles con la lente ; por lo demas lampiñas ; las transversales delgadísimas , y apenas forman redecilla manifiesta. El pezon comun casi cilíndrico , en su nacimiento y punta al doble grueso , liso , derecho , tieso , casi del largo de las hojas , grueso una línea : los parciales muy cortos , casi iguales , rollizos , con una línea longitudinal delgada sobresaliente por encima ; en lo demas semejantes al comun ; largos cinco líneas , gruesos  $\frac{2}{3}$  de línea.

Las OREJUELAS son regularmente quatro en la union de los pezones parciales con el comun : dos mayores , y de figura mas constante una en cada pezon lateral , y ambas enfrente del intermedio en forma de zurroncitos (algo semejantes á los zurroncitos florales de algunas especies de *Marcgravia*) cuyo fondo ensanchado y convexo corresponde arriba , y su boca hácia abaxo , como puestos al revés : en dicha boca de un lado está el pie linear y derecho que lo sostiene , y en el opuesto termina una lengüeta aguzada y suelta ; derechas , lisas , verdoso-pálidas , largas de dos líneas y media , gruesas de una y media : dos menores una en cada lado del pezon intermedio y opuestas á los zurroncitos , cerdosas , encorvadas , y por lo comun la mitad menores. Estas son menos cons-



tantes en sus figuras diversas : unas veces alanceadas , otras comienzan á formar el zurroncito , el qual se halla finalmente bien formado en otras , en que se cuentan quatro muy semejantes ; pero esto sucede raras veces. Otras dos orejuelas afuera de las hojas , aquilladas , doblados sus lados que se envaynan por sus márgenes alternadamente , sentadas , aplanadas , en forma de rejoncillo , cubren el rudimento del tallo y hojas que sucesivamente se desplagan lisas , verdes , largas de media pulgada , anchas en su base comun quatro líneas. Interiormente bañadas de una resina muy pegajosa que las mantiene cerradas , conservando el rudimento de la planta á cubierto de las injurias exteriores. Al desplegarse caen las orejuelas sin vestigio manifiesto de haber existido esta cubierta.

Las FLORES salen en un racimo terminal , sencillo , dispuestas en forma de maceta ordenada , y alternadamente por seis series. El cabillo comun derecho , mas abaxo de las flores algo comprimido por ambos lados , entre las flores de seis lados aplanados , blandamente vellosos ; los vellos salpicados , pequeñísimos , sencillos , aleznados , articulados horizontales : largo de quatro á seis pulgadas , grueso de dos á tres líneas. Los cabillos parciales de una sola flor , rollizos , blanda y densamente vellosos , sus vellos semejantes á los del comun ; gradualmente mas cortos los superiores , algo mas gruesos hácia la punta , y muy cerca de ella la articulacion de las dos piezas de que consta cada cabillo ; los inferiores largos una pulgada y dos líneas ; gruesos una línea. El color de las flores parece blanco desde lejos por sus estambres sobresalientes y numerosísimos ; el del caliz verdoso , y el de los petalos verde-amarillo.

El CALIZ *perianthio* de una pieza en forma de taza , ligeramente hendido en cinco partes ; las lacinas redondeadas , derechas , iguales , menudísimamente pestañosas por los vellos pequeños , que se hallan mas numerosos en todo el caliz ; igualmente largo y grueso de dos hasta dos líneas y media : caedizo.

La COROLA de cinco petalos trasovado-oblongos sin uñuela , enterísimos , romos , algo cóncavos , desiguales , dos mas exteriores los mayores ; entreabiertos , carnosos , lisos : los mayores largos once líneas , anchos seis líneas.

Los ESTAMBRES *filamentos* numerosísimos , cerca de doscientos , dispuestos en dos órdenes : los exteriores mas largos al doble de la corola , fértiles ; los interiores gradualmente mas cortos y castrados : todos delgados , aleznados , algo aplanados , tiesos y divergentes en el vigor de su florescencia forman una campanilla ; despues al marchitarse quedan ladeados en figura de una cabellera tendida : unidos en su base por una membrana circular , que en forma de corona descansa , asida al margen del receptáculo de la flor. Las anteras pequeñísimas redonditas prendidas por su base sobre la punta del filamento.

El PISTILO *germen* superior , globoso-aplanado de quatro esquinas romas , blanco-amarilloso , lustroso , igualmente alto y grueso de línea y media. Los estilos quatro aleznados , ondeados , delgados , lisos , mas cortos que los estambres , y regularmente desiguales. Los estigmas sencillos.

El PERICARPIO *drupa* globoso-oblonga , traversera , algo comprimida por ambos lados , lisa , de color verde-oscuro con algunas manchitas de verde mas intenso ; medianamente carnosa y muy xugosa por su mucho aceyte : larga al traves de dos pulgadas hasta dos y media , gruesa de pulgada y media hasta dos.

Las *semillas* una nuez sencilla , raras veces compuesta de dos ó tres , nunca de quatro. La nuez sencilla casi arriñonada , sentada por el seno que corresponde á la sutura longitudinal sobre la base de la drupa ; por lo demas de la misma figura y tamaño proporcionado á llenar toda la cavidad de la corteza carnosa ; de una sola celdilla. Consta de dos cortezas leñosas muy diversas : la interior mas delgada y compacta , su grueso de una línea , por adentro muy lisa , reluciente de color castaño : la exterior muy gruesa de quatro á cinco líneas , armada de muchas puas y paletas espinosas puestas de punta fuertemente asidas á la corteza interior ; forman una red leñosa , cuyos intervalos están rellenos de una substancia acorchada y revestida por una cascarilla membranosa que oculta



estas partes , hasta que devorado el relleno por los insectos , queda manifesto el erizo en las nueces viejas.

El *meollo* casi de la misma figura llena toda la celdilla ; su grande *careta* corresponde á la *sutura* de la nuez , cubierto por el *corzuelo* delgado áspero , de color acanelado ; unido á la *sutura* por su particular colilla ; y el pico del embrión en otro extremo. Su carne muy blanca , aceytosa y del sabor de la almendra.

### OBSERVACIONES.

1. El germen cortado al traves indica constantemente un fruto de quatro celdillas con semillas solitarias ; pero jamas llegan á su estado completo. Por lo comun abortan tres ; raras veces prosperan dos , y rarísima vez tres. En tales casos salen las nueces con dos ó tres esquinas romas , y los surcos que corresponden al número de nueces pegadas hácia el centro por sus lados.

2. Pertenece nuestro árbol al género *CARYOCAR* , y tal vez será especie nueva que deberá llamarse *CARYOCAR amygdaliferum* á distincion del *nuciferum* de Berbices y Esquivivo que suministró los caractéres á su autor Allamand. Podrá saberse positivamente quando se publique la descripcion completa por algun Botánico que visite aquellos países ; pues la muy abreviada de la segunda *Mantissa* de Linné parece formada por algun exemplar seco.

3. Se sabrá tambien entonces si los estambres de aquella especie están unidos por su base como parece regular ; y deberá transferirse el género á la *Monadelfia* , como se hizo en la *Gustavia* , mientras no se fixan los límites entre estambres unidos y nectario estambroso , segun me pareció nombrar esta union en la descripcion del árbol llamado *CHUPO* , que comuniqué al inmortal Linné en el año 1773 , y consagró despues á la memoria de su augusto Monarca.

4. Mis particulares investigaciones sobre la polygamia de las plantas me confirman la de este árbol entre cuyas flores fértiles y estériles no he podido descubrir caractéres decididos que la demuestren originalmente. No es único este exemplar en las regiones calidísimas de América , donde abunda la polygamia entre las muchas plantas con caractéres tan ocultos que debo separarlas y mantenerlas en el orden de mis *APOTELOGAMAS* ; descubrimiento , que explicando solamente las obras de la naturaleza , nada perjudica á las ideas controvertidas acerca de excluir ó retener aquella clase del sistema.

### CANTUA. <sup>(a)</sup>

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix persistens , monophyllus , tubulosus , quinquefidus ; laciniis subæqualibus.  
 Corolla monopetala infundibuliformis ; tubus cylindricus calice longior ; limbus quinquepartitus , laciniis obcordatis , æqualibus.  
 Stamina filamenta quinque , inæqualia , prope tubi basim inserta : antheræ incumbentes ovatæ , subsagittatæ.  
 Germen superum ovato-oblongum , insidens corpori glanduloso : stylus filiformis erectus , staminibus paulo longior : stigma tripartitum.  
 Capsula oblonga , obsolete trigona , trilocularis , trivalvis , valvulis dissepimento oppositis , apice dehiscens ; tuncque patente receptaculo prismatico triangulari in cuius sulcis lon-

(a) Lamark diction. volum. 1 , pág. 603 , anno 1783 , et Illustration des Gen. pág. 472 , tab. 106. De Jussieu Gener. anno 1789. Prodr. Floræ Peruanæ et Chilensis novo nomine *Peryphragmos*. anno 1794.



gitudinalibus sedent imbricata semina ovata compressa ala terminata membranacea.

*Obs.* 1. Stamina quandoque sunt corollæ longitudine, et aliquando longiora.

*Obs.* 2. Alæ membrana quæ ut plurimum terminalis est et subæqualis semini, hoc undique haud raro cingit limbo brevi.

*Obs.* 3. *Cantua* differt ab *Hoitzia* calicis exterioris defectu.

### CANTUA OVATA. *Tab.* 363.

401. *CANTUA* ramis dependentibus: foliis ovato-oblongis petiolatis glabris: filamentis corolla longioribus.

Caulis fruticosus, 6-8 pedes altus, glaber, ramosus, ramis alternis et dependentibus florum copia.

Folia alterna, ovato-oblonga, inferne angustiora et in petiolum terminata, apice obtusa, brevique setula terminata, uninervia, integerrima, regenerationibus exceptis in quibus latiora sunt et utrimque bidentata.

Flores magni, in ramulorum summitatibus axillares, solitarii, pedunculis longiores.

Calix cylindricus, striatus, laciniis quinque ovato-acutis.

Corolla coerulesco-rubens et in varietate alba: tubus calice triplo longior basi angustior: limbi laciniæ obcordatæ, quarum limbus superior obscure denticulatus.

Staminum filamenta quinque, dilute rubra, corolla longiora, quorum duo ceteris paulo breviora et quintum omnibus longius: antheræ luteæ basi emarginatæ.

Germen calice duplo brevius, impositum corpori glanduloso nitido: stylus filiformis: stigmatibus laciniæ tres lineares divergentes.

Capsula calice longior: semina alata.

Habitat prope Obregillo, oppidum peruvianum. Floret Iunio et Iulio. Vidi siccam in herbario D. Ludovici Nee, iconemque ineditam vivis coloribus expressam.

*Explic.* tab. *a* Calix sectus ut germen appareat et corpus glandulosum. *b* Corolla secta et revoluta ut conspiciatur filamentorum insertio. *c* Capsula. *d* Eadem dehiscens. *e* Eiusdem sectio. *f* Receptaculi pars. *g* Receptaculum cum seminibus. *h* Semina. *A* Regenerationis.

### CANTUA TOMENTOSA. *Tab.* 364.

402. *Cantua* foliis sublanceolatis, sessilibus, tomentosis: staminibus corollæ subæqualibus.

An *CANTUA* buxifolia *Lamark* *Illust. gen. pag.* 473, *tab.* 106, *fig.* 2?

Caulis ut in præcedente, ramis præsertim teneris tomentosis.

Folia alterna, sessilia, sublanceolata, setula brevi terminata, utraque pagina tomentosa, integerrima.

Reliqua ut in præcedente: at calices tomentosi; corolla dilute rubra, eiusque laciniæ orbiculatæ, emarginatæ absque denticulis.

Habitat inter oppida peruviana San Buenaventura et Guamantanga haud procul ab argenti fodina vulgo de la Candelaria. Floret Iunio et Iulio. Vidi in laudato herbario.

*Explic.* tab. *a* Calicis sectio. *b* Corolla cum staminibus.

### HOITZIA.

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix duplex: interior monophyllus tubulosus quinquefidus persistens; exterior paulo maior polyphyllus (4-8) foliolis polymorphis persistentibus.



Corolla infundibuliformis , tubus cylindricus calice longior : limbus quinquepartitus , laciniis ovatis.

Staminum filamenta quinque æqualia , corolla paulo longiora prope tubi basim inserta : antheræ incumbentes , ovatæ , altera parte emarginatæ.

Germen superum , ovatum , insidens corpori glanduloso : stylus filiformis erectus , staminum longitudine ; stigma tripartitum.

Capsula calice brevior , ovata , obsolete trigona , trilocularis , trivalvis , valvulis dissepimento oppositis , apice dehiscens : receptaculum prismaticum trigonum , in cuius sulcis longitudinalibus sedent imbricata semina minuta ovata , margine membranaceo cincta.

*Obs.* 1. Solo calice exteriori differt a præcedente *Cantua*.

*Obs.* 2. Tres hucusque mihi notæ species mexicanæ frutescentes , quibus folia sunt simplicia , alterna , serrata , serraturis spinescentibus ; unde fortasse vulgo *Espinosi-lla* dictæ.

*Obs.* 3. Evulgavit hoc genus cl. Antonius Laurentius de Iussieu in suo opere *Genera plantarum* , ibique characterem incompletum , quia speciem unicam vidit , eamque fructibus orbatam.

### HOITZIA COCCINEA. *Tab.* 365.

403. HOITZIA caule fruticoso : foliis sessilibus , ovato-acutis , serratis , pubescentibus. *Hoitzia*, de Iussieu gener. plant. pag. 136-137. Lamarck dict. volum. 3 , pag. 134. Yerba de la Virgen , y Espinosilla. *Née herbar. cum icone inedita.*

Caulis fruticosus duos et ultra pedes altus , ramosus , ramis alternis pubescentibus.

Folia alterna sessilia , pubescentia , ovato-acuta , serrata , serraturis spinescentibus.

Flores axillares , ut plurimum solitarii , folio longiores , breviter pedunculati.

Calix interior tubulosus semiquinquepartitus , laciniis lanceolatis acutis , quarum duæ integre , tres denticulatæ : exterior octophyllus triplici ordine ; foliola duo inferiora opposita sessilia lanceolata ; reliquis lanceolatis serratis petiolatis , quorum tria interiora.

Corolla coccinea : tubus fere pollicaris : limbus patens , laciniis obtusis.

Filamenta coccinea : antheræ luteæ.

Germen calice dimidio brevius. Reliqua ut in caractere generico.

Habitat passim in Regno mexicano , copiose tamen prope Guanajuato ꝓ. Floret Augusto et Septembri. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. a Flos integer. b Calix exterior. c Interior sectus. d Corolla longitudinaliter secta et expansa. e Germen auctum corpori glanduloso insidens. f Capsula intra calicem. g Eadem ab isto seiuncta. h Eadem dehiscens. i Eadem aucta. k Receptaculum auctum. l Semina. m Eadem magnitudine naturali.

*Obs.* 1. D. de Lamarck hanc speciem nominavit *mexicanam* , ego *coccineam* a florum colore ; nomen proculdubio melius quam illud *mexicana* , quia omnes hucusque notæ species mexicanæ sunt.

*Obs.* 2. Lingua mexicana nominatur hæc species Huitziltzin , unde originem ducit Iussiei nomen HOITZIA. Virtus eiusdem pectoralis est , atque præstantissima contra arduas febres. *Vin. Cervantes manus. apud D. Née.*

### HOITZIA COERULEA. *Tab.* 366.

404. HOITZIA caule suffruticoso : foliis subsessilibus , linearibus , serratis , serraturis spinosis : calice exteriori translucido.

Radix flexuosa , descendens , inferne ramosa , ex qua cauliculi vix pedales exsurgunt , teretes , parce ramosi.



Folia alterna, sessilia, linearia, serrata, serraturis spinosis.

Flores axillares, solitarii, pedunculati: pedunculus folio brevior, foliolis sæpe duobus prope calices ornatus.

Calix interior tubulosus, semiquinquepartitus, laciniis acutis: exterior tetraphyllus, foliolis, sessilibus, ovatis, serrulato-spinosis, translucidis, quorum nervi nigrescunt.

Corolla dilute coerulea, cuius tubus calice duplo longior, et limbus patens laciniis obtusis.

Filamenta capillaria, corolla longiora, albicantia: antheræ luteæ.

Reliqua ut in præcedente; at capsula et semina minora.

Habitat prope Guanajuato, urbe mexicana, at præcipue in colle altiore et via quæ ducit ad fodinam vulgo de los Calderos  $\mathcal{L}$ . Floret Octobri. Vidi siccam in eodem herbario et iconem incompletam.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix exterior. *c* Interior expansus. *d* Germen. *e* Corolla cum staminibus. *f* Capsula. *g*. Eadem aucta dehiscens. *h* Semen. *i* Idem auctum. *k* Folium auctum.

### HOITZIA GLANDULOSA. *Tab.* 367.

405. HOITZIA caule suffruticoso aspero: foliis ovato-lanceolatis, serratis, petiolatis.

Caulis teres, fuscus, villosus, villis minimis glanduliferis, ramosus, ramis alternis.

Folia alterna, petiolis multoties longiora, ovato-lanceolata, rameis exceptis, quæ sunt oblonga et sublinearia, omniaque serrata, serraturis, subspinosis.

Flores axillares, solitarii, pedunculati: pedunculus calice brevior.

Calices adpressi, interior tubulosus, semiquinquepartitus laciniis subulatis; exterior ex sex aut septem foliolis lanceolatis, obscure denticulatis, dorso villos glandulifero.

Corolla rubra, exsiccatione dilute coerulea, figura et magnitudine præcedentis.

Capsula ovato-oblonga.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat inter Actopan et Salvatierra oppida mexicana, floretque Augusto et Septembri  $\mathcal{L}$ . Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer *b* Calix exterior expansus. *B* Huius folium auctum. *c* Calicis exterioris sectio. *d* Germen. *e* Corolla expansa. *f* Capsula intra calicem. *g* Eadem aucta, dehiscens. *h* Semen. *i* Idem auctum. *A* Ramuli pars aucta cum villis glanduliferis.

### STYLOCORYNA. <sup>(a)</sup>

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix superus, persistens, urceolatus, quinquedentatus.

Corolla monopetala, rotata: tubus infundibuliformis: limbus patens quinquepartitus laciniis oblongis.

Staminum filamenta quinque brevissima inter limbi lacinias: antheræ sublineares apice acutissimæ basi cordatæ.

Germen globosum inferum: stylus clavatus: stigma simplex.

Fructus: bacca carnosa, spherica, bilocularis calice coronata; loculis polyspermis: semina angulata, dura, in pulpa nidulantia.

*Obs.* Genus Genipæ atque Gardeniæ affine a quibus differt antheris exertis sessilibus apice veluti caudatis; calice urceolato quinquedentato persistente; et fructus figura. Consulantur tabulæ Plumierii 136, et Gærtnerii 177.

(a) Nominis origo a vocibus *στυλος stylus*, et *κόρυνη clava*; quia florum styli clavas referunt.



STYLOCORYNA RACEMOSA. *Tab.* 368.

406. STYLOCORYNA caule arboreo, foliis oppositis lato-lanceolatis : floribus racemosis. Caulis arboreus, 12 et amplius pedes altus, coma ampla terminatus; cortex cinereus glaber.
- Folia opposita, integerrima, glabra, lato-lanceolata, acumine producto, uninervia, nervo ramoso: petioli vix semipollicares basi subconnati.
- Flores racemosi, racemis solitariis axillaribus ramosis; ramuli dichotomi, bracteolis oppositis instructi ad dichotomiæ basim.
- Calix brevis, glaber, urceolatus, quinquedentatus; dentibus et urceolo persistentibus.
- Corolla luteo-albicans, cuius tubus est calicis longior, et limbo brevior: limbi laciniæ patentibus oblongo-ovatae, obtusae; quarum basis, limbique faux hirsuta, pilis albicantibus.
- Staminum filamenta quinque brevissima, inter laciniarum divisionem tubi fauci inserta: antheræ patentibus, longitudine fere laciniarum corollæ, terminatæ apice acutissimo elongato.
- Germen glabrum pellicula tectum, quæ videtur calicis continuatio, haud secus ac in *Leptospermo* et *Metrosidero* diximus: stylus staminum longitudine, clavatus, basi filiformis deinde sensim crassior, apice excepto: stigma simplex.
- Bacca sphaerica, glabra, carne pauperrima: bilocularis: loculamentis farctis pulpa in qua nidulantur semina angulata dura.
- Habitat passim in insulis philippicis et præsertim in portu Cavite, tribus leucis a Manila seiuncto, ubi floribus fructibusque onustam reperit mense Novembri anni 1793 D. Ludovicus Née, in cuius herbario examinavi *h.*
- Explic.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Flos integer apertus. *c* Corolla expansa cum antheris. *d* Calix sectus et expansus in cuius fundo est germen. *e* Germen intra calicem, stylus, stigma. *f* Anthera aucta. *g* Germen, stylus et stigma aucta. *h* Bacca. *i* Huius sectio. *k* Semina.

GREWIA MALLOCOCCA *Linnæi. Tab.* 369.

407. GREWIA foliis ovato-acuminatis, serratis: pedicellis axillaribus trifloris: fructu villosa.
- Mallococca crenata*, *Forster. gen.* 59.
- Grewia mallococca* foliis cordatis, ovato-oblongis, crenatis, scabris, pedicellis axillaribus, fructu tetracocco. *Linn. suppl. pag.* 409.
- Greuvier mallocoque. Lamark Dict. volum.* 3, *pag.* 44.
- Grewia mallococca. Gærtner, vol.* 2, *pag.* 113, *tab.* 106, *fig.* 7.
- Caulis arborescens, decem pedes altus, ramis alternis pubescentibus.
- Folia alterna ovato-oblonga, terminata acumine, serrata, vix cordata, uninervia nervo ramoso villosa, sustentata petiolo brevi pubescente.
- Flores axillares: pedunculus communis solitarius, tripartitus; partiales uniflori, ad quorum basim involucrium polyphyllum, deciduum, foliolis fere quinque, tomentosis.
- Calix pentaphyllus, foliolis linearibus, extus tomentosus, intus rubentibus, deciduis.
- Corollæ petala quinque, calice triplo breviora, prope basim pedicelli genitalium inserta, lanceolata, rubentia, interna superficie iuxta basim ornata squamula orbiculari, limbo tomentoso; externa vero superficie maculata, macula cinerea longitudinaliter bipartita.
- Genitalia pedicellata, pedicello brevi, margine pentagono, cano, terminato.
- Staminum filamenta rubra, capillaria, numerosa calice breviora, at corolla duplo longiora, receptaculo inserta et libera: antheræ ovatae, minimæ.
- Germen globoso-tetragonum, pilis lutescentibus hirtum: stylus longitudine staminum: stigmata duo bifida.



Fructus est drupa, quadriloba, quadrilocularis, loculis monopyrenis; tectis pulpa brevi superfecta epiderme, setulis scabra, nigricante (in sicco). Ossicula ovato-acuta, rugis et tuberculis minimis exasperata, unilocularia, monosperma. Semina obovata, deorsum attenuata: funiculo umbilicali capillari instructa, tectaque pellicula tenui pallida.

Habitat in Amicorum insula Babaó dicta, floretque Iunio et Iulio *h.* Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Capitulum floris. *b* Flos magnitudine naturali. *c* Petalum auctum. *d* Genitalia in stipitis apice. *e* Germen margine pentagono insidens. *f* Fructus. *g* Ossiculum. *h* Huius sectio. *i* Semen.

*Obs.* Folia semper vidi serrata in exemplaribus, adeoque obscure cordata ut vix cordata dici possint. Ossicula, aut si mavis nuces germinatione videntur bivalvia, quia in duas valvulas separantur emollita prius ferventi aqua et longitudinaliter malleolo percussa.

## COLONA. <sup>(a)</sup>

### CHARACTER GENERICUS.

Calix pentaphyllus, foliolis linearibus interne coloratis, deciduis.

Corollæ petala quinque, basi interna squamula ornata.

Genitalia pedicellata, pedicello terminato margine pentagono.

Staminum filamenta numerosa, capillaria, receptaculo germinis affixa: antheræ ovatæ minimæ.

Germen globoso-tetragonum: stylus staminibus duplo longior: stigma simplex.

Fructus globosus quadrialatus alis duplicatis, dehiscens in quattuor scrotula (aut si mavis samaras) quorum quodlibet quartam spheræ partem sistit, ideoque externa superficie convexum, interna acutum angulo recto; cinctum ala cartacea apice cordata.

Scrotula disperma, seminibus ovatis.

*Obs.* Fructu differt hoc genus a *Grewia*.

## COLONA SERRATIFOLIA. *Tab.* 370.

408. COLONA caule arboreo: foliis ovato-lanceolatis, serratis, nervo longitudinali inæqualiter bipartitis: floribus subpaniculatis.

Arbor 20 et amplius pedes alta, valde ramosa, ramis alternis teretibus, hirsutis, præsertim teneris.

Folia alterna, subsessilia, semipedalia et amplius, superioribus exceptis quæ minora sunt; ovato-lanceolata, serrata, pagina superiore viridia, punctisque scabra; inferiore glauca, subtrinervia, nervis, petiolisque hirsutis: nervi ramosi quorum longitudinalis folium dividit in duas partes inæquales, altera latiore et versus petiolum productiore.

Flores subracemosi, racemis solitariis, axillaribus, ramosis, paniculam quodammodo efformantibus: in ramulis pedunculi eriguntur ad foliolum axillares trifidi, triflori: pedunculi partiales basi sunt cincti involucre triphylo, foliolis trifidis; istæ novem lacinia capitula tria involvunt, quorum pedunculi sensim elongantur usque ad fructuum perfectionem.

Calicis lacinia quinque lineares, acuta, intus rubentes.

(a) In memoriam clarissimi Christophori Columbi, sive potius COLON ut se ipse suosque posteros in Hispania cognominari voluit; qui egregio plane facinore Novum Orbem, veteribus omnino incognitum, detexit, adeoque Floræ imperium mirum in modum auxit. Quod si Botanici quasdam plantas insignes fecere nominibus Cookii, Bougainvillæi, aliorumque navigatorum; potiore titulo Columbo navigatorum recentis ævi principi genus hoc novum consecrari debet.



Corollæ petala sublinearia , rubra , calice breviora , basi emarginata et aucta , prope ipsam interne squamula rotunda ciliata.

Stamina rubra calice breviora : antheræ rubentes.

Germen viride : stylus rubescens.

Fructus integer (alis exceptis) piperis grani magnitudine : scrotula umbilicali funiculo ex ipsorum basi interna orto , receptaculo adhærent , maturitate pendula : alæ cartaceæ nervosæ , castanei fere coloris.

Habitat prope oppidum Baños in insulis philippicis , floretque Augusto et Septembri *h*.

Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *c* Corolla. *d* Petalum auctum. *e* Genitalia. *f* Eadem aucta. *g* Germen. *h* Huius sectio. *i* Fructus. *k* Idem dehiscens. *l* Scrotuli sectio. *m* Involucrum triflorum. *n* Idem expansum cum capitulis.

### BRADLEIA PHILIPPICA. Tab. 371.

409. BRADLEIA caule arboreo , foliis alternis lanceolatis glabris : floribus axillaribus numerosis.

An Bradleia glochidion? *Gærtner* , vol. 2 , pag. 128 , et *Glochidion ramiflorum*. *Forst.* pag. 144.

Caulis arboreus duodecim pedes altus , valde ramosus , ramis teretibus , teneris tomentosis. Folia alterna , breviter petiolata , lanceolata , integerrima , uninervia , nervo ramoso.

Flores axillares numerosi , minimi , pedicellis propriis , duas lineas aut amplius longis.

Calix in femina hexaphyllus , foliolis canis ovatis persistentibus. Corolla , et stamina nulla.

Germen globosum , superum , calice maius : stylus crassus vix exertus , terminatus stigmatibus sex in stellam adproximatis , sulco dorsali fere bipartitis : hæc sunt versus centrum angustiora , latiora vero versus periferiam et persistunt.

Fructus est capsula orbicularis valde depressa , utrimque umbilicata , torulis sex , dydimis , dorsali sulco notatis , pulvinata , sexlocularis , per maturitatem sexpartibilis. Cortex est membranaceus fuscus villosus : loculamenta cartacea , pallide rubentia , eiusdem coloris et substantiæ cum dissepimentis , disperma. Semina nitida , rubentia , depressa , lentiformia , intus breviter acuminata ibique affixa receptaculo columnari.

Habitat inter Oaz et Irraga in insulis philippicis , ubi floridam et fructiferam vidit D. Ludovicus Née mensibus Augusto et Septembri *h*. Vidi siccam in eius herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos femineus magnitudine naturali. *b* Calix auctus. *c* Idem flos auctus. *d* Stigmata. *e* Stigma alterum. *f* Fructus. *g* Huius sectio. *h* Loculamentum corticatum e latere spectatum. *i* Idem interne visum. *k* Idem cum seminibus. *l* Semina.

*Obs.* Floridos et fructiferos ramos laudati herbarii qua potui diligentia perscrutatus sum : at nullum reperi florem masculum. Num deciderint masculi si umquam existerunt affirmare non possum , neque plantam dicere monoicam , quales sunt reliquæ notæ species. Hæc nostra differt a Bradleia sinica seminibus non sibi mutuo impositis , sed iuxta se locatis , et a Bradleia zeylanica calice hexaphyllo. Fortasse erit *Glochidion Forsterii* , quod pendet a numero et situ staminum quæ non vidi.

### EUCRYPHIA. <sup>(a)</sup>

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix persistens polyphyllus , foliolis minimis quinque , ovatis.

Corollæ petala quinque , ovata , initio tecta calyptra decidua , postea patentia.

(a) A vocibus *Εὐ* , *κρύφια* bene tecta , quia floris capitulum calyptra , et capsulæ cortice tecta sunt.



Staminum filamenta subulata, numerosa, receptaculo inserta, corolla breviora: antheræ ovatæ biloculares.

Germen superum, ovatum, striatum: styli plures (fere 12) staminibus breviores: stigmata simplicia.

Fructus capsularis ovatus corticatus: cortex sublignosus, sulcatus, a basi ad apicem in quinque laciniis dehiscens; continens tot capsulas quot fuerunt styli.

Capsulæ ovato-oblongæ, uniloculares, polyspermæ, interne longitudinaliter dehiscentes, receptaculo adfixæ duobus funiculis: semina ovato-acuta, ala terminata, adfixa suturæ dehiscenti.

*Obs. 1.* Petalorum numerus aliquando quinario maior, stamine aliquo in petalum abeunte.

*Obs. 2.* Floris capitulum apparet tectum calyptra decidua, in quattuor laciniis dehiscente a basi versus apicem hemisphæricum.

### EUCRYPHIA CORDIFOLIA. Tab. 372.

410. EUCRYPHIA caule arboreo: foliis oppositis ovatis cordatis: floribus axillaribus solitariis.

Roble de Chiloe. *Née herbar. cum icone.*

Arbor pulcherrima, 30-50 pedes alta, ramis patulis, teneris tomentosis: eius cortex fuscus, et lignum rubens, præsertim induratum, centrale scilicet trunci atque ramorum.

Folia opposita, ovata, cordata, crenato-dentata, coriacea, uninervia, nervo ramoso, inferiore pagina tomento brevi ferrugineo tecta, et sustentata petiolis crassis brevibus.

Flores axillares, solitarii, pedunculo pollicari sustentati, qui prodit ex centro squamularum in gemmæ formam imbricarum: capitula ante petalorum expansionem tecta sunt calyptra ovata tomentosa decidua postquam hæc basi finditur in quattuor laciniis.

Calix minimus lutescens.

Corollæ petala semipollicaria, alba, per exsiccationem rubra.

Filamenta subulata, basi subcoalita.

Germen tot striis notatum, quot sunt styli, numero plerumque 12, nonnihil divaricati.

Fructus semipollicem longus, cuius cortex fuscus et durus: capsulæ dehiscentes cymbæformes e funiculis pendulæ: semina basi alata, ala perlucida.

Crescit sponte in San Carlos de Chiloe, et iuxta oppidum Almendral in Regno chilense: floret Febuario et Martio *h.* Vulgo nominatur *Roble de Chile*, quasi diceret Robur Chilense. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic. tab. a* Floris capitulum calyptram exuens. *b* Calyptra. *c* Flos magnitudine naturali in quo sex petala depinxi, et alia duo minora in quæ totidem stamina conversa sunt. *d* Anthera aucta. *e* Eadem loculamentis apertis. *f* Germen auctum. *g* Fructus dehiscens. *h* Capsulæ quattuor funiculis receptaculo adfixæ. *i* Sectio longitudinalis capsulæ ut appareant semina. *k* Semen.

### GUIOA. <sup>(a)</sup>

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix minimus pentaphyllus, foliolis concavis persistentibus.

Corollæ petala quinque, calice breviora, ovata, basi exteriori annuli carnosius inserta.

Genitalia disco annulari carnosio subpentagono cincta.

(a) In honorem D. Iosephi Guio et Sanchez qui summa decenteritate vere et nitide quamplures plan-

tas vivis coloribus pinxit, dum orbem lustraret cum Ludovico Née.



Staminum filamenta octo , subulata , calice breviora inter germen et discum inserta : antheræ ovatæ , incumbentes , biloculares.

Germen substipitatum , superum , ovatum , triquetrum : stylus brevissimus : stigma subulatum simplex.

Fructus capsularis : capsulæ tres coriaceæ , compressæ , supra obtusæ , basi acutæ , in alarum forma receptaculo columnari affixæ , bivalves , uniloculares , monospermæ : semina lenticularia sacco cartaceo inclusa , columnæ basi affixa.

*Obs.* Genus affine Molinæ Commersonis , et de Iussieu a quo potissimum differt fructu tricapsulari : inflorescentia , foliatio et flores ambobus communes. Hæc duo genera affinia etiam videntur Toulicæ Aubletii tab. 140. et Llagunoæ Flor. Peruv. Conferatur hoc opus , pag. 126. tab. 26. , et Lamarck illust. gen. tab. 305.

### GUIOA LENTISCIFOLIA. Tab. 373.

411. GUIOA caule fruticoso ; foliis alternis abrupte pinnatis , pinnulis lanceolatis integerrimis : floribus paniculatis.

Caulis fruticosus , sex pedes et amplius altus.

Folia alterna , abrupte pinnata , triiuga , pinnulis lanceolatis coriaceis integerrimis ; quarum petioli partiales breves , communis compressus.

Flores paniculati , paniculis axillaribus et terminalibus , ramosis , ramis ad bracteolam axillaribus.

Calicis foliola coriacea , concava.

Corollæ petala rubicunda.

Germen villosum , et filamenta glabra.

Capsulæ tres alas refferunt , et dehiscunt superiore parte in duas valvulas interne glaberrimas , externe subrugosas : sacculi seminibus maiores.

Habitat in Amicorum insula Babao dicta , haud procul a mare , floretque Iunio et Iulio *h.* Vidi siccam in laudato herbario.

*Explic.* tab. *a* Ramulus florum. *b* Calix auctus , cuius *c* foliolum. *d* Petalum auctum. *e* Flos integer auctus. *f* Fructus. *g* Idem dehiscens. *h* Capsulæ valvula cum semine tunicato. *i* Semen nudum.

### MAGALLANA. <sup>(a)</sup>

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix monophyllus , profunde tripartitus , laciniis superioribus linearibus divaricatis , inferiore latiore , breviora , tripartita , postice calcarata.

Corolla pentapetala irregularis , petalis divisuris calicis insertis , quorum duo inferiora sessilia linearia ; tria superiora longiora , ovata , basi cucullata , ungueque filiformi pedicellata.

Staminum filamenta octo , calice breviora , filiformia , basi breviter coalita in annulum circa germen receptaculo impositum : antheræ ovatæ didymæ.

Germen superum didymum , lobis trialatis : stylus filiformis : stigma bifidum lacinia altera brevi crassa , altera longa subulata divaricata.

Fructus : scrotula (aut si mavis samaræ) duo , unilocularia , trialata , monosperma , quorum unum abortum patitur. Semen oblongum.

(a) Genus dicatum Ferdinando Magallanes navigatori magno nominis , atque ob inventum peragratumque fretum ab eodem denominatum celebrissimo.



## MAGALLANA PORIFOLIA. Tab. 374.

412. MAGALLANA caule herbaceo scandente : foliis alternis trifidis : floribus axillaribus. Caulis teres herbaceus , scandens , tripedalis et amplius , filiformis. Folia alterna , ut plurimum profundissime trifida laciniis integerrimis linearibus , acutis , in quarum superficie pori apparent perlucidi lutescentes : petioli foliis æquales , teretes , basi in circulum sæpius involuti. Flores axillares , ut plurimum solitarii , pedunculis sesquipollicaribus sustentati. Calix lutescens , et persistens in pluribus exemplaribus siccis. Corolla et stamina lutea. Scrotuli alæ semicirculares , cartaceæ , luteo-fuscæ. Reliqua ut in caractere generico. Habitat in Americæ meridionalis portu Desiderato , et in Colonia del Sacramento , potissimum in tractu *Busar* dicto iuxta sepes antiquas. ☉ Floret et fructificat mense Maio. Vidi siccam in laudato herbario. *Explic.* tab. *a* Calix et corolla parte postica. *b* Petalum auctum , antice spectatum qua limbi basi coeunt in cucullum. *c* Calix cum staminibus. *d* Stamen auctum. *e* Germen. *f* Styli pars et stigma auctum. *g* Fructus. *h* Huius sectio. F Folii lacinia aucta ut pori appareant.

GYNOPLEURA. <sup>(a)</sup>

## CHARACTER GENERICUS.

- Calix inferus , persistens , oblongus , striatus , superne quinquepartitus. Corollæ petala quinque , laciniis calicis breviora cum quibus alternant , illarumque divisuris interne affixa : ad quorum basim corona decem squamularum , alternis angustioribus bidentatis , reliquis latioribus tridentatis. Genitalia pedicellata. Staminum filamenta quinque , filiformia , calice longiora , pedicello inserta paulo infra germen : antheræ ovato-oblongæ sagittatæ , incumbentes. Germen ovatum , obscure trigonum : styli tres paulo infra germinis apicem adfixi , staminibus subæquales : stigmata capitato-peltata. Capsula figura germinis , apice dehiscens , unilocularis , polysperma , trivalvis. Semina ovata , sulcata , altera extremitate adherentia receptaculis tribus linearibus , valvularum parietibus adnatis : funiculi umbillicares brevissimi.

*Obs. 1.* Calix petala et capsula variat in duabus hucusque notis speciebus : in prima calix est tubuloso-ventricosus , petala lanceolata , et capsula calice longior ; in secunda calix est infundibuliformis , petala ovata , et capsula calice brevior. Quare character genericus differentialis est : genitalia pedicellata : styli insertio paulo infra germinis apicem : capsula unilocularis trivalvis : receptacula tria linearia valvularum parietibus adnata : squamularum corona ad petalorum basim.

*Obs. 2* Huic generi videtur simillimum quod in Prodromo Fl. Peruv. et Chilensis describitur nomine *Malesherbiæ* , quin et ipsissimam cum mea prima specie plantam esse dixerim , nisi Prodromi auctores , qui vivam in natali solo explorarunt , habere dixerint stylos tres basi germinis affixos , et squamulas (quod illis nectarium audit) sex tridentatas ; nec de figura seminum , ipsorumque receptaculis quidquam adiunxerint. Interea dum memorati auctores secundis curis eam plantam dilucidant , prodeant nostræ quasi diversum genus.

(a) Nomen sumptum a vocibus *γυνος* et *πλευρα* ; sed paulo infra ex costis ipsius longitudinalibus quia styli in hoc genere non ex germinis apice , prodeunt.



GYNOPLEURA TUBULOSA. *Tab.* 375.

413. GYNOPLEURA caule tereti : foliis sparsis, sessilibus, lanceolatis, oblongis, tomentosis, inaequaliter dentatis.

Genus novum pentandriæ trigyniæ. *Née herb.*

Caulis erectus, teres, tomentosus, bipedalis et ultra, annuus, radice perenni.

Folia numerosa, sparsa, duos pollices et amplius longa, vix duas lineas lata, utrimque acuta, limbo serrulato dentibus intermixtis maioribus, sessilia, tomentosa et glutinosa, uninervia, nervo ramoso, basi aucta foliolis duobus brevibus.

Flores axillares, adproximati in spicam densam versus summitates ramulorum et caulis, sustentati pedunculis brevibus, prope calicem bifoliatis, foliolis oppositis.

Calix tubuloso-ventricosus, luteo-aurantius, sesquipollicem longus, decemstriatus, versus apicem quinquepartitus, laciniis lanceolatis ciliatis.

Corollæ petala lanceolata ciliata, laciniis calicis alterna, ipsisque breviora, ad quorum basim corona decem squamularum, alternis angustioribus bidentatis, reliquis latioribus tridentatis.

Staminum filamenta quinque filiformia calice longiora, inserta totidem corpusculis hirsutis basim germinis cingentibus.

Germen pedicellatum, ovato-oblongum, hirsutum, obscure trigonum: styli staminibus subæquales.

Capsula calice longior, valvularum apicibus exertis. Valvulæ separantur ab invicem ab apice ad tertiam usque longitudinis partem, ubi adfixi persistunt styli.

Semina minuta, ovata, sex sulcis notata, quorum funiculi umbillicares brevissimi.

Habitat in siccis oppidi Purruchuco 18 leucis a Lima, præsertim in colle ubi magna argillæ copia ad ollas conficiendas; frequens etiam iuxta Obraigillo et San Buenaventura oppida peruviana. Floret Julio. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Floris capitulum foliolis duobus stipitatum. *b* Calix et corolla longitudinaliter sectus et expansus ut appareant squamulæ. *c* Calicis laciniæ et petala aucta extus spectata. *d* Eadem revoluta ut conspiciantur squamulæ. *e* Genitalia. *f* Staminum insertio. *g* Stylorum insertio, quorum figura aucta. *h* Anthera aucta. *i* Capsula intra calicem dehiscens. *k* Eadem a calice seiuncta. *l* Eadem usque ad basim fisa ut conspiciatur receptaculorum situs, longitudo et forma, quorum aliud seminibus expoliatum conservat funiculos. *m* Semina. *n* Semen auctum.

GYNOPLEURA LINEARIFOLIA. *Tab.* 376.

414. GYNOPLEURA foliis sublinearibus, sessilibus, ciliatis, villosis: floribus axillaribus, solitariis.

Caulis tripedalis, teres, ramosus, ramis alternis villosis, præsertim teneris.

Folia alterna, sessilia, sublinearia, ciliata, ramea semipollicem longa, tomentosa, basi aucta foliolis duobus brevibus quasi stipulis: inferiora longiora, serrulata.

Flores solitarii axillares, folio longiores.

Calix infundibuliformis, decemstriatus, tomentosus, semiquinquepartitus, laciniis obtusis, sublinearibus.

Corollæ petala quinque, ovata, translucida, venosa, luteo alba, calicis laciniis paulo breviora: squamulæ decem, crenulatæ.

Staminum filamenta quinque, paulo infra germinis basim pediculo inserta, ubi latiora sunt, postea filiformia, corolla longiora: antheræ luteæ, ovato oblongæ, sagittatæ, incumbentes.

Germen pedicellatum, ovatum, tomentosum, paulo infra apicem tribus tuberculis nota-



tum e quibus prodeunt styli totidem , staminibus subæquales ; terminati stigmatibus capitato-peltatis.

Capsula calice brevior , ovata , unilocularis trivalvis polysperma. Reliqua ut in præcedenti.

Habitat in montibus chilensibus , præsertim in tractu *Portillo* vulgo usque ad Mendoza urbem. Floret et fructificat Martio et Aprili. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Flos apertus. *c* Idem expansus ut interiora appareant. *d* Idem auctus exteriore superficie visus , revolutis petalis atque calicis laciniis ut squamulæ conspiciantur. *e* Genitalia aucta. *f* Capsula magnitudine naturali. *g* Eadem ad basim usque secta et expansa ut receptacula , semina et funiculi umbillicares videantur. *h* Semen. *i* Idem auctum. F Folium auctum.

## CORTESIA. <sup>(a)</sup>

### CHARACTER GENERICUS.

Calix persistens , inferus , monophyllus , truncatus , decemdentatus.

Corolla monopetala , cuius tubus longitudine calicis , et limbus patens , quinquepartitus , laciniis rotundatis.

Staminum filamenta quinque , corollæ tubo inserta , ibique ampliata : antheræ ovatæ.

Germen superum ovatum : stylus filiformis superne bipartitus : stigmata globoso-peltata.

Fructus bacca ovata , disperma , seminibus hinc planis inde convexis.

*Obs.* Fructus huius plantæ est ut in plerisque rubiaceis de Iussieu numero VII; verumtamen situ supero ab ipsis recedit.

## CORTESIA CUNEIFOLIA. *Tab.* 377.

415. *CORTESIA* caule fruticoso valde ramoso : foliis alternis cuneiformibus , apice trifidis : floribus solitariis.

Caulis erectus , 4-5 pedes altus , valde ramosus , ramis alternis , quorum cortex griseus.

Folia alterna , sessilia , cuneiformia , apice trifida , glabra , utraque pagina tuberculata , tuberculis albis e quorum centris pilus exurgit candidissimus deciduus.

Flores solitarii , sessiles , ut plurimum terminales.

Calix monophyllus utraque superficie villosus , floriferus turbinatus , fructifer hemisphæricus.

Corolla luteo-alba.

Bacca pulpa tenui , exsiccatione sulcata : semina adpressa , interne plana , externe convexa.

Habitat in Buenos Ayres planitie vulgo *Pampas* ; floretque Mayo *h.* Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla expansa et infra ipsam calix. *c* Germen , stylus , stigmata. *d* Corolla aucta et expansa , ubi staminum situs et figura. *e* Fructus. *f* Bacca sectio. *g* Semina. *h* Folium auctum , cuius lacinia terminantur pilis diutius persistentibus.

(a) In honorem incomparabilis Ferdinandi Cortesii , Novæ Hispaniæ repertoris ac debellatoris , de quo tacere præstat , quam pauca dicere.



ARGYROCHÆTA. <sup>(a)</sup>

## CHARACTER GENERICUS.

- Calix communis pentaphyllus, foliolis ovatis acutis.  
 Corolla composita radiata. Corollulæ hermaphroditæ plurimæ in disco: femineæ quinque in radio. Propria hermaphroditis infundibuliformis, quadridentata: femineis orbiculata, emarginata, bidentata, marcescens.  
 Stamina hermaphroditis: filamenta quattuor minima: anthera tubulosa.  
 Pistilum hermaphroditis: germen minimum sterile; stylus capillaris, corolla longior; stigma globosum: femineis germen ovatum, compressum, perianthio proprio obvolutum; stylus brevissimus; stigmata duo erecta. Perianthium istud est diphyllum, foliolis carinatis, carinis oppositis in quibus postea semen includitur a quo foliola pendent filo hinc inde a summitate seminis descendente ad basim carinæ.  
 Receptaculum minimum paleaceum; paleis *disci* cuneiformibus; *radiorum* orbiculatis, dorso seminis inter ipsum et calicis foliolum positus.  
 Semina hermaphroditis nulla; femineis solitaria, obovata, extus convexa, intus nonnihil concava; aucta apice alis duabus ovatis brevissimis.

*Obs.* Genus Chrysogono affine a quo differt 1<sup>o</sup> Disci flosculis quadrifidis, tetrandris. 2<sup>o</sup> Radiis orbiculatis bidentatis. 3<sup>o</sup> Semen pappo bialato. 4<sup>o</sup> Funiculis aut filis, quibus perianthium partiale adnectitur semini. Linnæi chrysogonum numquam vidi vivum, cuius fructificationem explicavit novissime Schreberius, et luculentius Gærtner; vol. 2, pag. 437, tab. 174, quam a nostræ plantæ fructificatione diversam esse compertum est.

ARGYROCHÆTA BIPINNATIFIDA. *Tab. 378.*

416. ARGYROCHÆTA caule herbaceo ramoso: foliis bipinnatifidis, pinnulis decurrentibus. Caules pedales et amplius, ramosi, sulcati, villosi.  
 Folia alterna, bipinnatifida, pinnulis obtusis, denticulatis, decurrentibus, subalternis et aliquando oppositis.  
 Flores corymbosi terminales.  
 Calicis communis foliola extus villosa, intus glabra, trinervia.  
 Corollulæ omnes argentei coloris, minimæ. *Disci* paleæ candidæ, flosculis longiores, apice truncatæ, breviterque tomentosæ: *radiorum* non ita albæ, basi cordatæ ubi nervuli incipiunt tres aut quattuor divergentes.  
 Semina nigricantia: funiculi fuscii.  
 Reliqua ut supra in caractere generico.  
 Habitat prope Ixmiquilpan oppidum mexicanum, ubi eam reperit D. Ludovicus Née. ☉  
 Vidi vidam in Regio horto Matritense florentem mense Julio anni 1797.  
*Explic.* tab. in qua omnes fructificationis partes auctæ sunt. *a* Flos integer. *b* Calix communis. *c* Palea flosculi hermaphroditii. *d* Flosculus hermaphroditus. *e* Idem expansus. *f* Radius. *g* Huius corolla multoties aucta. *h* Palea. *i* Radius interne spectatus. *k* Idem absque palea. *l* Idem ubi perianthii proprii foliola discedunt, retenta adhuc funiculis. *m* Semen cum pappo bialato. *n* Idem multoties auctum.  
*Obs.* Descriptiones huius plantæ et sequentium numeris 417, 418, 432, 435, 437 legi in Regia Medicinæ Academia die 12 Octobris. Eas postea die scilicet 16 No-

(a) Argyrocomam dixi in dissertatione lecta in Regia Medicinæ Academia: verumtamen quia clarissimus Gærtner Argyrocome nominavit plantarum genus ad quod reduxit Linnæi Xeranthema-  
 ta quibus pappus plumosus; claritatis gratia Argyrochætam nunc nomino meam plantam, quasi argenteo capillitio ornatam, qualiter apparent eius flores,



vembris publici iuris fecit Matrili D. Casimirus Ortega in opusculo cui titulus *Novarum aut rariorum plantarum horti Regii botanici Matritensis descriptionum decades*. Valde probo Regii horti plantas elucidari a Professoribus, quos, omnesque vere Botanicae amatores vehementer hortor, ut non modo illas describant, verum etiam patrias, atque rarissimas exoticas quæ in herbariis conservantur, ut exteris innotescant nostræ in re herbaria divitiæ, et Hispanorum studium in Botanica promovenda. Interea vero dum memorati professoris connatus laudo meo utens iure illarum stirpium descriptiones quas primus ego cum collegis in Academia communicavi publici iuris facio simul cum earundem iconibus.

### MIRABILIS CORYMBOSA. *Tab.* 379.

417. MIRABILIS caule tetragono dichotomo: foliis cordatis: floribus corymbosis. Caulis tripedalis et ultra, tetragonus, dichotomus, villosus præsertim tener. Folia opposita, petiolis multoties longiora, cordata, ovato-lanceolata, limbo sæpius crispo, duriuscula, et pagina inferiore glauca. Flores corymbosi terminales, corolla expansa subsessiles, quorum pedunculi sensim elongantur.

Calix campanulatus, inferus, semiquinquepartitus, laciniis adpressis, corolla existente parvus; qui post huius casum crescit apparetque initio luteus; expanditur deinde in peltam membranaceam castanei coloris, quinqueangulatam, quinqueradiatam, radiis venosis.

Corolla supera, monopetala tubo brevi, limbo violaceo-rubente, patente, quinquepartito, laciniis emarginatis.

Staminum filamenta tria et aliquando quattuor rubentia, corolla paulo breviora, inserta germinis apici nonnihil cavo sub squamulis minimis: antheræ lutescentes, ovata, didymæ.

Germen in fundo calicis et infra corollam, ovatum, quinquestriatum; stylus staminibus longior: stigma dilute coeruleum, capitatum, mamillare.

Fructus est nux monosperma in centro calicis expansi, ovata, pentagona, sulcis longitudinalibus verrucosis.

Habitat in Nova-Hispania  $\mathcal{A}$ . Vidi floridam in R. h. Matrit. mense Iulio anni 1797.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *c*. Idem expansus in cuius centro germen et corolla. *d* Genitalia. *e* Calix fructifer. *f* Nux aucta. *g* Huius sectio.

*Obs.* Ex hac specie et alia congenerem quam descripsi pagina 113 primi voluminis novum genus condere voluit D. Casimirus Ortega, vestigia proculdubio premens D. Antonii Turræ, qui ex mea planta VITMANIAM fecit. Perperam id factum fuisse demonstravit Mantuæ P. Dominicus Nocca, cuius sententiam firmatam postea vidimus in Illustratione generum a D. de Lamarck Parisiis edita, qui Turræ opinione contemta meam plantam inter MIRABILES colocavit: nauci ducens concivis sui D. L'heritierii sententiam, qui ex eadem planta Oxybaphum tamquam novum verum genus evulgavit, a mirabili diversum numero ternario staminum, et calice in fructu peltato. <sup>(a)</sup> Numerum et figuram quarundam partium in plantis variare norunt omnes, quin ex illis naturæ dissidentibus factis genera continuo mutant aut nova condant.

### CUPHEA PROCUMBENS. *Tab.* 380.

418. CUPHEA caule herbaceo, ramis procumbentibus; foliis ovato-lanceolatis subhispidis, breviter petiolatis.

(a) Willdenow sp. pl., vol. 1, pag. 185 Berolini 1797.



Caulis herbacei, obscure tetragoni, ramosi, ramis procumbentibus, villosis, viscosis, pedem et ultra longis.

Folia opposita, breviter petiolata, ovato-lanceolata, hispidula, viscosa.

Flores interfoliacei, solitarii, declinati; pedunculo florifero erecto, fructifero dependente.

Calix semipollicaris, tubulosus, striatus, striis duodecim violaceis, pilosis, pilis glanduliferis viscosis; basi ventricosus, ibique superne ultra pedunculum gibbus: eius faux apparet fere clausa filamentorum lana; limbusque sexdentatus, dentibus quinque brevibus æqualibus, sexto, superiore scilicet, ovato-acuto et latiore.

Corollæ petala sex, dilute purpurea, calicis dentibus alterna, unguibus angustissimis inferne terminata, patentissima, obovata, quorum duo superiora latiora et obscure-crenata.

Staminum filamenta undecim, brevia, purpurascens, villosa, tubo calicino supra medium inserta et incurva: horum novem serie duplici, in quarum interiore quattuor numerantur breviora, quæ alternant cum quinque in exteriori serie positæ: horum primum et ultimum altiora sunt ceteris et valde lanata: paulo infra series duo reliqua existunt filamenta ad dexteram unum et aliud ad sinistram. Antheræ ovatæ sulcatæ luteæ.

Germen superum, oblongo-ovatum: stylus subulatus, calice brevior, basi latior, apice curvus: stigma nonnihil incrassatum.

Capsula oblonga, unilocularis, tecta calice, cum ipso simul superne longitudinaliter dehiscens, et tunc cymbæformis: receptaculum centrale per rimam erumpens, flexum, in quo semina sedent quasi spicato-secunda, lentiformia.

Habitat in Regno mexicano. ☉ Vivam vidi in Regio h. Matrit. mense Julio 1797.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Idem longitudinaliter sectus et expansus ut genitalia appareant. *c* Germen. *d* Filamenta aucta interne visa. *e* Eadem calicis limbo revoluto usque ad insertionem. *f* Capsula dehiscens. *g* Semen.

### CUPHEA SPICATA. Tab. 381.

419. CUPHEA caule herbaceo erecto: foliis ovatis: floribus spicatis.

Caulis herbaceus, erectus, villosus, pedalis et ultra, superne ramis aliquot.

Folia opposita, ovata, integerrima, pagina inferiore glauca, petiolis multoties longiora.

Flores racemosi, racemis terminalibus, in quibus alternatim bini oppositi, pedunculis erectis.

Calix ut in præcedente, attamen duas dumtaxat lineas longus, gracilis et vix villosus.

Corollæ petala sex dilute rosea, parva, duobus superioribus maioribus.

Reliqua ut in præcedente specie, omnia tamen valde minuta.

Habitat in provincia Canta Regni peruviani præsertim in monte vulgo *de la Viuda* iuxta aquas. ☉ Floret Julio. Vidi siccam in herbario D. Ludovici Née.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Calicis sectio cuius limbus superior revolutus ut appareant stamina. *d* Capsula intra calicem. *e* Eadem aucta dehiscens. *f* Semina. *g* Eadem aucta.

### CUPHEA VIRGATA. Tab. 382, fig. 1.

420. CUPHEA caule virgato: foliis ovato-lanceolatis sessilibus: floribus solitariis.

Caulis herbaceus, hispidus, erectus, sesquipedalis, vix ramosus.

Folia opposita, sessilia, internodis triplo breviora, ovato-lanceolata, pagina superiore scabra; inferiore pilosa.

Flores interfoliacei, subsessiles, solitarii.

Calix semipollicaris, tubulosus, duodecimstriatus, rubescens, pilosus, basi ventricosus, ore ampliato, sexdentato, dentibus obtusis, superiore latiore.



Corollæ petala sex dilute rubentia , superioribus duobus saturatoribus maioribus.  
Staminum filamenta undecim , villosa , nonnihil exerta : antheræ ovatæ.  
Reliqua ut in prima specie.

Habitat prope urbem Salvatierra Regni mexicani ad rivulorum margines et in locis humidis. ☉ Floret Augusto et Septembri. Vidi siccam in laudato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flores. *b* Calix expansus limbo revolutus ut appareant filamenta. *c* Capsula dehiscens. *d* Semina.

### CUPHEA ÆQUIPETALA. Tab. 382 , fig. 2.

421. CUPHEA foliis ovato-acutis ciliatis : petalis æqualibus.

Radix fustiformis fibrosa , ex qua caules adsurgunt pedales , hispidi , herbacei.

Folia opposita , breviter petiolata , internodis longiora , ovato-acuta , pilosa , ciliata.

Flores interfoliacei , solitarii , subsessiles.

Calix ut in præcedente cuius color est virido-violaceus.

Corollæ petala sex saturate violacea , æqualia , integerrima.

Staminum filamenta 11-12 , quorum duo lateralia lanata : antheræ ovatæ.

Reliqua omnino ut in præcedente.

Habitat inter Acapulco et Mexico , præsertim ad margines fluminis vulgo Peregrino , ubi eam reperit D. Ludovicus Née mense Aprili , atque delineari curavit. ☉ Vidi siccam , eiusque iconem.

*Explic.* tab. *e* Flos integer. *f* Calix sectus et expansus ut genitalia appareant. *g* Capsula dehiscens. *h* Semina.

### ARJONA. <sup>(a)</sup>

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix diphyllus , foliolis concavis , persistentibus.

Corolla infundibuliformis : tubus elongatus : limbus patens , quinquepartitus.

Staminum filamenta quinque minima inserta prope faucem corollæ : antheræ oblongæ non exertæ.

Germen superum ovatum , coronatum squamulis quinque brevissimis , quæ styli basim cingunt : stylus filiformis tubi longitudine : stigmata duo lamellata , adproximata.

Fructus est bacca globosa , bilocularis , apice notata squamularum vestigiis.

*Obs.* 1. Semina haud vidi ; nihilominus ex ceteris notis characterem constituentibus genus novum sistit hæc plantula , in qua stigmata nunc duo nunc tria vidi , cui numero fortasse respondebunt baccae loculamenta.

*Obs.* 2. Calix inferus diphyllus prohibet hanc plantam ad *Mussandæ* genus revocari.

### ARJONA TUBEROSA. Tab. 383.

422. ARJONA foliis sparsis , vaginantibus , apice subulatis patulis : florum corymbo terminali.

Radix fustiformis descendens , fibrosa , fibris divergentibus , tuberculiferis , ut in *Cypero esculento*.

Caules numerosi , filiformes , duriusculi , erecti vix semipedem alti.

Folia numerosa , se se invicem et caulem basi vaginantia , sensim versus apicem angustiora , et a caule recedentia , terminata cuspide acuta , suntque tomentosa , tres quatuorve lineas longa.

(a) In honorem Domini Francisci Arjona , qui Gadibus Botanicem summa cum laude publice docet.



Flores terminales subcorymbosi conferti, subsessiles, bracteis distincti quæ calices et tubi partem tegunt.

Calix parvus, diphyllus, foliolis ovatis, concavis, apice tricuspidatis, cuspidate medio longiore.

Corolla extus tomentosa et lutescens; intus luteo-albicans; semipollicem longa: limbi laciniæ ovatae, apice brevissima setula terminatae.

Staminum filamenta vix ulla (adeo sunt brevissima) antheræ luteæ oblongæ, stantes prope faucem tubi ibique reconditæ.

Germen viride coronatum squamulis lutescentibus: stylus rubescens: stigmata lamellata duo aut tria.

Bacca parva glabra coronata vestigiis squamularum, bilocularis.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado* in siccis et aridis prope fontem *de los Guanacos*; floretque Decembri. Vidi siccam in laudato herbario, eiusque iconem vivis coloribus expressam.

*Explic.* tab. *a* Flos integer cui subiecta squamula. *b* Squamula. *c* Eadem expansa. *d* Calix. *e* Calicis folium auctum. *f* Corolla expansa limbo revoluto ut appareat staminum situs. *g* Germen. *h* Idem auctum et stigmata tria. *i* Corolla expansa aucta, extus visa. *k* Germen fecundatum valde auctum. *l* Bacca. *m* Eadem aucta. *n* Huius sectio. *o* Folium auctum.

### EMBOTHRIMUM HERBACEUM. Tab. 384.

423. *EMBOTHRIMUM* foliis bipinnatis, pinnulis trifidis: floribus racemosis terminalibus. Caulis teres bipedalis et amplius.

Folia glabra alterna, bipinnata, pinnulis oppositis sublinearibus, versus apicem latioribus trifidis acutissimis: pinnulæ quædam sunt pinnatifidæ præsertim in foliis inferioribus: observatur etiam folium sæpius unicum integrum lanceolatum sessile ad ortum racemorum florum.

Flores in racemis fere pedalibus sæpius ramosis, alternatim bini, pedunculis propriis sustentati.

Calix: margo infera minima persistens semicircularis.

Corollæ petala quattuor, croceo-rubencia, ovato-oblonga, prope apicem angustata, tandemque ampliata et concava; fecundationis tempore apicibus in globulum adproximata ubi incarceratur stigma; post fecundationem revoluta, decidua.

Staminum filamenta nulla: antheræ quattuor ovatae, sulcatae, cavitatibus petalorum adfixæ.

Germen pedicellatum oblongum: stylus cylindricus incurvus: stigma hemisphæricum, antice planum apiculo prominente: ad pedicelli basim glandulæ tres persistentes.

Fructus est folliculus pedicellatus, oblongus, stylo terminatus, unilocularis, latere altero curvo scilicet, dehiscens longitudinaliter. Semina fere decem imbricata, compressa, basi acuta, superne terminata ala ipsis triplo longiore, dilutissime ferruginea obtusa, margine crassiore.

Habitat passim ad vias quæ ducunt ab oppido Jackson Novæ-Hollandiæ ad tegularia; floretque mense Aprili. Vidi siccum in laudato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer expansus. *b* Germen cum glandulis et stigmate, omnia aucta. *c* Petalum auctum. *d* Folliculus. *e* Idem expansus cum seminibus. *f* Semen.

*Obs.* 1. Hoc Forsterii genus illustrarunt Floræ Peruvianæ et Chilensis auctores sex novis speciebus propediem evulgandis, quibus hanc atque sequentes adiungo. Marginem calicinam et glandulas basi pedicelli germinis subiectas observavi in meis, quemadmodum memorati auctores in suis speciebus.

*Obs.* 2. In omnibus speciebus eandem vidi fructificationem situ seminum excepto at-



que figura. In *Embothr.* herbaceo, ferrugineo, et spathulato semina sunt imbricata, alis breviora, eorumque situs in folliculo planus (quod etiam observatur in *Embothrio* ovato, incola Sancti Caroli de Chiloe, et urbis Concepcion de Chile, cuius ramulos fructiferos possideo): in *Embothrio* vero linearefolio, cytisoide et geniantho semina sunt parallela, alis longiora, et involuta.

*Obs.* 3. Miranda equidem petalorum forma et situs fecundationis tempore ut intentum a natura opus perficiatur. Si *Embothrii* petala tunc fuerint expansa fecundatio frustraretur: quia antheræ in petalorum foveis reconditæ pollen retinerent quod nullatenus ad stigma perveniret. Hac ergo de causa petalorum apices in globum adhærent concavum, in quo incarceratur stigma antheris tunc temporis contiguum; quo fit ut cinctum masculis, horumque aura seminali circumfussum, germen abunde fecundetur.

### EMBOTHRIUM FERRUGINEUM. *Tab.* 385.

424. *EMBOTHRIUM* caule fruticoso foliis bipinnatis, pinnulis dentatis tomentosis. *Embothrium.* *Née herbarium cum icone vivis coloribus expressa.*

Caulis fruticosus, rarissime rectus, 10-12 pedes altus, ramosus, ramis tomentosis. Folia alterna, bipinnata, pinnulis ovatis in foliis minoribus; lanceolatis dentatis, aut incisis in longioribus, quæ sesquipedem sæpius longa sunt: in his tomentum est cinereum, in reliquis ferrugineum.

Flores racemosi, racemis brevibus terminalibus, alternatim bini, pedunculis propriis.

Calix: margo minima, sæpius tridentata.

Corollæ petala quattuor, intus punicea, extus luteo-viridia.

Reliqua omnino ut in præcedente specie.

Habitat in San Carlos de Chiloe in solo quandoque inundato aqua marina; floretque mense Februario. *h* Vidi siccum in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Floris figura fecundationis tempore. *b* Eadem post fecundationem. *c* Petalum auctum. *d* Germen cum glandulis et stigmatibus, omnia aucta. *e* Folliculus. *f* Idem expansus. *F* Pinnula principalis folii inferioris.

### EMBOTHRIUM LINEAREFOLIUM. *Tab.* 386, *fig.* 1.

425. *EMBOTHRIUM* caule fruticoso foliis linearibus cuspidatis ternatis: racemis florum terminalibus.

Caulis fruticosus, 6-8 pedes altus, valde ramosus, ramis sulcatis.

Folia sessilia, duos pollices longa, vix lineam lata, terminata cuspidata acutissima, ternata, si terminalia prope flores excipias quæ fere semper sunt solitaria, uninervia subtus albicantia, et limbo nonnihil revoluta.

Flores racemosi, racemis solitariis, terminalibus, brevibus; in quibus flores alternatim bini, pedunculati.

Calix est margo brevissima persistens.

Corollæ minutæ, petalis linearibus prope apicem angustioribus, postea ampliatis concavis; extus tomento candidis, intus dilute rubentibus et prope basim villosis.

Staminum filamenta nulla: antheræ ovatæ, sulcatæ, sessiles in petalorum cavitatibus.

Germen pedicellatum ovatum: stylus filiformis incurvus: stigma hemisphæricum antice planum: ad pedicelli basim unica glandula globosa, superne iuxta pedicellum excavata, persistens.

Fructus est folliculus ovato-oblongus, stylo terminatus, unilocularis, latere curvo dehiscens longitudinaliter. Semina duo ovato-oblonga, compressa, terminata ala brevi.

Habitat in incultis prope oppidum Jackson Novæ-Hollandiæ, floretque mense Aprili *h*. Vidi siccum in eodem herbario.



*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali expansus. *b* Idem auctus. *c* Petalum postice visum ubi tomento vestitur. *d* Folliculus. *e* Idem expansus. *f* Semen.

EMBOTHRIUM CYTISOIDES. *Tab.* 386, *fig.* 2.

426. EMBOTHRIUM caule fruticoso: foliis ternatis sessilibus, ovato-oblongis, apice cuspidato, limbo revolutis.

Caulis fruticosus, orgyalis, ramis alternis.

Folia sessilia, ternata, medio longiore, ovata, acumine brevi tereti terminata, pagina superiore venosa, cinereo-albicantia; inferiore sericea villis adpressis vix conspicuis, numerosis, limbo revolutis: versus ramulorum summitates solitaria.

Flores racemosi, racemis solitariis, brevibus, terminalibus.

Reliqua ut in præcedente specie, a qua dumtaxat differt foliorum forma.

Habitat floretque cum præcedente. Ex laudato herbario.

EMBOTHRIUM GENIANTHUM. *Tab.* 387.

427. EMBOTHRIUM foliis ovatis, sessilibus, solitariis, sub-imbricatis: floribus umbellatis: corollis tomentosis.

Caulis fruticosus orgyalis et amplius, ramis numerosis teretibus villosis.

Folia numerosa, sessilia, solitaria, ovata, cuspidate breviter terminata, fere imbricata, pagina superiore scabra et venosa; inferiore tomentosa, limboque revolutis.

Flores umbellati numerosi, umbellis solitariis terminalibus.

Calix: margo brevis, villosus, persistens.

Corollæ petala quattuor linearia rubicunda, tomento denso utrimque cooperta, quorum duo paulo breviora, ea scilicet quæ glandulæ subiacent; omniaque apicibus ita conniventia ut foveam efforment fecundatione peracta persistentem.

Staminum filamenta nulla: antheræ ovatæ sulcatæ in petalorum foveis reconditæ.

Germen ovatum, hirsutum, breviter pedicellatum: stylus filiformis tomentosus elongatus apice recurvus: stigma ovatum, antice planum, galea tomentosa auctum. Ad pedicelli basim glandula unica globosa, persistens, superne excavata.

Folliculus ovatus utrimque attenuatus, terminatus stylo, villosus, unilocularis, latere interno curvo scilicet, dehiscens, dispermus. Semina ovata compressa, involuta, ala brevi translucida terminata.

Habitat cum præcedentibus floretque Aprili.  $\bar{h}$  Vidi siccum in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer petalis apice coadunatis. *b* Idem petalis liberis. *c* Germen cui subiecta glandula et infra ipsam margo calicina. *d* Flos valde auctus. *e* Folliculus. *f* Idem apertus. *g* Semen expansum.

*Obs.* Hanc speciem accepi a D. Smith fructibus orbatam hac inscriptione: *Embothrii species nova e Nova-Hollandia, cuius flores semel vidi.*

EMBOTHRIUM SPATHULATUM. *Tab.* 388.

428. EMBOTHRIUM foliis spathulatis dentatis alternis; floribus racemosis terminalibus.

Caulis fruticosus, decem pedes et amplius altus, ramosus, glaber.

Folia alterna, spathulata, a basi usque ad mediam longitudinem integerrima postea dentata, dentibus inæqualibus, uninervia, nervo ramoso.

Flores racemosi terminales.

Folliculi tres pollices longi, semipollicem lati, stylo incurvo terminati, stigmate persistente. Semina 16-18.



Habitat cum præcedentibus Novæ-Hollandiæ *h.* Ramos vidi siccos fructiferos in laudato herbario ; nullum florem.

LINKIA. <sup>(a)</sup>

## CHARACTER GENERICUS.

Calix : margo persistens , ore quadrifido.

Corollæ petala quattuor linearia inferne in tubum conniventia , superne patentia.

Staminum filamenta nulla : antheræ quattuor lineares , acutæ , didymæ , erectæ , petalis adfixæ , ubi tubus terminatur.

Germen superum , pedicellatum , ovatum : stylus filiformis : stigma hemisphæricum antice planum : glandulæ quattuor , persistentes erectæ , circum germinis pedicellum.

Fructus : folliculus ? polyspermus.

Genus Embothrio affine , a quo differt situ et figura antherarum.

*Obs.* Fructus vidi fecundatos , non dum maturos , folliculiformes , atque tetraspermos , quorum semina videbantur compressa , quod ulterius in vivis plantis examinandum est.

LINKIA LEVIS. *Tab.* 389.

429. LINKIA caule fruticoso : foliis sparsis integerrimis : floribus axillaribus , solitariis.

Caulis fruticosus , 6-8 pedes altus , ramosus , ramis striatis , quorum cortex glaber.

Folia numerosa , sparsa , integerrima , lanceolato-ovata cum acumine , inferiore parte in petiolum attenuata , quadruplo longiora quam lata , uninervia , nervo ramoso , levia.

Flores solitarii , axillares , pedunculis brevibus.

Calix minimus , margo scilicet circularis crassiuscula , ore quatrifida.

Corollæ petala rubentia (ita apparent in sicco) limbo inflexo ubi in tubum connivent , postea patentia et revoluta.

Antheræ lineares , erectæ , acutæ , didymæ.

Glandulæ circum pedicellum germinis positæ , incrassatæ , erectæ , ita receptaculo implantatæ , ut clavos quattuor refferant.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in incultis prope oppidum Jackson Novæ-Hollandiæ , ibi inventa a D. Ludovico Née mense Aprili *h.*

*Explic.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Flos situ naturali. *c* Germen. *d* Idem auctum stipatum glandulis. *e* Petala diverso situ picta ut appareat antherarum insertio. *f* Anthera aucta. *g* Fructus inchoatus auctus. *h* Idem expansus ut conspiciantur semina.

KRAMERIA CYTISOIDES. *Tab.* 390.

430. KRAMERIA foliis alternis ternatis tomentosis : corollis pentapetalis.

Krameria nova species. *Née herb. cum icone.*

Caulis fruticosus , tripedalis , cuius cortex cinereus ; rami numerosi alterni , teneri tomentosi.

Foliorum petioli alterni , compressi , tomentosi ut et tota planta , apice trifoliati , foliolis ovatis sessilibus.

Flores racemosi terminales , in racemo alterni , pedunculis ad folium solitarium axillaribus , prope florem auctis foliolis duobus oppositis.

(a) In honorem D. Henrici Federici Link , Chemiæ atque Botanices professoris in Academia Rostockiana Meklemburgensi.



Calix nullus : corollæ petala quinque lanceolata , acuta , extus tomentosa , intus violaceo-rubra.

Staminum filamenta quattuor rubra filiformia , æqualia , receptaculo inserta supra germen : antheræ ovato-acutæ , apice biforamulata.

Germen ovatum , tomentosum , superum : stylus subulatus longitudine staminum : stigma simplex. Ad latus germinis et filamentorum foliola duo minima ovata opposita obscure violacea ; et ex filamentorum basi corpuscula tria exsurgunt arcuata filiformia , quorum medium longius æqualis undique crassitie , duo reliqua apice latiora. (Hæc omnia vulgo nectaria nominantur.)

Fructus globosus pisiformis , villosus , pilis rigidis apice uncinatis undique echinatus , unilocularis , non dehiscens , monospermus. Semen ovatum durum.

Habitat prope oppidum Cimapan in Nova-Hispania , præsertim in colle vulgo *del Carpintero* , ubi floridam et fructiferam invenit D. Ludovicus Née mense Septembri 24. Vidi siccam.

*Explic.* tab. *a* Floris capitulum , cuius pedunculus bifoliatus. *b* Flos integer. *c* Genitalia aucta. *d* Filamentum auctum. *e* Fructus. *f* Huius sectio. *g* Semen. *h* Pilus auctus.

*Obs.* An rectius quod in *Krameria* corolla nominatur pro calice sumendum est ; quod vulgo *nectarium inferius* pro corolla , dipetala scilicet et minima ; et quod *nectarium superius* pro filamentis castratis ?

### COLUMNEA OVATA. *Tab.* 391.

431. COLUMNEA caule repente et scandente : foliis ovatis crenatis.

Caulis fruticosus , quindecim et amplius pedes longus ; per arborum eradicatorem truncos repens et aliquando scandens , radiculis passim ex articulis ortis trunco adfixus : rami oppositi.

Folia opposita , breviter petiolata , ovata , crenata , pagina superiore viridia , hispidula ; inferiore brevi tomento ferruginea.

Flores ut plurimum terminales , et aliquando axillares , solitarii , pedunculis brevibus.

Calix profunde quinquepartitus laciniis lanceolatis prope apicem utrimque unidentatis.

Corolla calice multoties longior , coccinea , extus pilis candidis vestita : tubus basi ampliatus , plusquam pollicaris , versus faucem latior : limbus quadripartitus laciniis partibus ovatis reticulatis , superiore latiore bifida.

Staminum filamenta quattuor didynama tubi parieti longitudinaliter adnata , ultra tubum libera , subulata , rubra : antheræ ovato-acutæ , connexæ in crucis formam , lutescentes.

Germen superum ovatum : stylus subulatus longitudine staminum : stigma incrassatum , non bifidum.

Capsula bilocularis , polysperma.

Habitat in San Carlos de Chiloe , floretque Februario 24. Vidi siccam , eiusque iconem vivis coloribus a D. Guio depictam , dirigente D. Ludovico Née : observavit hic indefessus plantarum scrutator , stirpem hanc semper reptantem et radicantem supra arborum truncos humi fusos emortuos , muscisque obductos.

*Explic.* tab. *a* Floris tubus absque limbo ut appareant stamina. *b* Calix. *c* Idem expansus infra germen. *d* Capsulæ sectio , quam immaturam vidi.



HOFFMANSEGGIA. <sup>(a)</sup>

## CHARACTER GENERICUS.

Calix monophyllus, quinquepartitus, laciniis lanceolato-linearibus persistentibus.

Corollæ petala quinque unguiculata, unguibus piloso-glandulosis, patentia, superiore latiore.

Staminum filamenta decem subulata, duobus ordinibus calici circum germen inserta, quorum quinque exteriora villis glanduliferis ornata: antheræ ovatæ biloculares.

Germen superum, sessile, lineare, compressum: stylus teres staminum longitudine: stigma clavatum.

Legumen lineare, compressum, bivalve, polyspermum. Semina ovata, compressa.

Obs. Genus a Parkinsonia et Poinciana diversum calice persistente.

## HOFFMANSEGGIA FALCARIA Tab. 392.

432. HOFFMANSEGGIA caule suffruticoso decumbente, foliis bipinnatis; pinnulis ovatis glaucis.

Radix perpendicularis, ramosa, albicans, longa.

Caulis suffruticosus, teres, vix pedalis, primum erectus, deinde decumbens, et quandoque prostratus, ramosus.

Folia alterna, bipinnata; pinnulis principalibus 5-9; secundariis ut plurimum 15, quæ sunt ovatæ, integerrimæ, basi inæquali, glaucæ. Petiolus communis basi incrassatus, bistipulatus, stipulis ovatis marcescentibus: partiales oppositi, axillis glanduliferis, glandulis minimis pedicellatis.

Flores racemosi, racemo erecto terminali, semipedali, parte inferiore nudo, postea florifero, floribus sparsis pedunculatis, pedunculis axillaribus ad bracteolam lanceolatam deciduam.

Calix oblongus, laciniis quinque ciliatis, flore aperto in spiram reflexis, fecundato germine erectis et ad legumen adpressis.

Corollæ petala quinque saturate lutea, patentia, calicis laciniis alterna, quorum superius, ungue canaliculato sustentatum, est ceteris maius, lineolis punctisque rubris eleganter variegatum. Unguium limbus, dorsumque glandulis rubris pedicellatis ornantur.

Staminum filamenta declinata et in conum corollæ longitudine adproximata: quinque exteriora rubra, villosa, glandulifera; interiora lutescentia, apice rubro, quorum unum quandoque castratum: antheræ rubræ, sulcatæ.

Germen viride: stylus superne ruber: stigma plerumque declinatum.

Legumen sesquipollicare, duas lineas latum, arcuatum, compressum. Semina sub-13, castanei coloris, suturæ affixa quæ minorem arcum efformat.

Habitat in colle vulgo Cerro de las Pampas, et ad altissimorum montium radices versus Mendoza urbem, tum etiam alibi in regno Chilensi. Semina communicavit D. Ludovicus Née Regio h. Mat. quæ terræ commissa plantas dederunt quarum flores exami-

(a) Primam huius generis speciem vivam vidi anno 1795 et sequentibus in Regio horto Matritensi, in cuius plantarum elencho typis dato anno 1797 Pointiana glauca videtur nominari. Sed quum hoc nomen plantæ fructificatio respuat, eam a fructus forma Falcariam appellavi in memorata mea dissertatione. Eadem postea evulgavit D. Casimirus Ortega Larreæ nomine. Nunc autem detecta nova specie, cuius legumina recta, cuiusque notæ a prima

diversæ sunt, reformari debet character genericus ut utrisque conveniat. Suppresis ergo præcedentibus nominibus, novo eoque dignissimo nunc prodeat in honorem D. Ioannis Centurii Comitis de Hoffmannsegg, qui spretis domi commodis in scientiæ profectum exteris provincias perscrutatur Galliam, Hispaniam atque Lusitaniam, adscito in socium clarissimo professore supra laudato Henrico Federico Link.



navi mense Augusto anni 1795, eosdemque iterum et fructus copiosissimos per æstatem  
 an. 1796-1797.

*Explic. tabulæ.* A Pars petioli communis et oppositorum partialium aucta ut appareant  
 glandulæ pedicellatæ. a Flos integer. b Petalum. c Petalum maius. d Filamentum auc-  
 tum. e Duo filamenta, alterum ex exterioribus, et alterum ex interioribus. f Germen.  
 g Calix auctus. h Idem flore expanso. i Leguminis valvula cum seminibus.  
*Obs.* Pinnulæ secundariæ quandoque sunt sine impari terminali.

### HOFFMANSEGGIA TRIFOLIATA. *Tab.* 393. *fig.* 1.

433. HOFFMANSEGGIA subcaulis, petiolis radicalibus, trifoliatis, foliis pinnatis: floribus  
 racemosis.

Genus Pointianæ affine. *Née herbar. cum icone.*

Radix lignosa fusciformis, fibris terminata; ex qua racemi florum et folia prodeunt caule  
 sæpius nullo, quandoque brevissimo indurato, et squamoso ex stipularum basibus.

Foliorum petioli radicales, basi bistipulati, stipulatis ovatis, 6-14 lineas longi, cani, apice tri-  
 fidi trifoliati: folia pinnata pinnulis 7-15 ovatis, basi inæquali, tomento canis, subsessili-  
 bus. Petioli partiales inæquales, medio longiore, basi suffulto pilis brevissimis glanduliferis.

Flores racemosi, racemis fere semper radicalibus, tres pollices longis: flos quilibet peduncu-  
 latus, ad bracteam ovatam concavam deciduam axillaris.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis æqualibus, lanceolato-linearibus.

Corollæ petala luteo-aurantia, patentia, ovata, unguibus canaliculatis brevibus piloso-glan-  
 duliferis: quattuor æqualia, et quintum, superius scilicet, latius, concavum, venulis  
 punctisque rubris variegatum.

Staminum filamenta decem, subulata, basi conexas, corolla breviora, quorum quinque al-  
 terna villosa, villis glanduliferis: antheræ ovatæ.

Germen superum oblongum: stylus filiformis: stigma clavatum.

Legumen rectum, compressum, villosum, polyspermum. Semina ovata compressa.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado*, in aridis prope fontem vulgo *de*  
*los Guanucos*, floretque mense Decembri 24. Vidi siccam, et Iconem apud D. Ludo-  
 vicum Née.

*Explic. tabulæ.* A Petiolorum pars cum glandulis. a Calix. b Idem apertus. c Petalum ma-  
 ius. d Idem auctum et expansum. e Calix revolutus ut appareat staminum insertio.  
 f Filamentum auctum. g Legumen. h Idem dehiscens cum seminibus.

*Obs.* Pinnulæ quandoque sine impari observantur.

### OXALIS MALLOBOLBA. *Tab.* 393, *fig.* 2.

434. OXALIS acaulis: scapis unifloris: petiolis pentaphyllis: bulbis lanatis.

*Oxalis nova. Née herbar.*

Ex bulbo piperis grani magnitudine, lana rufa densissima obducto scapi et petioli prodeunt  
 tenuissimi, translucidi, villosi: petioli vix pollicem longi sæpiusque breviores foliola sus-  
 tinent quinque minima, ovata, basi angustiora.

Scapi sesquipollicem longi, bracteolis duabus oppositis subulatis ex articulo ortis circa me-  
 diam scapi longitudinem, uniflori.

Calix profundissime partitur in quinque lacinias lineares lutescentes, in quarum dorso linea  
 observatur fusca.

Corolla lutea quinquepartita, laciniis obtusis.

Staminum filamenta decem, basi monadelphæ, alterna duplo altiora ceteris, omniaque co-  
 rolla breviora: antheræ ovatæ.



Germen superum, pentagonum, oblongum: styli quinque villosi, quorum longitudo media inter filamenta breviora et longiora: stigmata capitata, penicilliformia.

Capsula quinqueangularis.

Habitat in Pampas de Buenos-Ayres præsertim circa oppidum Luján, et inter Coloniam Sacramenti et Paraguay. Floret Mayo. Vidi siccam in laudato herbario D. Ludovici Née, qui in dicta Sacramenti Colonia D. Emmanuelem Gomez textoriæ artis peritissimum vidit et apud ipsum magnam oxalidis lanæ copiam, eo fine paratam ut tentamina instituerentur ad lanæ vegetalis utilitatem eruendam.

*Explic.* tab. *i* Genitalia aucta. *k* Stamina. *l* Germen. *m* Idem multoties auctum. *n* Folium auctum. *o* Bulbus lana denudatus.

### PSORALEA MUTABILIS. Tab. 394.

435. PSORALEA foliis imparipinnatis, pinnulis obovatis, emarginatis, glabris, punctatis: spicis terminalibus.

Caulis sesquipedalis, superne ramosus, glaberrimus ut et tota planta.

Folia alterna, imparipinnata, pinnulis 7-17 obovatis, glaucis, inferiore pagina punctatis, punctis contra lucem translucidis, apice leviter emarginatis: petiolus communis teres basi bistipulatus, stipulis brevibus marcescentibus lanceolatis: partiales capillares, brevissimi. Flores spicati, spica conica terminali, in qua sedent axillares ad bracteolam acuminatam concavam.

Calix decemstriatus, campanulatus, ore quinquedentato, dentibus villosis, inferiore paulo longiore.

Corolla initio alba, axceptis maculis violaceis minimis in alarum et carinæ apicibus; postea violacea cuius color intensior quum fatiscit, estque papilionacea, pentapetala. Vexillum orbiculatum, concavo-plicatum, integerrimum, album, ungue canaliculato sensim versus basim graciliore affixum receptaculo pone germen: Alæ et carinæ ovata, auriculata, staminum tubo unguibus capillaribus affixæ.

Stamina decem, monadelphæ, apice libera: antheræ ovata, sulcata, sulphuræ.

Germen ovatum, minimum, apice villosum: stylus erecto-incurvatus, albus: stigma acutum.

Legumen breve, monospermum. Semen nitidum.

Habitat in insula Cuba, et in Regno mexicano  $\mathcal{R}$ . Colitur in Regio horto Matritensi, ubi floruit Iulio et Augusto 1797.

*Explic.* tab. *a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Idem expansus. *d* Calix sectus. *e* Bractea. *f* Germen, omnia aucta. *g* Legumen. *h* Semen. *F* Pinnula aucta.

*Obs.* Si hæc planta, omnesque a me descriptæ Psoraleæ nomine ad Daleæ genus pertinent, quid de Dalea Gärtnerii dicendum? (vol. 1, pag. 235, tab. 51.) Expungendumne e catalogo tametsi recte constitutum, priusquam Professor Matritensis suum dederit? Suum dico, quia diversum est ab antiquato Linnæi, quod ipsemet Linnæus deinceps suppressit: suum item quia diversum a Dalea pentandra D. de Iussieu, vel ipso professore fatente. Quocirca si Psoraleæ a me descriptæ verum novum genus efformant quod contradicere videtur D. de Lamarck in Generum illustratione, novum quoque nomen sortiantur necesse est. Meum in hac re iudicium notum feci pagina 60 primi voluminis: quibus addi potest quod in meis plantis reperitur singularis illa nota calicis tuberculis punctati, et petalorum, quæ venis coloratis variegata sunt. Botanici nihilominus pronunciabunt.

### TROPÆOLUM POLYPHYLLUM. Tab. 395.

436. TROPÆOLUM caule herbaceo prostrato: petiolis elongatis alternis polyphyllis.

Caulis herbaceus, prostratus, tripedalis et amplius, levis ut et tota planta.



Petioli alterni, bipollicares, sustentantes 5-10 foliola inæqualia, ovata, basi acuta, in orbem expansa, quorum maiora dentata.

Flores axillares solitarii, pedunculis folio longioribus.

Calix monophyllus, coloratus, profunde quinquefidus, laciniis lanceolatis, quarum superior basi calcarata, calcare intra florem hiante extra stamina.

Petala quinque oblongo-ovata, luteo-rubentia, calici inserta, eiusdem laciniis alterna, hisque longiora, quorum duo superiora subsessilia, remota, calcaris fauci infixæ, ceterisque ampliora; tria unguiculata, germen ex opposito ambientia; prope ungues cucullata.

Staminum filamenta octo, corolla multo breviora, lutescentia, basi germinis arcte circumposita: antheræ ovatæ, erectæ, biloculares.

Germen rugosum, superum, profunde trilobum: stylus cylindricus, tristriatus: stigmata tria.

Pericarpia tria, ovata, non dehiscentia, monosperma: semina rugosa ovata.

Habitat in Chilensi altissimo monte vulgo *Cordillera*, et præsertim in tractu *del. Portillo* usque ad Mendozam. Floret Martio. Vidi siccam in herbario D. Ludovici Née. Ibi que Tropæolum pentaphyllum Iuss. et Lamarck inventum ab indefesso nostro peregrinatore in via regia quæ a Montevideo ducit ad Maldonado, copiose etiam in sepius Buenos-Ayres.

*Explic.* tab. *a* Flos integer e latere conspectus. *b* Petalum unum ex minoribus. *c* Genitalia aucta. *d* Germen fecundatum. *e* Fructus. *f* Idem putamine secto. *g* Semen.

*Obs.* 1. Fere semper abortium patiuntur duo pericarpia, tertio dumtaxat remanente.

*Obs.* 2. Petala in sicco videntur apice integra.

### GAURA TRIPETALA. *Tab.* 396, *fig.* 1.

437. GAURA foliis lanceolatis subdentatis: floribus hexandris.

Caulis annuus, herbaceus, sensim durior, teres, valde ramosus, ramis sparsis, decumbentibus, pedem et amplius longis.

Folia alterna, sessilia, lanceolata, denticulis tribus quattuorve; pilisque aliquot vix conspicuis in pagina superiore.

Flores solitarii, axillares, sessiles ad folium vel bracteolam, sensim breviora versus ramulorum apicem.

Calix lutescens, trifidus, laciniis flore aperto reflexis, deciduis.

Petala tria coccinea, lanceolato-ovata.

Staminum filamenta sex, rubra, corolla paulo longiora, expanso flore unilateralia: antheræ fuscæ, oblongæ, sulcatæ, incumbentes.

Germen inferum, oblongum, trisulcatum, ventre incrassatum: stylus staminibus longior: stigmata tria patentia.

Fructus est nux ovato-acuta, trigona, angulis prominentibus, transversim sulcata, unilocularis, monosperma: Semen oblongum teretiusculum.

Habitat passim ad viarum margines prope Pachuca et San Agustin de las Cuevas Regni mexicani oppida, ubi eam reperit D. L. Née. Colitur in Regio horto Matritense ubi floribus fructibusque onustam vidi ab ultimo Maio usque ad Augustum anni 1797.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Idem calicis tubo secto longitudinaliter et expanso. *c* Nux. *d* Huius sectio. *e* Eadem aliter spectata. R Ramus fructifer fastiscente planta.

### OENOTHERA TENELLÀ. *Tab.* 396, *fig.* 2.

438. OENOTHERA caule herbaceo erecto: foliis ovato-oblongis: antheris alternis subsessilibus.

Oenotheræ species nova. *Née herbar.*



Caulis filiformis, herbaceus, erectus, plerumque simplicissimus, villosus præsertim tener, 6-12 pollices altus.

Folia alterna, ovato-oblonga, sessilia, inferiora breviora et ampliora, subvillosa.

Flores axillares, solitarii, sessiles.

Calix superus, deciduus, tubo brevissimo, limbo longo profunde quadripartito, laciniis lanceolatis villosis.

Corollæ petala quattuor, violacea, calice longiora, rotundata, limbo superiore crenulato, basi angustata, unde venulæ prodeunt saturatiores.

Stamina octo, corolla triplo breviora, fauci calicis adfixa, quorum quattuor subsessilia, reliqua alternatim altiora: antheræ oblongæ, biloculares, erectæ, luteæ.

Germen inferum, cylindricum, tomentosum, subtetragonum: stylus staminibus brevior, filiformis: stigma quadrifidum laciniis ovatis brevibus.

Capsula oblonga, tetragona, basi nonnihil arcuata, quadrilocularis, quadrivalvis, polysperma, valvulis medio septiferis. Semina nuda, numerosa, minutissima, obovata, receptaculo centrali tetragono adfixa.

Habitat prope urbem Talcahuano in Chile. Floret atque fructificat mense Novembri ☉. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *f* Anthera filamentis sustentata. *g* Stylus cum stigmatibus. *h* Idem auctus. *i* Genitalia aucta calici adfixa. *k* Capsula aucta dehiscens, cuius semen *l*.

#### OENOTHERA TENUIFOLIA. Tab. 397.

439. OENOTHERA foliis linearibus angustissimis elongatis: petalis luteo-rubris crenulatis. Oenotheræ species nova. *Née herbar.*

Caulis teres sesquipedalis, ramis numerosis erectis, teneris subvillosis, vetustate glabris.

Folia alterna, sessilia, pollicem et amplius longa, semilineam lata.

Flores solitarii, axillares, subsessiles.

Calix superus tubo brevi, sensim ampliato, limbo profunde quadripartito, laciniis lanceolatis, patulis flore aperto.

Corollæ petala quattuor fere pollicaria, ovata, basi angustata, limbo superiore crenulata, luteo-rubra venulis saturatioribus.

Staminum filamenta octo, alternatim breviora; fauci calicis adfixa, antheræ oblongæ luteæ, filamentis longiores, erectæ.

Germen cylindricum, villosum, subtetragonum: stylus staminibus paulo longior: stigma quadrifidum, laciniis ovatis.

Reliqua ut in præcedenti: verumtamen capsula multo amplior, et semina maiora.

Habitat in viciniis urbis Coquimbo vulgo *la Serena* in Regno chilensi. Floret Novembri ☉. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Petalum. *b* Stamina calici imposita. *c* Germen, stylusque per calicis tubum transiens. *d* Antheræ auctæ, et filamentorum insertio. *e* Capsula matura. *f* Eadem divaricatis valvulis. *g* Semen. *h* Idem auctum.

#### OENOTHERA DENTATA. Tab. 398.

440. OENOTHERA foliis sublinearibus, denticulatis: capsulis tenuissimis, tetragonis.

Radix descendens ramosa, ex qua caulis exurgit pedem aut sesquipedem altus, teres, ramis alternis.

Folia alterna, sessilia, fere pollicem longa, vix lineam lata, dentibus utrimque aliquot minutis.

Flores axillares, solitarii, sessiles.



Calix superus, deciduus, tubo brevissimo sensim ampliato; limboque sesquilineari profunde quadripartito, laciniis lanceolatis reflexis.

Corollæ petala quattuor lutea, venulis saturatoribus, orbiculata, basi angusta.

Staminum filamenta octo, corolla breviora, subæqualia, lutea, fauci calicis adfixa; antheræ luteæ, ovato-oblongæ.

Germen tenuissimum, tetragonum: stylus staminibus subæqualis: stigma crassum, quadrifidum, laciniis ovatis minimis.

Capsula tenuis, tetragona, pollicem longa, quadrilocularis, quadrivalvis; valvulis medio septiferis. Semina numerosa, minima, obovata, receptaculo centrali tetragono adfixa.

Habitat prope Coquimbo et Talcaguano, urbes chilenses. Floret Novembri ☉. Vidi siccam in sæpius memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Petalum. *b* Stylus et stigma auctum. *c* Genitalia. *d* Capsula. *e* Eadem aucta dehiscens. *f* Semen. *g* Idem auctum.

### OENOTHERA ACAULIS. Tab. 399.

441. OENOTHERA foliis pinnatifidis, lacinia terminali maiore denticulata.

Oenothera, vulgo *Falsa calaguala*, et *Flor de la Apostema*. *Née herb.*

Ex radice crassa, fibrosa, flores et folia prodeunt radicalia. Hæc sunt pinnatifida, quinque pollices sæpe longa, pilis aliquot albicantibus: pinnulæ inferiores breviores, quarum dimensiones augentur versus apicem, terminali magna, suntque lanceolatae denticulatae.

Flores radicales, maximi, carneo-albicantes.

Calicis tubus gracilis, semipedalis; cuius limbus pollicaris, profunde quadripartitus, laciniis lanceolatis, nervosis, revolutis, lutescentibus.

Petala quattuor patentissima, basi angusta, apice rotundata, venulis saturatoribus variegata.

Staminum filamenta octo, subulata, lutea, corolla dimidio breviora: antheræ luteæ, lineares, longæ, versatiles.

Germen ovatum tetragonum: stylus staminibus longior: stigmatis lacinia quattuor, lineares, patentissimæ, longitudine antherarum.

Capsula obovata, basi incurvata, tetragona, vix pollicem longa, angulis prominentibus, quadrilocularis, quadrivalvis, valvis medio septiferis. Semina numerosa, receptaculo centrali tetragono adfixa, obovata, angulata.

Habitat copiosissime in Talcaguano suburbiis. Floret Novembri et Decembri. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Capsula transversim secta. *b* Eadem dehiscens. *c* Semen.

*Obs.* Semileuca ab urbe Concepcion de Chile in tractu *Mochilla* dicto planta reperitur caulescens caule pedali et amplius, cuius folia alterna; quæ a supra descripta caule dumtaxat differt. An huius varietas?

### OENOTHERA RUBRA. Tab. 400.

442. OENOTHERA caule herbaceo, erecto, ramoso: foliis ovato-acutis serrulatis: floribus solitariis axillaribus pedunculatis.

Caulis teres, pedalis ramosus, ramis alternis.

Folia alterna, petiolis longiora, ovato-acuta, serraturis aliquot.

Flores axillares, solitarii, pedunculati.

Calix superus, deciduus, coloratus, cuius tubus gracilis, duas lineas longus, limbusque profunde quadripartitus, laciniis lanceolatis revolutis.



Corolla dilute rubra, petalis quattuor rotundatis, basi angustioribus.

Staminum filamenta octo, lutescentia, subæqualia, corolla breviora, fauci calicis adfixa, antheræ ut in præcedente; attamen breviores.

Germen ovatum tetragonum; stylus longitudine staminum: stigmatis lacinia quattuor lineares patentis.

Capsula ovata, basi acuta, tetragona, angulis prominentibus. Reliqua ut in præcedente, omnia tamen minora.

Colitur in Regio horto Matritensi, ubi floruit et fructificavit mensibus Julio et Augusto anni 1796 ☉. Patriam ignoro, quam Mexicanum Imperium credo. <sup>(a)</sup>

*Explic. tab. a* Flos petalis orbatus. *b* Germen. *c* Capsula. *d* Eadem aucta dehiscens. *e* Eadem valvulis divaricatis, ut appareat receptaculum. *f* Semen. *g* Idem auctum.

*Obs. 1.* In Regio horto Parisiensi plantam vidi anno 1786 *Œnotheræ roseæ* nomine huic nostræ similem: quarum differentia in florum dispositione consistit, qui in Rosea racemum terminalem quodammodo efformant, sufulti basi bractea subulata, ad quam axillares sunt.

*Obs. 2.* Ex dictis constat *Œnotheræ* characterem genericum non in capsula cylindrica, neque in calicis tubo longo consistere; notis proculdubio ab ipso eliminandis. Retineri dumtaxat debent sequentes.

Calix superus monophyllus deciduus, limbo quadrifido laciniis acutis.

Corollæ petala quattuor plana, divisuris calicis inserta.

Stamina octo, calicis fauci inserta: antheræ oblongæ.

Germen inferum: stylus filiformis staminibus subæqualis: stigma quadrifidum.

Capsula tetragona quadrilocularis, quadrivalvis, valvis medio septiferis.

Semina plurima nuda, obovata, receptaculo centrali tetragono adfixa.

(a) Quæ præcedunt descriptiones a numero 400, typis datæ sunt huius anni 1798 decursu usque ad præsentem diem, XIV scilicet, Maii.



## NOTANDA.

## I.

**R**egii horti Matritensis plantas describens earum patriam indigitavi mihi tunc notam Regnum scilicet mexicanum aut peruvianum, vastissimas provincias non peculiare situs, ubi ipsæ crescunt. Peragrato postea fere omnium natali solo ab indefesso botanico D. Ludovico Née, qui humanissime mihi schedulas communicavit eas adiungam in Botanicorum gratiam. En earum elenchum cum numeris huic operi respondentibus.

- 2 Hibiscus clandestinus habitat etiam in insulis philippicis prope Guinobatan ad margines canalium qua decurrit aqua ad irrigandos Orycæ agros.
- 7 Cynanchum prostratum habitat iuxta Pachuca oppidum mexicanum.
- 12 Bidens odorata in Querétaro et Acambaro oppidis mexicanis.
- 13 Cosmos bipinnatus cum præcedente.
- 14 Alcina perfoliata prope oppidum Atotonilco el grande, 22 fere leucis ab urbe Mexico, et haud longe a diversorio del Alto-Camaron inter Acapulco et Mexico.
- 15 Cobæa scandens iuxta Santa Monica oppidum tribus leucis ab urbe Mexico.
- 16 Lopezia racemosa in Chalma, Real del monte, Cuernabaca oppidis mexicanis.
- 18 Malva vitifolia in fundo Tecocote, et in Tecozotla Regni mexicani.
- 19 Cynanchum grandiflorum inter Ixmiquilpan et Cimapan oppida mexicana.
- 21 Salvia fulgens inter Atotonilco el grande et Real del monte, necnon in Querétaro et in fundo Sancti Vincentii Regni mexicani.
- 24 Salvia Mexicana inter San Bartolomé et Santa Mónica oppida mexicana.
- 27 Chelone campanulata in humidis prope Chalma Regni mexicani.
- 63 Asclepias linaria prope Guadalupense sanctuarium, leuca dissitum ab urbe Mexico.
- 67 Encelia canescens in Ixmiquilpan Regni mexicani, et prope oppidum la Madalena, leuca dissitum a Lima.
- 71 Embothrium coccineum in monte Sancti Antonii inter Guayaquil et Quito.
- 74 Malva angustifolia prope Dos-caminos oppidum mexicanum.
- 78 Mentzelia aspera in Actopan, Ixmiquilpan, Real del monte, et alibi in Regno mexicano.
- 80 Atropa procumbens in Atotonilco, Ixmiquilpan, et alibi in Regno mexicano.
- 81 Sida virgata in Limæ viciniis.
- 82 Tradescantia erecta iuxta aquas decurrentes secundo lapide ab urbe Mexico.
- 83 Tradescantia crassifolia cum præcedente.
- 84 Alstroëmeria ovata in valle peruviano Guarimaio, et in memorato colle Guadalupense Novæ-Hispaniæ.
- 86 Mimosa filicioides iuxta diversorium del alto Camaron inter Acapulco et Mexico.
- 87 Cosmos sulphureus in suburbiis Salmantica Regni mexicani.
- 89 Zinnia violacea, valde frequens in itinere a Tecozotla ad Querétaro Novæ-Hispaniæ.
- 94 Psoralea lagopus in valle Querétaro Regni mexicani.
- 95 Psoralea reclinata cum præcedente.
- 107 Eupatorium squarrosum in Querétaro, et Acambaro Regni mexicani.
- 108 Bidens crocata in itinere Sancti Iacobi duodecim fere leucis a San Blas ubi Cedrela frequens.
- 126 Usteria scandens in memorato colle Guadalupense, leuca dissito ab urbe Mexico.
- 174 Asclepias foetida in oppido mexicano Chapultepec, et prope Chalma.
- 175 Cynanchum nigrum in dicto oppido Chapultepec.
- 178 Hibiscus spiralis prope Rio azul (flumen coeruleum), et iuxta Chilpancingo oppidum mexicanum.



- 182 *Salvia purpurea* prope Real del monte in Regno mexicano.
- 184 *Aster glutinosus* in Peruvia iuxta Arica haud procul a mari.
- 186 *Cotyledon coccinea* in declivio montis positi inter Ixmiquilpan et Cimapan oppida mexicana.
- 195 *Ximenesia encelioides* in Acapulco.
- 213 *Lippia umbellata* in Acapulco et in Atotonilco.
- 216 *Salvia chamædryoides* in viciniis Sancti Ioannis de Hapad Regni mexicani.
- 218 *Iustitia coccinea* in Ixmiquilpan et San Agustin de las Cuevas.
- 219 *Franseria ambrosioides* inter Acapulco et Mexico haud longe á Pueblo-nuevo.
- 220 *Psoralea nutans* in memorato valle Querétaro.
- 222 *Iustitia sexangularis* in Acapulco.
- 225 *Ageratum lineare* in Querétaro eiusque valle.
- 232 *Encelia halimifolia* ab oppido mexicano Real del monte usque ad fundum de Regla.
- 236 *Verbesina serrata* in collibus Huanajuato Regni mexicani.
- 240 *Helianthus linearis* in Querétaro et Acambaro.
- 241 *Helianthus giganteus* ibidem copiosissime.
- 242 *Helianthus dentatus* in oppido mexicano Real del monte.
- 246 *Nocca rigida* in Querétaro et Acambaro.
- 249 *Polymnia maculata* inter Acapulco et Mexico prope flumen Mescala.
- 251 *Bidens sambucifolia* in Salmantica et Salvatierra Regni mexicani.
- 257 *Piqueria trinervia* inter Ixmiquilpan et Cimapan.
- 259 *Oxalis tetraphylla* in Madalena oppido peruviano inter Batatas.
- 261 *Amyris polygama* in Longaví oppido chilense.
- 262 *Psoralea tomentosa* in valle Querétaro et in fundo Sancti Vincentii.
- 264 *Chelone barbata* in fundo de Regla et prope Chalma.
- 265 *Solanum eleagnifolium* iuxta urbem Coquimbo in regno chilense.
- 273 *Ipomoea stans* quinque leucis a Chipalcingo versus Tixtala.
- 274 *Zinnia revoluta* in Querétaro et Acambaro.
- 277 *Ruellia ovata* prope Chalma.
- 279 *Ipomoea pentaphylla* in fundo Calavan insularum Philippensium.
- 280 *Cacalia linaria* in Querétaro.
- 281 *Gaura mutabilis* ad vias prope San Agustin de las Cuevas, et etiam in Cuernabaca.
- 283 *Coreopsis alata* in Huanajuato inter Budleias.
- 289 *Tagetes lucida* in Querétaro.
- 292 *Heterosperma pinnata* in Querétaro, Acambaro, San Vicente, Ixmiquilpan cet.
- 296 *Psoralea citriodora* in Querétaro.
- 297 *Helianthus quinqueradiatus* prope Chalma et Real del monte.
- 298 *Milium latifolium* in oppido la Madalena, leuca dissito a Lima.
- 305 *Malva miniata* in Talcahuano urbe Regni chilensis.
- 306 *Oenothera tetraptera* in fundo de Gonzales, septem leucis a Querétaro.
- 308 *Galinsoga parviflora* in memorato oppido peruviano la Madalena.
- 321 *Rhamnus iguaneus* in Acapulco et Tixtla.
- 327 *Guazuma polybotra* in insula Taboga, et inter Guayaquil et Guaranda.
- 333 *Ixora ternifolia* in oppido mexicano Real del monte.
- 334 *Cleome uniglandulosa* in Acapulco, et in Sanctuario Guadalupense.
- 346 *Salvia angustifolia* inter Ixmiquilpan et Cimapan.
- 353 *Pectis prostrata* prope Querétaro.
- 388 *Sanvitalia villosa* ibidem cum præcedente.
- 391 *Stevia salicifolia* in Ixmiquilpan.
- 393 *Stevia pedata* in Querétaro et San Vicente.



## II.

In opere inscripto *Regii horti Matritensis plantarum decades*, de quo pagina 54 et 55 huius voluminis mentionem feci, descriptas vidi perplures plantas quæ in meis operibus continentur, ne vero nominum diversitas ambiguitatem pariat, operæ pretium me facturum putavi illarum synonymiam dare. Ecce illam.

*Icones.**Decades.*

Nº 25	Salvia polystachia. . . . .	est. . . . .	Salvia amarissima.
126	Usteria scandens.		Maurandya semperflorens.
345	Piscidia punicea.		Æschynomene miniata.
346	Salvia angustifolia.		Salvia virgata.
354	Psoralea lutea.		Dalea ovatifolia.
388	Sanvitalia villosa.		Lorentea atropurpurea.
391	Stevia salicifolia.		Ageratum viscosum.
393	Stevia pedata.		Ageratum pedatum.
416	Argyrochæta bipinnatifida.		Villanova bipinnatifida.
417	Mirabilis corymbosa.		Calyxhymenia glabrifolia.
418	Cuphea procumbens.		Cuphea procumbens.
432	Hoffmanseggia falcaria.		Larrea glauca.
435	Psoralea mutabilis.		Dalea obovatifolia.
437	Gaura tripetala.		Gaura hexandra.

## III.

Casu vidi quintum volumen operis periodici cui titulus *Magasin encyclopedique ou journal des sciences &c.* in eoque pagina 261 et seq. cl. civis Ventenatii dissertationem de meis Iconum voluminibus. Multa ibi honestissimus vir de Hispanorum gloria in re Botanica, sed plura de meis novis generibus dixit; quæ quia scientiæ utilissima, et quia meorum operum illustrationes sunt atque additamenta hic transcribam in Botanicorum gratiam.

L'Espagne est une des contrées de l'Europe la plus fertile en plantes. Il en est même un grand nombre dont elle est exclusivement la patrie, et qu'on chercheroit inutilement dans d'autres Etats de l'Europe. Placée entre le 36 et le 44 degré de latitude, arrosée par des fleuves considerables et par un grand nombre de rivières, traversée dans quelques parties de son interieur par plusieurs chaînes de montagnes, elle est dans la position la plus propre a faciliter le développement des productions végétales. Dans tous les temps l'amour de la science a déterminé les plus célèbres Botanistes a voyager dans ce rauyaume pour y observer les richesses de la nature. Nous nous contenterons de citer Clusius, Barrelier, Tournefort, Antoine de Iussieu, Bernard de Iussieu, et le savant suédois Loëffling, qui fit passer a Linneus, dont il avoit été le disciple, une moisson abondante de végétaux. A la vue de ces trésors, le zèle pour le progrès de la Botanique, qui devoit, si je puis m'exprimer ainsi, le célèbre professeur d'Upsal, ne lui permit pas de contenir son étonnement, et il ne pût s'empêcher de plaindre les habitans d'une contrée aussi favorisée par la nature qui sommeilloient au milieu des richesses de Flore. Sans doute si Linneus éut vécu de nos jours loin de faire des reproches aux Espagnols, il eût distingué parmi eux, avec tous les savans de l'Europe ces hommes d'un mérite rare qui honorent la patrie qui les a vu naitre, en reculant les bornes des connoissances humaines dans toutes les parties des sciences, et principalement en Botanique. En effet cette branche interessante de l'Histoire naturelle est cul-



tivée aujourd'hui en Espagne avec autant d'ardeur et aussi généralement que dans tous les autres Etats de l'Europe. Déjà plusieurs voyages ont été faits dans les deux Indes pour l'avancement de cette science, et les noms de ceux qui ont eu le courage de les entreprendre, des Mutis, Molina, Ruiz, Pavon, Cervantes, Cuellar &c. seront aussi célèbres que ceux des Plumier, Commerson, Dombey, Michaux, Richard, Kalm, Thunberg &c. Bientôt nous verrons paraître les flores de différentes provinces d'Espagne. Tandis que M.M. Ximenez, Abat, Sanchez, Villalobos s'occupent de ces ouvrages aussi utiles que nécessaires, M. Cavanilles, un des botanistes les plus distingués de l'Europe, connu par plusieurs ouvrages et sur-tout par les dissertations savantes qu'il a publiées, pendant son séjour en France, sur les plantes de la Monadelphie, travaille à une Flore générale dans laquelle il se propose de décrire toutes les plantes indigènes de sa patrie, en insistant principalement sur celles qui ne sont pas encore connues des botanistes, ou qui n'ont pas été observées avec assez d'exactitude, ou dont les figures, quelquefois infidèles, souvent peu soignées, ne présentent pas les parties de la fructification. Il semble qu'une entreprise aussi vaste ne permettoit point d'autre travail accessoire; mais le zèle qui a le sentiment de ses forces ne connoit point de bornes. Mr. Cavanilles convaincu que la plupart des productions exotiques ne subsistent pas long-temps dans les jardins, ou elles sont cultivées, et que l'intérêt de la science exige qu'elles soient promptement publiées, soit pour constater leur existence, soit pour contribuer à l'instruction générale, a cru devoir décrire les plantes nouvelles qui sont cultivées dans plusieurs Jardins botaniques d'Espagne, et notamment dans le Jardin Royal de Madrid.

Nous possédons déjà trois volumes de cet ouvrage important qui contiennent chacun 100 planches. Nous désirerions pouvoir faire connoître à nos lecteurs la plus grande partie des végétaux qui y sont décrits et figurés, mais les limites dans lesquelles nous sommes forces de nous renfermer ne nous permettent pas de remplir nos vœux à ce sujet. Cependant il nous eût été aussi facile qu'agréable de suivre Mr. Cavanilles dans les différens voyages qu'il a fait dans l'intérieur de sa patrie, et de l'accompagner tantôt dans les environs de Mentrída, petite ville peu éloignée de Madrid et entourée de collines qui la défendent des outrages du nord; tantôt de gravir ou au sommet de Peñaglosa d'où l'on découvre une plaine d'une étendue immense peu fertile, et grand nombre de Bourgs et de Vilages; ou à celui de Murviedro au pied duquel est bâtie la Ville qui porte son nom, et qui remplace la cité de Sagonte si célèbre par le siège qu'elle soutint durant les guerres des Romains et des Cartaginois: mais c'est surtout dans les vallées d'Albayda, et sur les monts Enguerins que nous désirerions suivre Mr. Cavanilles: ici c'est une vaste et belle plaine prolongée jusqu'à la mer; un jardin continuel, des bosquets d'Oliviers, de Caroubiers &c. un sol fertile coupé par des rivières, dont les eaux distribuées avec intelligence par de nombreux canaux donnent la vie aux plantes, et de l'occupation à un grand nombre d'habitans; là, ce sont des monts escarpés, des rochers que les années et les injures du temps ont fait éclater en plusieurs endroits, parmi lesquels se trouvent quelques plaines ordinairement très-resserrées, et où le voyageur erre long-temps sans découvrir une seule source d'eau pure, ou il puisse se désaltérer.

Mr. Cavanilles ne s'est point borné dans l'ouvrage que nous analysons à la simple description des plantes. Historien, philosophe et naturaliste, il l'a enrichi de plusieurs observations importantes sur l'histoire naturelle en général, sur la géographie, sur l'agriculture, sur la population, sur les mœurs et sur les usages des habitans. Ces observations sont présentées à la vérité avec concision; mais l'auteur les a développées dans son histoire du Royaume de Valence, dont le Citoyen Millin a présenté un extrait dans le tom. 3, pag. 175 du Magasin.

Les espèces connues aujourd'hui en Botanique sont presque trois fois plus nombreuses qu'elles ne l'étoient au commencement de ce siècle. Linnéus a décrit deux fois



plus de plantes qu'on n'en connoissoit du temps de Tournefort ; et depuis la mort de l'immortel professeur d'Upsal les decouvertes des Commersons , Dombey , Ruiz , Pavon , Banks , Desfontaines , Thunberg , Vahl , Swarts , La Billardièrre en ont prodigieusement augmenté le nombre. Les botanistes voyageurs n'ont pas contribué seuls a étendre le domaine de la botanique ; ceux que les circonstances ont retenu dans leur patrie n'ont pas été moins utiles a la science en décrivant les plantes exotiques cultivées dans les jardins. Nous desirerions pouvoir fair connoitre celles qui sont mentionnées dans l'ouvrage de Mr. Cavanilles ; mais accablés par l'abondance des matières nous croyons devoir nous borner a l'exposition des genres nouveaux. Nous insisterons principalement sur leurs rapports naturels , nous ferons remarquer les caractères qui les distinguent , et nous donnerons une courte description des espèces qu'ils renferment. <sup>(a)</sup>

Le premier volume qui a paru en 1791 renferme 50 espèces indigènes , 58 espèces exotiques , et sept genres nouveaux , savoir :

1 LUFFA. Ce genre doit être rapporté a la troisième section des Cucurbitacées de Iussieu. Il a beaucoup d'affinité avec le *Cucumis* ; mais il en diffère sur-tout par ses cinq étamines distinctes , 1-anthérifères , et insérées chacune sur un tubercule tomenteux.

L'espèce que Mr. Cavanilles décrit sous le nom de *Luffa foetida* (num. 9 , tab. 9 et 10) est le *Cucumis acutangulus* de Jacquin hort. vindob. vol. 3 , pag. 40 , tab. 73 74. Cette plante herbacée croît naturellement aux îles de France et de la Reunion.

2 COSMOS. La grande affinité de ce genre avec le *Coreopsis* et *Rudbeckia* prouve qu'il doit être placé dans la quatrième section des Corymbifères de Iussieu. Il se distingue néanmoins de tous les genres connus de cette division par son calyce commun qui est double , monophylle , et qui ressemble a celui des *Althæa*.

Ce genre renferme deux espèces qui son herbacées et originaires du Mexique. L'une *Cosmos bipinnatus* (num. 13 , tab. 14.) a les tiges cylindriques et d'un vert-gai. Ses feuilles sont connées , deux fois ailées a folioles linéaires , aigues et canaliculées ; et les fleurs presque aussi grandes que celles du *Silphium* ont une couleur jaune dans le disque , et sont teintes d'un pourpre rougeatre a la circonférence. La seconde *Cosmos sulphureus* a les tiges sillonnées &c.

3 ALCINA. La section des corymbifères a la quelle nous avons rapporté le *Cosmos* paroît devoir comprendre également l'ALCINA. Ce genre a quelque affinité avec les *Polymnia* , *Chrysogonum* et *Wedelia* ; mais il diffère sur-tout du premier par son calyce simple ; et on le distingue des deux autres , principalement par la forme des semences qui sont surmontées de cinq dents ou tubercules , dont un est perforé. L'*Alcina perfoliata* (num. 14 , tab. 15) qui est la seule espèce de ce genre croît naturellement au Mexique.

4 COBÆA. On doit mettre au rang des decouvertes précieuses en histoire naturelle , celles des productions , qui démontrent par leur existence les rapports qui unissent deux familles entr'elles. Le *Cobæa* considerée sous ce point de vue est un genre très-important , puisqu'il reserre les liens qui rapprochoient la famille des Polémoines de celle des Bignonées , en établissant pour ainsi dire un passage parfaitement naturel entre ces deux ordres. En effet il convenient aux Polemoines par sa corolle régulière , par ses cinq étamines toutes fertiles , par son stigmate multiple , par son fruit qui paroît devoir être une capsule triloculaire , par les cloisons adnées au milieu des valves , et par les semences portées sur un placenta central. Il a également de l'affinité avec les Bignonées par plusieurs caractères , mais sur-tout par son port et par ses semences ailées. L'espèce rapportée a ce genre sous le nom de *Cobæa scandens* (num. 15 , tab. 16-17.) est originaire du Mexique.

5 LOPEZIA. En admettant les noms donnés aux différentes parties de la fructification dans l'espèce qui constitue ce genre , il seroit impossible de déterminer la famille qui convient aut *Lopezia* ; mais en changeant les noms de certains organes , on voit qu'il ap-

(a) Has ego descriptiones utpote in meo opere contentas silentio premam.



partient à la seconde section de la famille des Onagres. Cette jolie plante originaire du Mexique, que nous avons vu fleurir dans plusieurs jardins, mérite d'augmenter le nombre des espèces destinées à embellir nos parterres.

6 DAHLIA. Ce genre dédié à Mr. Dahl botaniste suédois renferme des espèces remarquables par la beauté de leurs fleurs: il a une grande affinité avec la *Polymnia*, comme l'observe M. Cavanilles, mais il en diffère surtout par son calyce intérieur qui est monophylle, par ses fleurons qui sont hermaphrodites, et par ses semences presque en forme de spatule.

Mr. Cavanilles rapporte à ce genre trois espèces qui sont vivaces-herbacées et originaires du Mexique. L'une *Dahlia pinnata* (núm. 88, tab. 80.). La seconde *Dahlia rosea* (núm. 290, tab. 265.). La troisième *Dahlia coccinea* (núm. 291, tab. 266.).

7 WILLDENOWA. Le receptacle garni de paillettes et les semences surmontées de cinq arêtes prouvent que ce genre doit être rapporté à la sixième section des corymbifères de Jussieu. Il diffère néanmoins de ceux que comprend cette division par la réunion des caractères suivants. Calyce double polyphylle; l'intérieur linéaire, l'extérieur sétacé. Semifleurons entiers à leur sommet. Fleurons 6-7-8-fides à leur limbe. Style semitrifide; stigmates trois. Semences surmontées de cinq arêtes droites.

L'espèce décrite dans l'ouvrage de Mr. Cavanilles (núm. 97, tab. 89.) porte le nom de *glandulosa*. Ce nom spécifique convient parfaitement, puisqu'on trouve des glandes ovales transparentes terminées par une soie, non seulement sur le bord des pétioles des feuilles, mais encore au sommet des écailles du calyce. Elle est originaire du Mexique. Si ses fleurs ont réellement un style trifide, ce dont Mr. Cavanilles ne paroît pas entièrement convaincu, on peut avancer qu'elles présentent un caractère qui n'a été encore observé dans aucune composée.

Le second volume qui a paru en 1793 renferme 91 espèces indigènes, 19 espèces étrangères, et quatre genres nouveaux, savoir:

1 USTERIA. La connoissance de la structure intérieure du fruit est absolument nécessaire pour déterminer l'ordre au quel il faut rapporter les plantes dont la corolle est monopétale, hypogyne, irrégulière, et dont les étamines sont didynames. En effet les végétaux qui constituent les familles appelées par Jussieu *Pediculaires*, *Acanthes*, *Gattiliers*, *Labiées*, *Scrophulaires*, et *Bignonées*, se ressemblent à peu près tous par la situation et la structure de la corolle, ainsi que par leurs étamines qui sont au nombre de quatre et dont deux sont plus courtes: mais en considérant l'organisation intérieure du fruit on trouve des caractères importants qui déterminent d'une manière précise l'ordre au quel chacun doit être rapporté. Ainsi l'*Usteria* dont le fruit capsulaire est séparé en deux loges par une cloison séminifère, adhérente aux parois des valves, paroît devoir appartenir à la famille des Scrophulaires ou Personées. L'espèce que Mr. Cavanilles décrit (núm. 126, tab. 116.) sous le nom de *Scandens* est originaire du Mexique, et paroît avoir beaucoup de rapport avec l'*Asarina* de T., dont elle diffère néanmoins surtout par l'absence du palais dans la corolle.

2 XIMENESIA. Ce genre a de l'affinité avec l'*Encelia*, comme l'observe Mr. Cavanilles, qui donne à l'espèce qu'il décrit le nom d'*Encelioides*. Mais il en diffère par son calyce polyphylle sur trois rangs; par ses demi-fleurons femelles-fertiles, trifides, et par les semences du disque qui sont ailées sur leurs bords, tandis que celles de la circonférence sont nues. Le *Ximenesia encelioides* (núm. 195, tab. 178.) est originaire du Mexique.

3 MILLA. Les genres qui appartiennent à des familles parfaitement naturelles, peuvent être considérés comme un seul et même genre divisé en plusieurs groupes, à fin de rendre l'étude des espèces plus facile. Les Ombellifères, les Labiées &c. présentent une preuve frappante de cette assertion: ce n'est point dans les genres de ces familles qu'il faut chercher des caractères fortement prononcés. De légères différences dans quelques organes de la fructification suffissent souvent pour établir des genres. On ne doit donc



être surpris que le *Milla* se rapproche par différents caractères de plusieurs Liliacées; mais il diffère de toutes celles qui sont connues par l'ensemble des caractères suivans : calyce infundibuliforme; tube oblong, droit; limbe ouvert à six divisions, dont trois alternes plus étroites et munies d'un appendice crochu à leur sommet. Etamines insérées au sommet du tube; filamens presque nuls; anthères droites, conniventes. Ovaire supérieur ou libre; style filiforme saillant; stigmates trois, globuleux, très velus.—Fruit &c. Le *Milla* ne renferme qu'une seule espèce (num. 215, tab. 196.) originaire du Mexique.

4 FRANSERIA. Mr. Cavanilles en établissant ce nouveau genre, a levé les incertitudes des Botanistes qui rapportoient l'espèce qui le constitue; les uns à l'*Ambrosia* et les autres au *Xanthium*. A la vérité le *Franseria* a beaucoup de rapport avec ces deux genres; mais il en diffère par ses fleurs femelles pourvues de quatre styles surmontées chacun de deux stigmates, et par son fruit divisé en quatre loges monospermes. Le *Franseria ambrosioides* (num. 219, tab. 200.) croît naturellement au Mexique et dans le Pérou: il est cultivé depuis plusieurs années au jardin du Muséum d'histoire naturelle de Paris, de semences rapportées par Mr. Dombey. Ses fleurs ont la même disposition que celles des *Ambrosia* et *Xanthium*.

Le troisième volume qui a paru et 1794 contient 66 espèces étrangères, 43 espèces indigènes et cinq genres nouveaux, savoir:

1 NOCCA. Les fleurons de cette plante entourés d'un calyce commun et munis chacun d'un calyce propre semblent au premier aspect devoir rapprocher le genre *Nocca* de la III section des Cinarocephales de Jussieu; mais lorsqu'on réfléchit sur l'ensemble de ses caractères, et lorsqu'on observe surtout que ses feuilles sont opposées, alors on est convaincu qu'il doit appartenir à quelqu'une des divisions des corymbifères. Le genre avec le quel il a le plus de rapport est le *Laxmania* de Forster, comme l'a observé Mr. Cavanilles; mais il en diffère surtout par ses étamines qui sont au nombre de cinq, tandis qu'il n'en existe que quatre dans le *Laxmania*, et par son receptacle creusé d'alvéoles ciliés sur leurs bords, tandis que celui de *Laxmania* est hérissé de paillettes. L'espèce décrite par Mr. Cavanilles, *Nocca rigida* (num. 246, tab. 224.) est originaire de la Nouvelle-Espagne.

2 PIQUERIA. Le genre *Flaveria* de Jussieu renferme deux espèces, savoir *Flaveria chiloënsis*, et *Flaveria Dombeyana*. Le *Flaveria chiloënsis* observé vivant par Mr. Cavanilles, lui a présenté les caractères du *Milleria*, et il l'a réuni à ce genre sous le nom de *Milleria contrayerba*. Le *Flaveria Dombeyana* ressemble parfaitement au *Piqueria trinervia* par son port et par les caractères de la fructification: si cette plante n'est pas la même que celle de Mr. Cavanilles, il est au moins certain que toutes les deux sont congénères.

3 EUSTEPHIA. Il est peu des genres dans la famille des Liliacées, dont les caractères soient aussi tranchés que ceux de l'*Eustephia*. Ses fleurs munies d'une spathe oblongue, quadripartite; ont un calyce supérieur ou adhérent, tubuleux profondément 6-fide, et dont les découpures rapprochées sont disposées en cylindre: ses étamines insérées chacune dans une fossette située à la base des divisions du calyce, ont leurs filaments planes et divisés vers le sommet en trois lacinieuses, dont les deux latérales très courtes et une moyenne trois fois plus longue et anthérifère. La seule espèce connue est nommée *Eustephia coccinea* (num. 260, tab. 238.).

4 SALMIA. Ce genre paroît différer de toutes les Liliacées (a) connues et même de l'*Aletris* avec le quel il a beaucoup d'affinité, par son fruit formé de trois drupes globuleux, réunis à leur centre, et monospermes, dont un et quelque fois deux sont sujets à avorter. Mr. Cavanilles indique trois espèces de ce genre, savoir *Salmia spicata* (num. 268, tab. 246.) *Salmia guienensis* ou *Aletris guienensis*. Jacq. hort. Vindob.

(a) On désigne communément par le nom de Liliacées la plus grande partie des plantes qui appartiennent à la troisième classe de la méthode de Jussieu.



vol. III. tab. 84. (variété de l'*Aletris hyacinthoides* Lin.) et *Salmia ebracteata* ou *Aletris hyacintoides* L. figurée dans le vol. II. de l'Hort-Malab. tab. 42.

5 HETEROSPERMA. Ce nom qui signifie *semences de forme différente*, indique le caractère essentiel de ce nouveau genre. L'*Heterosperma* doit être rapporté à la sixième section des corymbifères de Jussieu; mais il diffère de tous les genres connus de cette division par son calyce commun très simple, formé de 3-4 folioles linéaires; par ses étamines qui ne sont qu'au nombre de quatre, et par ses semences, dont 3-4 placées dans le centre sont linéaires et surmontées d'une pointe qui se bifurque, tandis que celles du disque et de la circonférence sont ovales, mutiques et entourées d'un rebord membraneux, concave. L'*Heterosperma pinnata* (num. 292. tab. 267.) est originaire de la Nouvelle-Espagne.

Après avoir fait connoître les genres nouveaux qui sont contenus dans les *Plant. Hispan.* nous désirerions pouvoir entrer dans un plus grand détail et entretenir nos lecteurs des espèces soit indigènes, soit exotiques qui y sont décrites; mais convaincus qu'il est des ouvrages, dont il suffit de nommer l'auteur pour en faire apprécier le mérite, nous devons peut être nous reprocher d'avoir donné trop d'étendue à cet extrait. Nous ne doutons pas que les savans de l'Europe n'accueillent les trois volumes qui ont paru, ainsi que ceux qui doivent les suivre avec le même empressement qu'ils témoignent, lorsque Mr. Cavanilles publioit successivement ses dissertations sur les plantes monadelphes. Les amateurs d'histoire naturelle et ceux qui recherchent les ouvrages parfaitement exécutés ne doivent pas hésiter à se procurer les *Pl. Hisp.* qu'on peut regarder comme un modèle de Typographie.

Le format, également éloigné de la mesquinerie des *in-8.* et du luxe très incommode des Atlas, est celui qui paroît le mieux convenir à l'étude de l'histoire naturelle. Les planches gravées par les plus habiles artistes, tant Français qu'Espagnols, ont été dessinées par l'auteur, qui à l'exemple de Plumier, Dillenius &c. réunit le double talent de rendre les objets sensibles dans ses descriptions, et celui de les exprimer avec grâce et netteté en imitant la Nature.

*E. P. Ventenat Membre de l'Institut national.*







## PLANTARUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

## TABULA SYSTEMATICA.

## CLASSIS 2. DIANDRIA.

SALVIA angustifolia. . . . .	Numero 346. . . . .	Tabula 317.
circinata. . . . .	n. 347. . . . .	Tab. 318.
papilionacea. . . . .	n. 348. . . . .	Tab. 319.
phlomoides. . . . .	n. 349. . . . .	Tab. 320.

## CLASSIS 3. TRIANDRIA.

VALERIANA angustifolia. . . . .	n. 390. . . . .	Tab. 353.
---------------------------------	-----------------	-----------

## CLASSIS 4. TETRANDRIA.

*Monogynia.*

EMBOTHRIUM herbaceum. . . . .	n. 423. . . . .	Tab. 384.
ferrugineum. . . . .	n. 424. . . . .	Tab. 385.
linearefolium. . . . .	n. 425. . . . .	Tab. 386. fig. 1.
cytisoides. . . . .	n. 426. . . . .	Tab. 386. fig. 2.
genianthum. . . . .	n. 427. . . . .	Tab. 387.
spathulatum. . . . .	n. 428. . . . .	Tab. 388.
LINKIA levis. . . . .	n. 429. . . . .	Tab. 389.
IXORA ternifolia. . . . .	n. 333. . . . .	Tab. 305.
PLANTAGO philippica. . . . .	n. 397. . . . .	Tab. 359. fig. 2.
COUTOUBEA ternifolia. . . . .	n. 357. . . . .	Tab. 328.
KRAMERIA cytisoides. . . . .	n. 430. . . . .	Tab. 390.

## CLASSIS 5. PENTANDRIA.

*Monogynia.*

POIRETIA cucullata. . . . .	n. 378. . . . .	Tab. 343.
EPACRIS longiflora. . . . .	n. 379. . . . .	Tab. 344.
pulchella. . . . .	n. 380. . . . .	Tab. 345.
pungens. . . . .	n. 381. . . . .	Tab. 346.
spurea. . . . .	n. 382. . . . .	Tab. 347. fig. 1.
EPACRIS? villosa. . . . .	n. 382. . . . .	Tab. 347. fig. 2.
VENTENATIA humifusa <sup>(a)</sup> . . . . .	n. 384. . . . .	Tab. 348.
procumbens. . . . .	n. 385. . . . .	Tab. 349. fig. 1.
PEROJOA microphylla. . . . .	n. 386. . . . .	Tab. 349. fig. 2.
BURSARIA spinosa. . . . .	n. 387. . . . .	Tab. 350.
MIRABILIS corymbosa. . . . .	n. 417. . . . .	Tab. 379.
CANTUA ovata. . . . .	n. 401. . . . .	Tab. 363.
tomentosa. . . . .	n. 402. . . . .	Tab. 364.
HOITZIA coccinea. . . . .	n. 403. . . . .	Tab. 365.
coerulea. . . . .	n. 404. . . . .	Tab. 366.
glandulosa. . . . .	n. 405. . . . .	Tab. 367.
IPOMŒA pilosa. . . . .	n. 352. . . . .	Tab. 323.
CINCHONA philippica. . . . .	n. 358. . . . .	Tab. 329.

(a) Errore scripsi Vintenatia : nomen verum Ventenatia est.



ARJONA tuberosa. . . . .	n. 422. . . . .	Tab. 383.
SOLANUM lentum. . . . .	n. 336. . . . .	Tab. 308.
fructu-tecto. . . . .	n. 337. . . . .	Tab. 309.
phyllantum. . . . .	n. 396. . . . .	Tab. 359. fig. 1.
STYLOCORYNA racemosa. . . . .	n. 406. . . . .	Tab. 368.
CORTESIA cuneifolia. . . . .	n. 415. . . . .	Tab. 377.

*Digynia.*

CUMINUM cyminum. . . . .	n. 399. . . . .	Tab. 360. fig. 2.
--------------------------	-----------------	-------------------

*Trigynia.*

GYNOPLEURA tubulosa. . . . .	n. 413. . . . .	Tab. 375.
linearifolia. . . . .	n. 414. . . . .	Tab. 376.

*Pentagynia.*

ARALIA humilis. . . . .	n. 342. . . . .	Tab. 313.
-------------------------	-----------------	-----------

## CLASSIS 6. HEXANDRIA.

BRADLEIA philippica. . . . .	n. 409. . . . .	Tab. 371.
------------------------------	-----------------	-----------

## CLASSIS 8. OCTANDRIA.

*Monogynia.*

TROPÆOLUM polyphyllum. . . . .	n. 436. . . . .	Tab. 395.
ŒNOTHERA tenella. . . . .	n. 438. . . . .	Tab. 396. fig. 2.
tenuifolia. . . . .	n. 439. . . . .	Tab. 397.
dentata. . . . .	n. 440. . . . .	Tab. 398.
acaulis. . . . .	n. 441. . . . .	Tab. 399.
rubra. . . . .	n. 442. . . . .	Tab. 400.
GAURA tripetala. . . . .	n. 437. . . . .	Tab. 396. fig. 1.
DODONÆA viscosa. . . . .	n. 356. . . . .	Tab. 327.
GUIOA lentiscifolia. . . . .	n. 411. . . . .	Tab. 373.

## CLASSIS 10. DECANDRIA.

*Monogynia.*

HOFFMANSEGGIA falcaria. . . . .	n. 432. . . . .	Tab. 392.
trifoliata. . . . .	n. 433. . . . .	Tab. 393. fig. 1.

*Digynia.*

ASCLEPIAS alba. . . . .	n. 338. . . . .	Tab. 310.
-------------------------	-----------------	-----------

*Pentagynia.*

OXALIS mallobolba. . . . .	n. 434. . . . .	Tab. 393. fig. 2.
----------------------------	-----------------	-------------------

## CLASSIS 11. DODECANDRIA.

*Monogynia.*

CUPHEA procumbens. . . . .	n. 418. . . . .	Tab. 380.
spicata. . . . .	n. 419. . . . .	Tab. 381.
virgata. . . . .	n. 420. . . . .	Tab. 382. fig. 1.
æquipetala. . . . .	n. 421. . . . .	Tab. 382. fig. 2.



## CLASSIS 12. ICOSANDRIA.

*Monogynia.*

LEPTOSPERMUM stellatum. . . . .	n. 359. . . . .	Tab. 330. fig. 1.
porophyllum. . . . .	n. 360. . . . .	Tab. 330. fig. 2.
multiflorum. . . . .	n. 361. . . . .	Tab. 331. fig. 1.
iuniperifolium. . . . .	n. 362. . . . .	Tab. 331. fig. 2.
METROSIDEROS marginata. . . . .	n. 363. . . . .	Tab. 332.
quinquenervia. . . . .	n. 364. . . . .	Tab. 333.
nodosa. . . . .	n. 365. . . . .	Tab. 334.
armillaris. . . . .	n. 366. . . . .	Tab. 335.
hyssopifolia. . . . .	n. 367. . . . .	Tab. 336. fig. 1.
calicina. . . . .	n. 368. . . . .	Tab. 336. fig. 2.
umbellata. . . . .	n. 369. . . . .	Tab. 337.
ANGOPHORA cordifolia. . . . .	n. 370. . . . .	Tab. 338.
lanceolata. . . . .	n. 371. . . . .	Tab. 339.
EUCALYPTUS corymbosus. . . . .	n. 372. . . . .	Tab. 340.
platipodos. . . . .	n. 373. . . . .	Tab. 341.
rostratus. . . . .	n. 374. . . . .	Tab. 342.
obliquus. . . . .	n. 375. . . . .	
salicifolius. . . . .	n. 376. . . . .	
racemosus. . . . .	n. 377. . . . .	

## CLASSIS 13. POLYANDRIA.

*Monogynia.*

GREWIA mallocoeca. . . . .	n. 407. . . . .	Tab. 369.
COLONA serratifolia. . . . .	n. 408. . . . .	Tab. 370.

*Polygynia.*

EUCRYPHIA cordifolia. . . . .	n. 410. . . . .	Tab. 372.
-------------------------------	-----------------	-----------

## CLASSIS 14. DIDYNAMIA.

*Gymnospermia.*

SIDERITIS chamædryfolia. . . . .	n. 329. . . . .	Tab. 301.
hirsuta. . . . .	n. 330. . . . .	Tab. 302.
scordioides. . . . .	n. 331. . . . .	Tab. 303.
leucantha. . . . .	n. 332. . . . .	Tab. 304.
MENTHA ovata. . . . .	n. 398. . . . .	Tab. 360. fig. 1.

*Angiospermia.*

COLUMNEA ovata. . . . .	n. 431. . . . .	Tab. 391.
-------------------------	-----------------	-----------

## CLASSIS 15. TETRADYNAMIA.

CLEOME uniglandulosa. . . . .	n. 334. . . . .	Tab. 306.
-------------------------------	-----------------	-----------

## CLASSIS 16. MONADELPHIA.

*Pentandria.*

ABRONIA umbellata. . . . .	n. 355. . . . .	Tab. 326.
----------------------------	-----------------	-----------



*Octandria.*

MAGALLANA porifolia. . . . . n. 412. . . . . Tab. 374.

*Polyandria.*

SIDA bicolor. . . . . n. 339. . . . . Tab. 311.  
 linearis. . . . . n. 340. . . . . Tab. 312. fig. 1.  
 tridentata. . . . . n. 341. . . . . Tab. 312. fig. 2.  
 CARYOCAR amygdaliferum. . . . . n. 400. . . . . Tab. 361 et 362.

CLASSIS 17. *DIADELPHIA.**Decandria.*

PISCIDIA punicea. . . . . n. 345. . . . . Tab. 316.  
 CROTALARIA angulosa. . . . . n. 350. . . . . Tab. 321.  
 incana. . . . . n. 351. . . . . Tab. 322.  
 COLUTEA orientalis. . . . . n. 335. . . . . Tab. 307.  
 ÆSCHINOMENE picta. . . . . n. 343. . . . . Tab. 314.  
 longifolia. . . . . n. 344. . . . . Tab. 315.  
 PSORALEA lutea. . . . . n. 354. . . . . Tab. 325.  
 mutabilis. . . . . n. 435. . . . . Tab. 394.

CLASSIS 19. *STNGENESIA.**Polygamia equalis.*

STEVIA salicifolia. . . . . n. 391. . . . . Tab. 354.  
 serrata. . . . . n. 392. . . . . Tab. 355.  
 pedata. . . . . n. 393. . . . . Tab. 356.  
 AGERATUM latifolium. . . . . n. 394. . . . . Tab. 357.

*Polygamia superflua.*

TAGETES micrantha. . . . . n. 353. . . . . Tab. 324.  
 PECTIS prostrata. . . . . n. 389. . . . . Tab. 352.  
 SANVITALIA villosa. . . . . n. 398. . . . . Tab. 351.

*Polygamia necessaria.*

ARGYROCHÆTA bipinnatifida. . . . . n. 416. . . . . Tab. 378.

*Monogamia.*

CALICERA herbacea. . . . . n. 395. . . . . Tab. 358.

FINIS QUARTI VOLUMINIS.



# DESCRIPTIONES PLANTARUM.

## VIRGILIA <sup>(a)</sup> SECUNDIFLORA. *Tab.* 401.

443. VIRGILIA caule fruticoso: foliis sparsis, impari-pinnatis: floribus racemosis, secundis. Broussonetia secundiflora. *Ortega Decade V. pag. 61. tab. 7.*

Caulis fruticosus, in R. H. Matrit. tripedalis, cuius truncus simplex pollicem crassus, et cortex cinereus, superne ramosus: rami alterni, versus apicem angulosi.

Folia sparsa, impari-pinnata, foliolis 11-15 ovatis, coriaceis, levibus, subsessilibus, non semper oppositis: petioli communes superiore pagina sulco amplo notati, basi incrassati.

Flores racemosi, racemis terminalibus, simplicibus, densis; pedunculi partiales numerosi, tomentosi, recurvi, ad totidem bracteas subulatas axillares, stipati ulterius inter istas et calices bracteolis duabus.

Calix persistens, rufo tomento tectus, monophyllus, campanulatus, bilabiatus; labium superius truncatum, emarginatum; inferius tridentatum dentibus ovato-acutis.

Corolla papilionacea, calicis fauci inserta: vexillum dilutissime cæruleum, ovatum, emarginatum, versus apicem revolutum, alis paulo longius, punctisque variegatum in alarum contactu: alæ cæruleæ, conniventes, oblongæ, basi utrimque auriculatæ: carina dipetala inter alas porrecta, ipsisque brevior, quarum figuram æmulatur.

Staminum filamenta decem, alba, subulata, carina breviora et ipsa tecta, calicis parieti inserta, quorum alterna paulo longiora: antheræ ovatæ, didymæ, profunde sulcatæ.

Germen subteres, tomentosum, sessile: stylus setaceus, brevis: stigma simplex, crassiusculum.

Legumen terestiusculum, tomentosum, polyspermum, basi stipatum staminibus diu persistentibus.

Habitat in Nova-Hispania *h.* Vidi floridam in R. H. Matritense die 10 Aprilis anni 1798, fructum nondum perfectum die 5 Julii.

*Explic.* tab. *a* Flos postice visus. *b* Idem antice spectatus. *c* Petala. *d* Calix cum germine sectus ut appareat filamentorum insertio. *e* Filamenta aucta cum antheris. *f* Legumen nondum perfectum quale vidi die 5 Julii, in qua decidit.

## POMARIA. <sup>(b)</sup>

### CHARACTER GENERICUS.

Calix turbinatus, profunde quinquepartitus, laciniis caducis.

Corolla pentapetala, petalis breviter unguiculatis, superiore concavo brevior.

Staminum filamenta decem, distincta, calici inserta, declinata, subulata, inferne hirsuta: antheræ ovatæ, dorso prope basim affixæ.

Germen oblongum, compressum: stylus staminum longitudine: stigma capitatum.

Legumen oblongum, compressum, apice acutum, uniloculare, dispernum.

Semina ovata, funiculis adfixa suturæ rectæ.

*Obs.* Genus affine Hoffmanseggiæ, Poincianæ et Cæsalpinia. Ab Hoffmanseggia differt

(a) Genus notum ab anno 1792 cuius duas species delineatas dedit D. de Lamarck tab. 326 in Generum illustratione. Quod proculdubio ignorans D. Casimirus Ortega ex altera nova specie novum genus condidit Broussonetia nomine anno 1798.

(b) In memoriam Domini Pomár Botanici valentini, Philippi III medici, qui in tanti hominis scientiam et honorem Botanicae cathedram instituit. Casparus Escolano in *Historia Regni valentini lib. 5 columna 1064.*



calicis laciniis deciduis, et petalorum atque staminum base minime glandulosa. A Poinciana staminibus corolla brevioribus, et legumine uniloculari absque dissepimentis. A Cæsalpinia tandem laciniis calicis æqualibus caducis, et petalo superiore concavo, brevior.

### POMARIA GLANDULOSA. *Tab.* 402.

444. POMARIA caule fruticoso: foliis, ramis, calicibus et corollis glandulosis.

Caulis fruticosus, orgyalis, ramis alternis, glandulis nigris subpedicellatis variegatus, quæ observantur etiam in calicibus.

Folia alterna, bipinnata, foliolis oppositis, subsessilibus, ovatis, basi inæquali, apice setula brevissima terminatis; in horum pagina inferiore glandulæ nigræ veluti puncta apparent. Stipulæ sublineares angustissimæ, pinnatæ, deciduæ.

Flores racemosi, racemis axillaribus elongatis, in quibus pedunculi alternant, duas lineas longi, axillares ad bracteam lanceolatam, basi ampliorem, deciduam.

Calix monophyllus, basi turbinatus, profunde partitus in quinque lacinias subviolaceas, caducas, glanduliferas, subæquales.

Corollæ petala quinque, ovata, calici faucibus adfixa, quorum unum amplius, concavum, unguiculatum, omniaque saturate lutea venis aliquot a basi angustissima glabra divergentibus, adpersa innumeris glandulis minimis nigris sessilibus.

Staminum filamenta decem, declinata, corolla breviora, distincta, basi lanuginosa: antheræ ovatæ, prope basim filamentis adfixæ.

Germen oblongum, compressum: stylus filiformis: stigma capitatum.

Legumen ovato-oblongum, compressum, bivalve, dispernum, apice acutum, punctis aut si mavis glandulis nigris variegatum. Semina ovata.

Habitat in Nova-Hispania prope Querétaro, floretque mense Octobri *h.* Vidi siccam et iconem incompletam apud D. Ludovicum Néé.

*Explic.* tab. *a* Corolla expansa. *b* Petalum amplius, expansum, auctum cum glandulis. *c* Calix cum genitalibus. *d* Calix auctus. *e* Idem laciniis divaricatis ut pateat staminum situs. *f* Stamen auctum. *g* Legumen. *h* Idem valvulis apertis. *i* Foliola aucta. *k* Stipula aucta.

### ZUCCAGNIA. (a)

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix monophyllus, persistens, coloratus, inferus: tubus brevis turbinatus: limbus quinquepartitus, laciniis oblongis obtusis; infima paulo longiore.

Corollæ petala quinque, ovata, calici inserta, quorum superius latius, concavum.

Staminum filamenta decem, subulata, corollæ subæqualia, inferne pilosa: antheræ ovatæ, sulcatæ.

Germen ovato-compressum: stylus capillaris, curvus: stigma infundibuliforme.

Legumen subovatum, compressum, uniloculare, bivalve, monospermum, crinitum: semen ovato-compressum, apici valvularum adfixum funiculo brevi.

*Obs.* Genus Hæmatoxylo affine, a quo differt petalo superiore ampliori concavo, leguminis forma, atque seminis insertione.

### ZUCCAGNIA PUNCTATA *Tab.* 403.

445. ZUCCAGNIA foliis pinnatis, pinnulis ellipticis, alternis, punctatis, glutinosis: floribus racemosis terminalibus.

(a) In honorem D. Doct. Attilii Zuccagni Censoris regii, hortique regii Florentini Præfecti.



Caulis fruticosus, 4-5 pedes altus, cortice fusco tectus, valde ramosus, ramis tortuosis, glutinosis.

Folia alterna, pinnata, foliolis sessilibus, alternis, ellipticis, glutinosis, punctis nigricantibus in utraque pagina.

Flores racemosi, racemis solitariis; pedunculi partiales sparsi, ad bracteolam subulatam axillares.

Calix fusco-rubescens, glaber, corolla paulo brevior.

Corollæ petala crocata, venulis saturatioribus, patentia, sesquilineam longa, superne ampla et rotundata, basi angustissima.

Stamina subæqualia, calicis collo inserta, inferne pilosa: antheræ saturate crocæ, dorso filamentum adfixæ.

Germen sessile, hirsutum: stylus staminibus paulo longior, arcuatus: stigma breve, rubescens, infundibuliforme.

Legumen vix tres lineas longum, duas amplum, compressum, crinitum, crinibus rufis ipso longioribus, Semen nitidum, ferrugineum, non fundo leguminis sed apici adfixum funiculo umbilicari brevi.

Habitat in Chilensibus montibus, in tractu a *Portillo* usque ad scaturigines vulgo *Manantiales*. Floret atque fructificat mense Ianuario *h*. Vidi in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Petala. *b* Calix. *c* Idem laciniis patulis. *d* Flos integer auctus. *e* Germen. *f* Filamenta. *g* Legumen. *h* Idem crinibus denudatum. *i* Idem apertum. *k* Semen. *l* Idem auctum ubi patet embryonis acumen et funiculus umbilicaris. *m* Folium auctum.

#### BAUHINIA PES-CAPRÆ. Tab. 404.

446. BAUHINIA caule arboreo: foliis cordatis glabris; lobis apice divergentibus: floribus racemosis tomentosus.

*Bauhinia Pie de cabra* vulgo. *Née herb. cum icone.*

Caulis inermis arboreus, biorgyalis et amplius, cuius cortex griseus, et rami alterni, teretes.

Folia alterna, petiolis pollicaribus prope folium incrassatis longiora, glabra, rigidiuscula, pagina inferiore glauca, cordata, profunde biloba, lobis initio subparallelis, postea divaricatis, septemnervia, nervo medio brevi, terminato setula rigida inter lobos prominula. Stipulæ brevissimæ.

Flores racemosi, racemis terminalibus, alternis, multifloris: pedunculi sparsi, ad bracteam subulatam axillares, stipati ulterius inter istam et calicem bracteolis duabus.

Calix oblongus, apice setulis quinque brevibus, longitudinaliter latere inferiore dehiscens, et in spathæ formam flore aperto reflexus, in quinque lacinias ut plurimum sibi invicem adhærentes partibilis, deciduus.

Corollæ petala quinque, ovata, limbo undulato, interne pallide rubentia et glabra, extus albicantia et tomentosa, sustentata unguibus capillaribus, tomentosus, elongatis, fundo calicis circum germen adfixis.

Stamina decem, diadelpa, quorum inferius petalis longius; reliqua in membranam albam, tomentosam, unguibus petalorum breviorum connata, apicibus novem liberis, subulatis, rubris: anthera unica fertilis, ovato-oblonga, dorso adhærens filamentum longissimi apici; reliquorum filamentorum nullæ, nisi cuspides rubræ polline orbata.

Germen oblongum pedicello insidens: stylus filiformis, iuxta stigma globosum minimum declinatus in occursum antheræ.

Legumen pedicellatum, longum, compressum, bivalve, uniloculare, polyspermum. Semina ovata, compressa, suturæ alteri adfixa.

Habitat prope Acapulco *h*. Floret atque fructificat mense Februario. Ex laudato herbario.

*Explic.* tab. *a* Genitalia cum calice reflexo. *b* Petalum parte postica. *c* Idem antica. *d* Semen.



BAUHINIA LATIFOLIA. *Tab.* 405.

447. BAUHINIA caule fruticoso: foliis cordatis, rotundato-bilobis: floribus racemosis, glabris. *Bauhinia altera. Nee herb. cum icone.*

Caulis inermis, fruticosus, 8-10 pedes altus, ramis alternis.

Folia alterna, petiolis vix pollicaribus apice incrassatis longiora, cordata, rotundato-biloba, lobis brevibus divergentibus acutis, novemnervia, nervo medio terminato setula inter lobos prominula. Stipulæ brevissimæ, ovatæ.

Flores racemosi, racemis terminalibus et axillaribus: pedunculi numerosi, ad bracteam lanceolatam axillares.

Petala alba, glabra, venosa.

Reliqua omnino ut in præcedente, cum qua vivit et floret. *h* Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Folium mediocris magnitudinis. *b* Genitalia cum calice reflexo. *c* Petalum. *d* Legumen.

BAUHINIA SUB-ROTUNDIFOLIA. *Tab.* 406.

448. BAUHINIA foliis alternis subrotundis, lobis semi-orbiculatis, subtus tomentosis: floribus diadelphis, racemosis.

*Bauhinia. Nee herbar.*

Caulis arborescens, octopedalis, ramis alternis teretibus, teneris tomentosis.

Folia alterna, petiolis tomentosis paulo longiora, septemnervia, subtus tomentosa, superne glabra, subrotunda, semipartita in duos lobos obtusos. Stipulæ breves, et ad petioli basim corpusculum durum spinæforme.

Flores racemosi, racemis terminalibus et axillaribus, fere semper gemini: pedunculi sparsi, adproximati, bractea suffulti, villosi.

Calix tomentosus, oblongus, trium fere linearum.

Corollæ petala quinque, brevia, dilute rubra (in sicco), pillosa, undulata, ovato-oblonga, unguis sustentata capillaribus, longioribus, tomentosis, albicantibus.

Germen villosum.

Reliqua ut in *Bauhinia pes-capræ*.

Habitat in Calávan duodecim leucis a Manila, et etiam in Acapulco viciniis. *h* Hic floret mense Februario: in Calávan vero mense Augusto. Vidi in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Capitulum floris. *b* Flos apertus. *c* Leguminis valvula cum seminibus.

*Obs.* Planta philippica copiosiori tomento gaudet quam illa quæ in Nova-Hispania crescit. Utraque foliorum forma et tomento similis videtur *Bauhinia* tomentosæ Linnæi, a qua differt staminibus diadelphis et corollis minime campanulatis sed longe unguiculatis.

BAUHINIA LUNARIA. *Tab.* 407.

449. BAUHINIA foliis glabris, cordatis, lobis subrotundis: floribus tomentosis, racemis axillaribus.

*Bauhinia. Nee herbar.*

Caulis fruticosus, 6-8 pedes altus, valde ramosus, ramis teretibus, quorum cortex fuscus.

Folia alterna, glabra, cordata, magis lata quam longa, ultra dimidium bipartita lobis subrotundis, septemnervia, nervo medio terminato setula prominula: petioli foliorum longitudini fere æquales, filiformes, utraque extremitate incrassati.

Flores racemosi, racemis axillaribus: pedunculi eorumque bractæ ut in præcedente.



Corollæ petala rubra (in sicco), minora quam in præcedente, at ungues longiores, innumerisque pilis candidis vestiti.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in Calávan et Acapulco viciniis. ♀ Floret cum præcedente. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus. *b* Legumen.

*Obs.* Videtur affinis Bauhiniæ racemosæ Lamarck, *Dict. vol. 1 pag. 390*, a qua tamen toto coelo distat staminibus diadelphis, et styli præsentia.

*Obs.* Descriptæ hucusque species diadelphæ sunt, et unico dumtaxat filamentò gaudent antherifero, quod longius est ceteris et floris partem inferiorem occupat, contrario nempe situ quam in papilionaceis: reliqua novem filamenta semper vidi castrata, brevia, subulata, membranam terminantia, quæ germinis pediculum ambit.

## BAUHINIA? LATISILIQVA. Tab. 408.

450. BAUHINIA? caule fruticoso lento: floribus racemosis, terminalibus: siliquæ sutura membranacea.

Caulis fruticosus, inermis, biorgyalis, ramosus, lentus, super arbusta et vicinas arbores decumbens.

Folia alterna, petiolis utraque extremitate incrassatis longiora, cordata, ovata, lobis duobus profundis parallelis distincta, undécim nervis notata, quorum medius vix pollicaris, apice setoso exerto.

Flores racemosi, racemis terminalibus.

Calicis basis persistens.

Legumina semipedem longa, duos pollices lata, compressa, inæqualiter bipartita, sutura unica, quæ in membranam cartaceam tres lineas amplam excurrit.

Semina plura, ovata, compressa, nitida, funiculo umbilicari capillari suturæ adfixa.

Habitat in Insulis philippicis præsertim inter arbusta. Fructiferam reperit in Caventi D. Ludovicus Née mense Junio. Vidi siccam in eius herbario.

*Explic.* tab. *a* Plantæ ramus magnitudine naturali multoties minor. *b* Folium. *c* Legumen valvula revoluta ut appareant semina.

*Obs.* Huius plantæ flores numquam vidi, ideoque eius genus mihi dubium est: quia tamen foliorum figura et inflorescentia cum Bauhiniis convenit, ne maneat inedita ad huius generis calcem prodeat, quamvis ab ipso recedere videatur siliquæ forma et dehiscenti modo, a sutura scilicet versus limbum oppositum.

## PAULETIA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix monophyllus, oblongus, coriaceus: tubus cylindricus, persistens: laciniæ quinque, lineares, longissimæ, revolutæ, deciduæ.

Corollæ petala quinque, angustissime lanceolata, undulata, unguibus capillaribus adfixa calicis divisuris.

Staminum filamenta decem, subulata, alterna paulo breviora, basi connexa in corpus crasum, calicis tubo adnatum: antheræ lineares biloculares, basi bifida filamentis adfixæ.

Germen oblongum, pedicello insidens: stylus filiformis, arcuatus: stigma ovatum, compressum.

(a) In honorem Doct. Ioannis Iacobi Paulet, Medicinæ Academiæ Parisinæ atque Matritensis socii, qui Parisiis anno 1791 commentarium dedit, cui titulus *Tabula plantarum fungosarum*.



Legumen longum, lineare, compressum, polyspermum bivalve. Semina numerosa, ovata, compressa.

*Obs.* Genus Bauhiniae affine, a quo differt calicis tubo persistente, et staminibus decem monadelphis.

PAULETIA INERMIS. *Tab.* 409.

451. PAULETIA caule arborescente: foliis ovatis, bilobis; lobis acutis: florum racemis terminalibus.

Caulis arborescens, ramis alternis, biorgyalis et amplius, cortice fusco tectus.

Folia alterna, petiolis utraque extremitate incrassatis triplo longiora, ovata, biloba, lobis acutis divergentibus; pagina superiore viridia, inferiore ferruginea; nervis novem, quorum intermedius brevior, terminatusque setula inter lobos prominula. Stipulae breves, acutae, carnosae.

Flores racemosi, racemis terminalibus: pedunculi ut plurimum oppositi, ad bracteolam axillares, suffulti ulterius bracteolis duabus concavis acutis.

Calix ante floris expansionem tubum reffert tripollicarem, sulcis pluribus longitudinalibus, terminatum setulis quinque; postea dehiscit in quinque lacinias duos pollices et amplius longas, quae versus pedunculum revolutae, nunc spiras, nunc semicirculos flexuosos efformant, ac tandem decidunt, remanente tubo.

Petala calice breviora, luteo-rubentia.

Stamina subulata rubra, calicis longitudine: antherae lineares, semipollicem longae, biloculares.

Legumen octo pollices quandoque longum, vix tres lineas latum, polyspermum. Semina nigricantia, nitida.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Acapulco viciniis, floretque Februario et Martio *h.* Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calicis tubus expansus ut staminum appareat monodelphia. *c* Legumen.

PAULETIA ACULEATA. *Tab.* 410.

452. PAULETIA caule fruticoso, aculeato: foliis ovatis, apice bilobis, obtusis: floribus geminis, in racemum foliosum dispositis.

Caulis fruticosus, 8-10 pedes altus, ramis oppositis, aculeatis; aculeis geminis compressis stipularum loco.

Folia alterna, petiolis tenuibus triplo longiora, ovata, apice biloba, lobis obtusis, brevibus: nervi novem, quorum intermedius terminatur setula prominula.

Flores laterales, bini, quorum pedunculus communis trium linearum; partiales paulo longiores, basi bibracteati: omnes occupant ramorum apices, racemum foliosum efformantes.

Calix ut in praecedente at paulo longior et gracilior, terminatus setulis quinque, duas et amplius lineas longis.

Corollae petala luteo-rubra, angustissima, undulata.

Staminum filamenta calicis longitudine, rubra, subulato-capillaria: antherae longiores et angustiores quam in praecedente, basi bifidae, apice in setulam brevissimam terminatae: in filamentis quinque brevioribus quandoque deficiunt, in quorum loco corpuscula existunt ovata; rudimenta proculdubio antherarum.

Reliqua ut in praecedente. Fructum non vidi.

Habitat in Panamaidis vicinis, floretque Novembri *h.* Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix clausus. *b* Flos integer. *c* Stamina.



OXALIS ENNEAPHILLA. *Tab.* 411.

453. OXALIS scapis unifloris: petiolis enneaphillis: foliolis cuneatis, bifidis.

Oxalis. *Née herb. cum icone.*

Radix primaria fere horizontalis, imbricata squamis dilute roseis, totidem bulbulos tegentibus: secundaria fusca, capillares fibrosæ.

Foliorum petioli communes sanguinei coloris, teretes, semipedales, apice sustinentes foliola fere novem cuneiformia, bifida, lobis obtusis, subvillosa, glauca, uninervia, nervo, utrimque ramoso: petioli partiales brevissimi.

Flores radicales: scapi uniflori, petiolis concolores, ipsisque longiores, paulo infra florem bibracteati, bracteis viridibus, basi connexis, concavis, lanceolatis.

Calix viridis, profunde partitus in quinque lacinias ovato-acutas, subciliatas.

Corollæ petala quinque, dilute rosea, integerrima, apice rotundata, versus basim angustiora, lineisque lutescentibus variegata.

Staminum filamenta decem lutescentia, stylis breviora, basi connexa: quinque exteriora minima; interiora prope basim gibba: antheræ ovatæ flavæ.

Germen pentagonum ovatum: styli quinque, virides, villosi: stigmata capitata, penicilliformia.

Fructum non vidi.

Habitat in Maclovianis aut Falklandi insulis prope portum Egmont; floretque mense Decembri. Vidi siccam et iconem pulcherrimam apud D. Ludovicum Née.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Germen cum stylis. *c* Stamina. *d* Unum ex altioribus filamentis auctum, ut gibba appareat.

OXALIS LACINIATA. *Tab.* 412.

454. OXALIS scapis unifloris: foliis profundissime laciniatis; laciniis subduodecim, lineariibus.

Oxalis. *Née herb. cum icone.*

Radix omnino ut in præcedente, squamulis tamen brevioribus, albicantibus, limbo rubro.

Foliorum petioli teretes, virides, graciles, 4-6 pollices longi, sustinentes apice lacinias subduodecim glaucas, sesquipollicem longas, semilineam latas, utraque extremitate acutas.

Flores radicales: scapi virides, petiolis breviores, infra florem bibracteati, bracteis concavis, ovato-acutis, basi coalitis.

Calix viridis, glaber, profundissime quinquepartitus, foliolis ovato-acutis.

Corollæ petala quinque, saturate violacea, superne latiora et emarginata, inferne sensim angustiora, lineisque variegata.

Staminum filamenta decem lutea, basi subcoalita, quorum interiora longiora et prope basim incrassata, gibba in denticulum superne terminata: antheræ minimæ, ovatæ, luteæ.

Germen ut in præcedente: styli virides, villosi, filamentis paulo longiores: stigmata capitata, penicilliformia, fusca.

Fructum non vidi.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado* iuxta arbusta quæ crescunt inter portum et fontem vulgo *de los Guanucos* aut *Guanacos*, floretque mense Decembri 24.

Vidi siccam et iconem nitidissimam apud D. Lud. Née.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Germen. *c* Stamina. *d* Stamen auctum ut appareat denticulus.

*Obs.* Corollæ in utraque specie campanulato-patentes, et petala libera.

RUBUS RADICANS. *Tab.* 413.

455. RUBUS caule prostrato, flagellis radicanibus: foliis ternatis, villosis: floribus solitariis.



*Rubus frutilla* vulgo. *Née herb. cum icone.*

Caulis prostratus, spinulis brevibus; flagellis bipedalibus et amplius, radicanibus.

Folia lobato-orbiculata, ternata, intermedio maiore, denticulata, villosa, breviora petiolo communi, basi bistipulato, stipulis lanceolatis.

Flores ex foliorum fasciculis solitarii, pedunculis folio longioribus, villosis.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis dentatis, subtus villosis, persistentibus.

Corolla pallide rubra, pentapetala, petalis ovatis.

Staminum filamenta corolla breviora, numerosa, rubentia, calici inserta: antheræ subrotundæ.

Germina numerosa, receptaculo conico imposita: styli capillares: stigmata simplicia, persistentia.

Bacca viridis, ovata, composita ex seminibus ovatis baccatis.

Habitat in S. Carlos de Chiloe sylvis umbrosis ad arborum radices et supra truncos putrescentes. Floret et fructificat mense Febuario. Vidi siccum et iconem apud D. L. Née.

Fructus parvus est, cuius sapor gratissimus.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Flores superne et inferne spectati. *c* Petalum. *d* Genitalia aucta, calice sustentata. *e* Bacca composita magnitudine naturali. *f* Semen baccatum.

*Obs.* Quamquam in Icone memorata D. Née baccae rubrae appareant, errore id factum fuisse monet laudatus Perigrinator.

### CALTHA SAGITTATA. *Tab.* 414.

456. *CALTHA* foliis sagittatis: auriculis sursum inflexis.

Caulis nullus; ex radice enim limo aqua inundato infixæ scapi prodeunt semipedales et folia: hæc sunt sagittata cum acumine obtuso, auriculis non dependentibus sed sursum inflexis et erectis: omnium limbus crispus et obscure crenatus: superficies glabræ. Petioli teretes, crassi, foliis duplo et amplius longiores, aucti basi membrana translucida duos pollices longa, quæ reliquas interiores et petiolos vaginat.

Scapi ex foliorum centro ipsisque subæquales, crassi, uniflori.

Calix nullus. Corolla lutea, petalis ut plurimum novem, ovatis, venis longitudinalibus variegatis.

Staminum filamenta corolla breviora, receptaculo inserta, membrana tenui utrimque aucta, adeo ut plana et linearia appareant: antheræ oblongæ, didymæ, luteæ.

Germina numerosa, (fere 25) compressa, in capitulum adproximata: styli vix ulli: stigmata simplicia.

Capsulæ compressæ, carinatæ, polyspermæ, interne dehiscentes. Semina ovata, funiculis brevibus suturæ dehiscenti adfixa.

Habitat in aquis portus vulgo Egmont insularum Falklandi. Floret mense Decembri. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Petalum. *b* Genitalia. *c* Germen auctum. *d* Stamen auctum. *e* Capsula aucta. *f* Eadem longitudinaliter secta ut semina conspiciantur.

### RUSSELIA *Jacquin.*

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix persistens, pentaphyllus, foliolis ovato-acutis, basi subcoalitis.

Corolla tubulosa, fauce pilosa, limbo patente bilabiato: labium superius emarginatum: inferius paulo longius, trifidum, laciniis oblongis.

Staminum filamenta quattuor, didynama, e fundo tubi orta, non exerta: antheræ ovatae, geminae.



Germen ovatum : stylus staminum minorum longitudine : stigma globosum.

Capsula subglobosa, styli bipartibilis parte terminata, bilocularis : dissepimentum duplicatum ex inflexis valvularum marginibus, per maturitatem foramine amplo pervium : receptaculum ovatum, pilosum, centrale : semina numerosa, mima, subovata.

*Obs.* Cl. Jacquinus capsulam dixit unilocularem, spreto fortasse dissepimento, quod breve ut plurimum apparet, semperque amplo foramine pervium; haud secus ac in *Scrophularia* observatur.

### RUSSELIA ROTUNDIFOLIA. *Tab.* 415.

457. *RUSSELIA* caule fruticoso, erecto, ramis oppositis: foliis oppositis, sessilibus, cordatis, subrotundis.

Caulis fruticosus, quattuor pedes altus, ramis oppositis obscure tetragonis, tomentosus.

Folia opposita, sessilia, subrotunda, venoso-reticulata, tomentosa praesertim tenera; inferiora dentato-crenata, superiora serrata.

Flores racemosi, racemis axillaribus et terminalibus, in quibus flores alternant bini pedunculati, pedunculis basi bracteatis.

Calicis foliola quinque, villosa, striata, ovato-acuta, acumine setaceo.

Corolla coccinea, cuius tubus, calice triplo longior, ampliatur prope faucem intus villosam: limbus patens, labio superiore apice reflexo; inferiore trifido, laciniis divaricatis.

Staminum filamenta lutea, tubo breviora, didynama: antheræ ovatae, geminae, basi unitae ubi filamentum sunt adfixae.

Germen parvum: stylus rubescens: stigma globosum.

Capsula glabra, styli parte terminata, qui dehiscente capsula in duas lacinias capillares partitur. Semina minima nigra: receptaculum conicum, pilosum.

Habitat prope Acapulco: floret et fructificat Februario, Martio et Aprili. ♀ Vidi siccam, Iconemque pulcherrimam apud D. Ludovicum Née.

*Explic.* tab. *a* Corolla magnitudine naturali. *b* Eadem aucta. *c* Calix. *d* Idem auctus. *e* Germen. *f* Idem auctum. *g* Capsula. *h* Eadem absque calice. *i* Eadem dehiscens. *k* Valvula intus visa ut appareat dissepimentum. *l* Semina. *m* Semen auctum, et prope ipsum pili.

*Obs.* Russeliam sarmentosam, quam nitide pinxit, atque accurate descripsit. Cl. Jacquinus Americ. pag. 87 tab. 171, floridam atque onustam fructibus observavit in Panamaidis viciniis indefesus Née mensibus Novembri et Decembri anni 1790. Per plures vidi ramos in eius herbario quorum non pauci folia habebant terna, quae in reliquis sunt opposita qualiter pinxit laudatus Jacquinus. Flores in omnibus longiores sunt quam in *Russelia rotundifolia*, et capsulae dissepimento perforato instructae.

### RUELLIA OCYMOIDES. *Tab.* 416.

458. *RUELLIA* caule humili, ramoso, erecto: foliis ovatis, integerrimis.

*Ruellia concavifolia.* *Ortega decade 8, pag. 94.*

Caulis tetragonus, a basi ramosus, ramis oppositis, semipedem altus, subvillosus ut et tota planta.

Folia opposita, petiolis longiora, ovata, concava, pagina superiore saturate viridia, inferiore glauca.

Flores axillares, sessiles, terni, unusquisque basi bifolius, foliolis petiolatis, ovatis.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis subulatis, altera longiore.

Corolla monopetala, subcampanulata, dilute caerulea, cuius tubus albus et limbus quinquepartitus <sup>(a)</sup>, laciniis rotundatis.

(a) In tertio Iconum vol. pag. 28 ubi agitur de *Ruellia ovata*, errore typographico legitur *limbus quadripartitus*, cuius loco legendum est *quinquepartitus*, ut ex tabulis constat.



Staminum filamenta quattuor, inserta paulo supra tubum, quorum duo longiora: antheræ oblongæ, erectæ.

Germen superum, ovatum: stylus filiformis: stigma bifidum.

Capsula utrimque attenuata, bivalvis, bilocularis, dissepimento dentibus elasticis dehiscente: semina orbiculata, compressa.

Habitat prope Mexico. Vidi vivam in R. H. Matritensi mense Julio anni 1797.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem laciniis divaricatis. *c* Corolla. *d* Eadem secta et revoluta ut appareat Staminum insertio. *e* Capsula. *f* Eadem dehiscens. *g* Valvulæ. *h* Semina.

### RUELLIA RUBICAULIS. Tab. 417.

459. RUELLIA caule rubente erecto: foliis oblongo-ovatis, crenulatis, internodio brevioribus.

*Ruellia. Née herbarium.*

Caulis pedalis, erectus, rubens, vix ramosus, internodis elongatis.

Folia opposita, breviter petiolata, oblongo-ovata, glabra, crenulata, internodis duplo breviora.

Flores axillares, terni, subsessiles, bracteis stipati linearibus.

Calix profunde partitus in quinque lacinias subulatas.

Corolla dilute lutea, monopetala, infundibuliformis: tubus calice longior, albicans, sensim amplius versus faucem perviam, ubi antheræ conspiciuntur: limbus quinquepartitus, laciniis subæqualibus, obtusis.

Reliqua ut in præcedente. Habitat prope Queretaro in Regno Mexicano. Vidi vivam in R. H. Matritensi mense Augusto 1796, et in herbario D. Née.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla longitudinaliter secta. *c* Germen. *d* Fructus ex axilla avulsus. *e* Capsula.

### CRISTARIA. (a)

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix inferus, persistens, monophyllus; laciniis laceolatis, acutis.

Corollæ laciniæ quinque, profundissimæ, subrotundæ, unguiculatæ, basi unum idemque corpus efformantes cum staminum tubo. (b)

Stamina numerosa, basi coalita in tubum, superne libera: antheræ subrotundæ.

Germen orbiculatum, depressum, in staminum tubi fundo locatum, supra placentam circumlarem denticulatam, calici super impositam: styli plures (16-28) capillares: stigmata simplicia.

Fructus orbiculato-depressus, pellicula tectus sulcata, in tot partes sive arillos maturitate dehiscente, quot fuerunt sulci, stylorum numero respondententes.

Arilli versus centrum bialati, alis in globum agregatis.

Semina sunt nigra, reniformia, extus convexa, interne acuta.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Pars quævis pelliculæ semen solitarium extima superficie et inferiore, placentæ contigua, tegit; hæc inferior superficies est bifida, et in duo fila excurrit usque ad receptaculum, columnæ scilicet segmentum, quod erigitur in placentæ centro: extima vero superficies integra est, et terminatur versus centrum fructus alis duabus erectis; fenestris remanentibus ubi semina sese tangunt.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Ad hoc genus revocari debet mea *Sida multifida Monadelphix pag. 25 nú-*

(a) Ab alis cristam referentibus CRISTARIAM dixi: Sonneratii CRISTARIA iam olim ad Combretum reducta.

(b) Consulantur, quæ diximus vol. 2 huius operis pag. 47.



mero 53, quam recussam iterumque descriptam dedit nomine Sidæ pterospermæ D. Car. Ludovicus L'heritier pag. 119 tab. 57, et iuxta huius auctoris sententiam revocari etiam debet ad Cristariam *Malacoides Betonica folio incano et prisco P. Ludovici Feuillée, Histoire des plantes pag. 40 tab. 27*. Quare species erunt 1 Cristaria glaucophylla. 2 Cristaria multifida. 3 Cristaria betonicaefolia.

### CRISTARIA GLAUCOPHYLLA. Tab. 418.

460. CRISTARIA caule prostrato; ramis alternis adcurrentibus: foliis lobatis, incisiss, tomentosis, glaucis.

Genus sidæ affine. *Ludov. Née herb. cum Icone.*

Caulis teres, prostratus, tripedalis, ramosus, ramis adcurrentibus, tomento glauco tectis, uti tota planta.

Folia tomento crassa: radicalia profunde trilobata, lobo medio longiore, omnibusque incisiss, segmentis obtusis, quæ sustentantur petiolis fere pedibus, pilosis, pilis fasciculatis albis: caulina vero et ramea gaudent petiolis sensim versus apicem brevioribus, suntque minus profunde incisa. Stipulæ lanceolatæ, marcescentes.

Flores terminales, subpaniculati, pedunculis propriis prope florem articulatis, ad bracteolam axillaribus.

Calix patens, cuius lacinia intus notantur maculis albicantibus.

Corollæ lacinia carnei coloris, obtusæ, unguibus villosis.

Staminum tubus et filamenta dilute cærulea: antheræ saturatiores.

Styli 16-20, violacei: stigmata crassiuscula.

Arillorum alæ translucidæ, erectæ, in globum aggregatæ.

Habitat in arenosis maritimis urbis Coquimbo, vulgo *La Serena* Regni Chilensis; floret atque fructificat mense Aprili. Vidi siccam in herbario laudati Née.

*Explic.* tab. a Staminum tubus. b Germen cum stylis. c Fructus cui subiectus calix. d Placenta in cuius centro columnæ segmentum, ipsique impositus arillus. e Pellicula aucta cum alis. f Semen auctum. g Idem magnitudine naturali. F Folium radicale.

### SIDA CRISPIFOLIA. Tab. 419.

461. SIDA caule fruticoso: foliis cordatis inciso-lobatis; inferne tomentosis, superne punctato-stellatis, marginibus crispis.

Sida. *Née herb. cum Icone.*

Caulis fruticosus, semipedem altus, ramis alternis.

Folia alterna, petiolis longiora, cordata, inciso-lobata, lobis margine crenulatis, crispis; pagina superiore viridia, innumeris punctis exasperata, in quibus pili breves stellati; inferiore tomentosa, tomento rufo. Stipulæ breves tomentosæ.

Flores axillares et terminales, quorum pedunculi sunt petiolis longiores.

Calix tomentosus, magnus, corolla brevior, semiquinquepartitus, lacinis lanceolatis, dentibus crispis.

Corolla cærulea, exsiccatione rubra, segmentis quinque rotundatis, emarginatis, unguibus angustis in unum corpus coalitis cum staminum tubo.

Staminum tubus fuscus, apice in 20 fere filamenta capillaria partitus: antheræ subrotundæ.

Germen in tubi fundo globosum, striatum: stylus simplex, staminibus brevior: stigmata 7 plus minusve nigricantia linearia, plana, crassiuscula.

Capsulæ muticæ tot quot stigmata.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado*; floret mense Decembri 24. Vidi siccam et iconem apud D. Ludovicum Née.



*Explic.* tab. *a* Stamina. *b* Germen, stylus, stigmata. *c* Eadem aucta.  
*Obs.* Seminum numerus ignotus.

SIDA VITIFOLIA. *Tab.* 420.

462. SIDA caule fruticoso: foliis cordatis, lobatis; lobis acuminatis, serratis.  
 Caulis fruticosus, orgyalis, ramosus, ramis alternis, tomentosus.  
 Folia cordata, quinquelobata, lobis tribus superioribus valde acuminatis, serratis; pagina inferiore tomentosa, albicantia, nervis quinque ramosis protuberantibus; superiore subrugosa, et squamulis minimis subrotundis tecta. Stipulae lanceolatae, deciduae.  
 Flores subumbellati magni: pedunculus communis axillaris, solitarius, petiolo subaequalis: partiales bipollicares, articulo prope mediam ipsorum longitudinem instructi.  
 Calix quinquepartitus, tomentosus, laciniis ovato-acutis.  
 Corolla dilute rosea, cuius quinque lacinae ovato-oblongae, emarginatae, prope basim angustae, limbo ciliato.  
 Staminum tubus brevis, basi ventricosus, apice partitus in lacinias (sub 30) capillares, luteas, corolla multo breviores: antherae subrotundae, saturatiores.  
 Germen in fundo tubi staminum globosum, striatum, tomentosum: stylus simplex in novem lacinias oblongas lanatas partitus, quarum stigmata linearia, obtusa, rubentia.  
 Fructus truncatus, calice maior, constatque ex novem capsulis biaristatis, polyspermis, tomentosus. Semina plerumque sex reniformia in unaquaque capsula.  
 Habitat haud procul ab aquis inter Almendral oppidum Chilense, et fundum vulgo *Vina*: floret mense Martio.  $\mathcal{Z}$ . Vidi siccum unicum exemplar in memorato herbario.  
*Explic.* tab. *a* Capsula. *b* Huius valvula cum seminibus. *c* Semen. *d* Stamina. *e* Germen. *f* Stigma auctum.

SIDA HETEROPHYLLA. *Tab.* 421.

463. SIDA caule herbaceo: foliis radicalibus ovato-sinuatis; caulinis tripartitis, lobis incisidentatis, medio longiore.  
 Radix fustiformis, fibris stipata.  
 Caules herbacei, pedales, teretes, subtomentosi ut et tota planta.  
 Folia radicalia numerosa, petiolis teretibus breviora, subovata, sinuata, dentibus aliquot: caulina brevius petiola, profundissime tripartita, lobis incisidentatis, acutis, medio productiore. Stipulae ovato-acutae.  
 Flores axillares, solitarii, pedunculis folio longioribus.  
 Calix tomentosus, ovatus, semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis.  
 Corolla dilute caerulea (sic apparet in sicco), calice triplo maior, cuius quinque lacinae venosae.  
 Staminum tubus brevis, onustus antheris luteis subreniformibus quae sustentantur filamentis brevissimis capillaribus.  
 Germen in fundo tubi staminum, globoso-compressum, striatum: stylus saturate violaceus simplex, brevis, in tredecim lacinias capillares partitus: stigmata obtusa.  
 Fructum non vidi.  
 Habitat in chilensium montium tractu *del Portillo* floretque Martio. Vidi unicum exemplar apud D. Ludovicum Née.  
*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Germen. *c* Staminum tubus.

SIDA DISTICHA. *Tab.* 432.

464. SIDA foliis distiche alternis, ovato-lanceolatis: floribus axillaribus, solitariis.  
 Caulis teres, bipedalis, ramis alternis, subtomentosis.



Folia petiolis longiora, distiche alterna, cordata, ovato-lanceolata, serrata, subtomentosa.

Stipulæ subulatæ, breves, deciduæ.

Flores axillares, solitarii: pedunculi erecti, pollicares et amplius, prope calicem articulati.

Calix semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis.

Corolla patentissima, profunde quinquepartita, laciniis ovatis, basi angustis, saturate luteis, venisque vividioribus.

Staminum tubus pariter luteus, apice in plura filamenta partitus, quæ sunt brevia et capillaria: antheræ subrotundæ.

Germen globoso-compressum: stylus simplex, 12-13 partitus, laciniis capillaribus, corolla brevioribus, stigmata globosa.

Fructus calice paulo brevior, globoso-compressus, ex tot capsulis compositus, quot fuerunt stigmata: capsulæ sunt ovato-acutæ, extus obtusæ, interne qua columnari receptaculo sunt affixæ, angulatæ, uniloculæ, monospermæ, bivalves. Semina globosa, altera parte acuta, superna superficie bisulcata, nigra, tecta foliolo ovato, crispo.

Habitat in Nova-Hispania. Floruit et fructificavit in R. H. Matritense mense Septembri anni 1798.

*Explic.* tab. *a* Germen, stylus, stigmata. *b* Staminum tubus. *c* Fructus. *d* Calix cum receptaculo columnari. *e* Capsula clausa. *f* Eadem dehiscens. *g* Eadem aucta, in cuius centro est foliolum tegens semen. *h* Eadem foliolo reflexo ut appareat semen. *i* Foliolum seiunctum. *k* Semen, omnia aucta. *l* Semen multoties auctum in quo sulci longitudinales.

*Obs.* Seminis forma, et foliolo semen tegente distinguitur a congeneribus.

#### SIDA PINNATA. *Tab.* 422. *Fig.* 1.

465. SIDA subacaulis, foliis imbricatis, pinnatis, inferne tomentosis.

Radix crassa, ramosa, ramis fibrosis, ex qua prope terræ superficiem ramuli prodeunt fasciculati, semipollicem vix longi.

Folia numerosa, imbricata, inferiore pagina tomento incana, sex fere lineas longa, pinnata, pinnulis septem linearibus decurrentibus: petioli plani, basi latiores et prope folium trifidi, lacinia media folium sustinente, lateralibus subulatis ciliatis, quæ pro stipulis habendæ sunt, ut in Monadelphia dixi pag. 277 de Sida phyllantha tractans.

Flores solitarii, sessiles, axillares.

Calix ovatus, villosus, semiquinquepartitus, laciniis acutis.

Corolla in sicco dilute lutea, lineis saturatioribus notata, profundissime quinquepartita, laciniis ovato-oblongis obtusis, unguibus angustis, staminum tubo adnatis.

Staminum tubus, basi ventricosus et germen cingens, est corolla brevior, et versus apicem antheriferus, antheris rubris, subsessilibus.

Germen globoso-compressum, sulcatum (11-13 sulcis): stylus simplex apice in 11-13 lacinias partitus: stigmata crassiuscula.

Fructus globosus, ex tot capsulis monospermis compositus quot fuerunt stigmata. Semina reniformia.

Habitat in radicibus altissimi montis Chimborazo, ibique Sida phyllanthos; floret mense Octobri.  $\mathcal{V}$ . Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Genitalia. *c* Capsula aucta. *d* Semen. *e* Folium.

#### SIDA ACAULIS. *Tab.* 422. *Fig.* 2.

466. SIDA foliis minutis, pinnatis; pinnulis quinque, trifidis, tomentosis.

Radix ut in præcedente.

Folia numerosa, radicalia, minuta, tomentosa, pinnata, pinnulis quinque, trifidis, obtusis: petioli et flores ut in præcedente.



Calix tomentosus, semiquinquepartitus.

Corolla lutea, calice duplo longior, laciniis quinque profundissimis, oblongis, obtusis, basi in unguem attenuatis.

Stamina ut in præcedente.

Germen globosum: stylus simplex: stigmata septem, rubra, incrassata.

Capsulæ septem, minutæ, monospermæ, muticæ.

Habitat floretque cum præcedente  $\mathcal{Z}$ . Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *f* Germen. *g* Idem auctum. *h* Folium.

### MALVA TENELLA. *Tab.* 422. *Fig.* 3.

467. MALVA foliis trilobis, crenatis: floribus ternis, axillaribus, subsessilibus.

Radix albicans, filiformis, fibrillis aliquot.

Caulis herbaceus, humifusus, basi ramosus, gracilis, tripollicaris, villosus.

Folia alterna, petiolis breviora, triloba, lobis crenatis, pagina inferiore pubescentia et glauca. Stipulæ breves setaceæ.

Flores axillares, terni, subsessiles versus ramulorum apicem.

Calix exterior ex tribus setulis villosis: interior ovato-acutus, semiquinquepartitus, villosus, laciniis ovato-acutis.

Corolla vix calice maior, dilute cærulea.

Fructus globosus, umbilicatus, villosus ex novem fere capsulis monospermis compositus: semina reniformia minima.

Reliqua ut in congeneribus descriptis in Monadelphia.

Habitat in montibus vulgo Cordillera de Chile, floretque Februario et Martio  $\odot$ . Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *i* Calices. *k* Calix interior expansus, in cuius centro fructus magnitudine naturali. *l* Fructus auctus. *m* Capsula. *n* Semen.

### ALTHÆA LUDWIGII. *Lin.* *Tab.* 423.

468. ALTHÆA caule erecto; foliis subrotundo-quinquelobatis, lobis tricrenatis: floribus minimis congestis pedunculatis. *Monadelph. pag.* 96. *Tab.* 30. *fig.* 3.

Caulis teres herbaceus pilis aliquot, prope radicem ramosus, ramis prostratis, intermedio excepto, qui erectus est et fere pedalis.

Folia alterna, petiolis breviora, glauca, crassiuscula, cordata, limbo subrotundo, in quinque lobos semipartita, lobis supra latioribus, tricrenatis. Stipulæ ovato-acutæ, ciliatæ.

Flores axillares, glomerati, quattuor aut sex, breviter ut plurimum pedunculati.

Calix duplex, persistens; exterior 8-9 phyllus, foliolis lanceolatis, villosis; interior maior, monophyllus, semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis, ciliatis, hirsutis.

Corolla alba, calice paulo maior, profundissime quinquepartita, laciniis ovato-oblongis, versus basim angustioribus, ibique unum idemque corpus efformantibus cum tubo stamifero, albo, brevior corolla.

Staminum filamenta versus tubi apicem, brevissima: antheræ albæ, reniformes.

Germen tubi stamiferi basi ampliata tectum, globosum, sulcatum: stylus simplex, brevis, in decem lacinias capillares, longas, albas, villosas partitus: stigmata incrassata.

Fructus in fundo calicis hirsutie candidi, constatque decem capsulis monospermis, reniformibus, interne dehiscentibus, sulco unico prominente in dorso: superficies, quibus capsulæ se tangunt, striatæ, striis divergentibus. Semina glabra, nigricantia, reniformia.

Habitat in Sicilia  $\odot$ . Floruit in Regio horto Matritense toto Junio, et Julio anni 1798.

*Explic.* tab. *a* Flos integer magnitudine naturali. *b* Corolla aucta cum genitalibus. *c* Ger-



men. *d* Calices aucti. *e* Fructus intra calicem. *f* Idem seiunctus et auctus. *g* Capsula.  
*h* Semen, *i* Semen magnitudine naturali.

*Obs.* Quamquam in Monadelphia hæc planta elucidata sit, uberiolem hic sisto tabulam atque descriptionem.

PASSIFLORA VIRIDIFLORA. *Tab.* 424.

469. PASSIFLORA foliis peltatis, trilobis: corollis quinquepartitis, viridibus.

*Passiflora. Née herb. cum icone.*

Caulis teres, ruber, præsertim tener, ramosus, scandens.

Folia peltata, triloba, lobis obtusis, basi angustioribus, glabris: petioli teretes prope basim biglandulosi, glandulis ovatis sessilibus: cirrhi rubri. Stipulæ lanceolatæ breves.

Flores axillares, solitarii: pedunculi petiolis longiores, foliis breviores.

Calix nullus.

Corolla viridis, tubulosa, semiquinquepartita: tubus basi amplior, et decemsulcatus, postea sine sulcis, sensim angustior, fere pollicem longus: lacinia patentis, lineares, tubo longiores: e fundo corollæ membranula erigitur cylindrica, tubo corollæ adnata ipsoque paulo longior, quæ terminatur corona ex laciniis erectis teretibus lineam longis.

Genitalium stipes filiformis e fundo corollæ erigitur, et terminatur germine ovato, in cuius apice styli tres, clavati, et totidem stigmata capitata.

Staminum filamenta quinque, planiuscula, summo inserta stipiti sub germine, basi connata, deinde libera: antheræ ovato-oblongæ: pollen luteum. Fructum non vidi.

Habitat in Acapulco viciniis, floretque mense Februario  $\mathcal{N}$ . Vidi siccam, et iconem pulcherrimam apud D. Lud. Née.

PASSIFLORA REFLEXIFLORA. *Tab.* 425

470. PASSIFLORA foliis peltatis, trilobis; lobis obtusis integerrimis; sinibus et petiolis sexglandulosis.

*Passifloræ species. Née herb. cum icone.*

Caulis teres, scandens, glaber, longissimus.

Folia alterna, peltata, glabra, triloba, lobis ovatis integerrimis, quorum sinus sexglandulosi: petiolus folio brevior, et prope ipsum glandulosus, glandulis sexpedicellatis: cirrhi axillares simplices, spirales, glabri. Stipulæ magnæ subreniformes, nervo longitudinali arcuato in duas partes admodum inæquales partitæ.

Flores axillares, pedunculis folio longioribus, ut plurimum solitariis.

Calix triphyllus, foliolis ovatis, setula terminatis, prope florem sessilibus.

Corolla tubulosa: tubus pollicaris et amplius: limbus decempartitus, laciniis coccineis reflexis, tubo subæqualibus, quarum quinque exteriores inferne cinereo-fuscis, apiceque mucrone brevi armatis: faux duplici corona concentrica ornata ex innumeris corpusculis minimis cæruleis erectis.

Stipes duos pollices altus, filiformis, genitalia sustinens, quæ sunt ut in congeneribus.

Habitat Panamaide et prope oppidum Bodegas ad viam quæ in Guayaquilium ducit  $\mathcal{N}$ .

Vidi siccam et iconem absque fructu apud D. L. Née.

*Obs.* Ordine colocanda est post Passifloram serrulatam pag. 459 Monadelphicæ nûm. 634.

PASSIFLORA PEDUNCULARIS. *Tab.* 426.

471. PASSIFLORA caule tetragono: foliis trilobatis, lobis subæqualibus, serratis: pedunculis unifloris, elongatis.



Passifloræ species. *Nee herb.*

Caulis longissimus, scandens, tetragonus, villosus præsertim tener.

Folia alterna, triloba, lobis subovatis, serratis, subæqualibus, superiore pagina nitida, inferiore nonnihil glauca et pubescentia, præsertim tenera: petioli breves tomentosi, glandulis quattuor ornati: cirrhi simplices, spirales. Stipulæ ovato-acutæ serratæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculis crassis, folio duplo et amplius longioribus.

Calix paulo infra corollam locatus, monophyllus, turbinatus, superne ampliatus, et tripartitus, laciniis tricrenatis, crenula media productiore, venosus, tomentosus, fere pollicaris.

Corolla rosea, extus tomentosa: tubus cylindricus calice longior: limbus decempartitus, laciniis interioribus ovato-oblongis, venosis; exterioribus longioribus, extus cinereo-fuscis, et versus apicem setula dorsali instructis: faux glandulis linearibus brevibus stipata, coronæ loco.

Stipes corollæ longitudine, inferne cinctus membrana cylindrica.

Staminum filamenta compressa: antheræ oblongæ virides: pollen flavum.

Germen ovatum, villosum: styli nigricantes: stigmata globosa.

Fructus sphaericus, sesquipollicaris diametri, subvillosus.

Habitat in Guayaquil, et in Regno Peruviano prope Valparaiso et Almendral  $\bar{h}$ . Floret mense Martio. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Corollæ tubus sectus et expansus ut appareat corona, membrana basim stipitis cingens, et genitalia. *b* Fructus.

*Obs.* Hæc species collocari debet post Passifloram Tacso Monadelph. pag. 451. núm. 616.

### PASSIFLORA TRIFOLIATA. *Tab.* 427.

472. PASSIFLORA petiolis trifoliatis: foliis ovato-oblongis, tomentosis.

Passiflora. *Nee herbar.*

Caulis striatus, scandens, tomentosus uti tota planta, tomento albicante, copiosiore in foliis. Petioli alterni, eglandulosi, trifoliati: folia ovato-oblonga, subsessilia, terminata setula brevi, utraque pagina valde tomentosa, inferiore cana: cirrhi simplices, spirales, tomentosi, præsertim teneri. Stipulæ ovato-acutæ, ciliatæ, dentatæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculis folio longioribus.

Calix triphyllus, foliis ovatis, crenatis aut obtuse dentatis, basi obcordatis, limbo ciliato, ciliis teretibus, crassis nigricantibus.

Corolla rosea, extus valde tomentosa: tubus cylindricus, inferne ampliatus basique contra pedunculum excavatus: limbus, faux, corona et genitalia ut in præcedente specie.

Habitat prope Guamantanga Regni perviani oppidum et in viciniis Valparaiso urbis chilensis  $\bar{h}$ . Floret Martio et Aprili. Vidi siccam absque fructu in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Corollæ tubus sectus ut appareat membrana basim stipitis cingens.

### PASSIFLORA PINNATISTIPULA. *Tab.* 428.

473. PASSIFLORA foliis trilobatis, lobis lanceolatis, serratis, subtus canis, medio productiore.

Passiflora. *Nee herbar.*

Caulis sulcatus, tener, tomentosus, scandens, longissimus.

Folia alterna, petiolis tomentosis eglandulosi longiora, pagina superiore glabra et subrugosa, inferiore tomentosa, albicantia; trilobata, lobis lanceolatis, serratis, medio productiore: cirrhi simplices, spirales, tomentosi, præsertim teneri. Stipulæ pinnatæ, pinnulis setosis, fuscis.

Flores axillares, solitarii, pedunculis folio brevioribus.



Calix triphyllus, foliis ovatis, serratis, serraturis setosis.

Corolla roseo-cærulea, extus tomentosa: tubus sesquipollicaris, cylindricus: limbus decem-partitus laciniis ovato-oblongis, sesquipollicem longis: faux pervia cincta corona filamentosa, filis subulatis numerosis, limbo brevioribus.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in Talcahuano et Valparaiso *h.* Floret Martio et Aprili. Vidi absque fructu in eodem herbario.

*Explic. tab. a* Stipula aucta.

## LOUREIRA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

#### *Masculi flores.*

Calix inferus, profundissime quinquepartitus.

Corolla monopetala, tubuloso-campanulata, limbo brevi, quinquepartito, reflexo.

Stamina (8-13) monadelphæ, corolla breviora: antheræ ovatæ: glandulæ quinque circum staminum basim.

#### *Feminei flores in diversa planta.*

Corolla ut in mare: calix corolla longior, persistens.

Germen superum, subrotundo-compressum, cinctum glandulis quinque: stylus teres, corolla brevior, apice bifidus: stigmata lamellata, emarginata aut bifida.

Capsula dicocca marginata, bilocularis, bivalvis. Semina solitaria, globosa, corticata. Albumen carnosum. Embryo teretiusculus, basi acutus.

Cotyledones rotundatæ, planæ, venosæ.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Genus ex Euphorbiarum familia, Iatrophæ affine, a quo differt inter alia stylo simplici et fructu dicocco. Duabus mihi notis constat speciebus, quæ sunt frutices duriusculi, dioici, ramis dependentibus, succo feti gummoso, foliis alternis, stipulatis.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Loureira glandulosa gaudet stigmatibus quattuor; Loureira cuneifolia duobus, emarginatis. Huius fructus est sæpe capsula monococca monosperma.

*Obs. 3.<sup>a</sup>* Descriptiones huius generis, et plantarum numeris 458, 474, 475 legi in Regia Medicinæ Academia die 12 Octobris anni 1797; illas etiam de quibus numeris 476, 481, die 22 Novembris anni 1798. Æri incisas habebam et Botanicis parisiensibus communicaveram novas tabulas meis nominibus inscriptas, quum D. Casimirus Ortega in tertio decadum fasciculo easdem typis dedit atque evulgavit die 29 Ianuarii anni 1799. Iure id fecit quemadmodum et ego, qui nova illius nomina usurparem, nisi incoeptæ elucubrationes impedirent, quæ non exilem fasciculum, sed integrum volumen complectuntur, centum ornatum tabulis. Ad hæc, si quandoque occurrat, nos de eadem egisse planta, quod sæpe mihi cum clarissimis Jacquino et Desfontaines evenit, Botanici poterunt rationum momenti examinatis, quod maluerint nomen retinere.

## LOUREIRA CUNEIFOLIA. *Tab. 429.*

474. LOUREIRA foliis cuneatis, eglandulosis.

Mozinna spathulata. *Ortega decade 8, pag. 105 tab. 13.*

Caulis fruticosus, tripedalis (in R. H. Matritense) ramosus, ramis dependentibus, exasperatus gemmis alternis, globosis, e quibus folia floresque prodeunt. Cortex est glaber uti tota planta et fuso-cinereus, quo vulnerato, liquor fluit pellucidus, qui sensim inspissatur, coloremque induit cinereum.

(a) In honorem Ioannis de Loureiro, qui floram Cochinchinensem duobus voluminibus dedit Ulyssi-

ponæ anno 1790, paratum magna cura 36 annorum spatium.



Folia in novis ramis alterna, ex quorum axillis alia postea prodeunt fasciculata, omniaque sunt cuneiformia, oblonga ut plurimum integerrima, primaria tamen sæpius tripartita, lobis obtusis, medio productiore. Stipulæ rubentes, deciduæ, bifidæ, laciniis inæqualibus subulatis.

Flores e gemma stipata foliis fasciculati et pedunculati in mare; in femina solitarii, aut bini, subsessiles.

Calicis lacinia in femina subvillosa, limboque sæpe bidentato.

Corolla albido-rubra, ore patulo, limboque dilutiore reflexo, laciniis ovatis, obscure fimbriatis, subvillosis.

Staminum filamenta fere tredecim, purpurea, basi in tubum connata: antheræ luteæ, ovata, basi emarginata: glandulæ circum genitalia ovata, obtusæ, virido-rubra.

Capsula dicocca et sæpius monococca, tuncque ovata, amygdalinos fructus teneros quodammodo æmulans, utraque extremitate breviter acuminata, costa prominente cincta quæ a pedunculo ad fructus apicem excurrit.

Habitat in colle Guadalupense leuca fere dissito ab urbe Mexico, ibi observata a D. Ludovico Née *h.* Colitur in R. H. Mat. ubi floruit Julio anni 1795, fructusque dedit eodem mense et Augusto sequentibus annis.

*Explic.* tab. in qua A sistit ramulum maris, B femina. *a* Corolla maris, cui subiectus calix. *b* Corolla secta et expansa. *c* Corollæ auctæ limbus. *d* Stamina in fundo calicis, cincta glandulis. *e* Filamentum auctum. *f* Flos femineus. *g* Germen auctum. *h* Capsulæ, quarum quæ monococca dehiscens duplici integumento. *i* Huius capsulæ sectio ut appareat semen. *k* Seminis sectio transversalis cum crassitie situ et figura albuminis. *l* Eadem longitudinaliter. *m* Embrio cum cotyledonibus.

*Obs.* Si capsula observetur exsiccatione, nondum deformata, occurret cortex exterior viridis semilineam crassus, amygdalino similis, sub quo iacet secundum integumentum cartaceum, albicans, semen involvens, epidermi ulterius lanuginosa tectum.

### LOUREIRA GLANDULOSA. *Tab.* 430.

475. LOUREIRA foliis cordatis, limbo glandulosis.

Mozinna cordata. *Ortega decade 8, pag. 107.*

Caulis fruticosus, quattuor pedes altus, ramis alternis; cuius cortex cinereo-albicans, ex quo vel levissime vulnerato liquor fluit luteus, qui spissatus superficiem sistit lucidam.

Folia alterna, petiolis longiora, cordata, ovato-acuta, superne nitida et saturate viridia, uninervia, nervo ramoso, cuius venulæ usque ad periferiam excurrentes terminantur totidem glandulis pedicellatis. Stipulæ ad basim petioli utrimque duæ aut tres, breves, setosæ, glanduliferæ, deciduæ.

Flores masculi in ramulis dichotomis; feminei in diversa planta gemini aut solitarii, pedunculis brevibus, crassis, ut plurimum axillaribus.

Calicis lacinia in femina lanceolata, striata, limbo glandulosa, quæ augentur cum fructu, cui adpressæ persistunt.

Corolla et glandulæ circum genitalia posita, ut in præcedente.

Staminum filamenta duplici serie; in exteriore quinque breviora, basi brevissime connexa, inter quæ tubus assurgit corolla paulo brevior, apice 3-4-5 partitus; filamentis omnibus antheriferis: antheræ luteæ.

Germen subrotundo-compressum, nitidum: stylus teres, bipartitus, stigmata quattuor.

Capsula dicocca.

Habitat cum præcedente *h.* Floret atque fructificat in R. H. Matr. mense Augusto.

*Explic.* tab. cuius A ramum masculum sistit, B femineum. *a* Flos masculus. *b* Stamina aucta. *c* Flos femineus. *d* Germen. *e* Idem auctum. *f* Fructus. *g* Huius sectio.



ANODA PARVIFLORA. *Tab.* 431.

476. ANODA foliis hastatis : calicis laciniis erectis.

Anoda crenatiflora. *Ortega decade 8 pag. 96.*

Caulis sexquipedalis, teres, erectus, villis aliquot.

Folia alterna, petiolis longiora, hastata, serrata, infima cordata et vix lobata. Stipulæ subulatae, deciduae.

Flores solitarii, axillares : pedunculi petiolis longiores, prope apicem articulati.

Calix semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis, fructiferis erectis, non in stellam apertis ut in congeneribus.

Corolla dilute lutea, laciniis crenulatis, orbiculatis : prope basim in unguem angustatis, tuboque stamifero adhærentibus.

Staminum tubus brevis : antheræ subrotundæ.

Germen hemisphæricum, truncatum : stylus simplex, albicans, filiformis, apice 9-10 partitus, laciniis revolutis : stigmata alba, capitata.

Capsula calice paulo brevior, hemisphærica, supra stellato planta, multilocularis, dissepimentis evanescentibus, multivalvis : loculamenta, valvulæ et semina tot quot stigmata.

Semina solitaria in loculamentis, nigra, tuberculis exasperata, compressiuscula, dorso rotundato latiora, intus acuta apice, quo columnæ adiacent.

Habitat in valle Queretaro Novæ-Hispaniæ. Floruit in Regio horto Matritense mense Septembri.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla expansa. *c* Germen, stylus. *d* Capsula cum calice. *e* Eadem calice revoluta. *f* Capsulæ sectio perpendicularis ut appareat columnare receptaculum. *g* Semen auctum cum ei respondente valvula. *h* Fructus tener horizontaliter sectus ut appareant loculamenta.

*Obs.* Huius speciei capsulæ orbantur rostris, quæ plus minusve producta apparent in congeneribus : calix item fructifer non ita expansus ut in ceteris speciebus.

BROTERA. <sup>(a)</sup>

## CHARACTER GENERICUS.

Calix duplex: exterior triphyllus, unilateralis, foliolis acutis: interior monophyllus profunde quinquepartitus, laciniis lanceolatis, persistentibus.

Corollæ petala quinque, subrotunda, basi angusta staminum urceolo affixa.

Staminum filamenta 10-20, corolla breviora, quorum quinque sterilia, longiora, latiora cum reliquis alterna: omniaque basi coalita in anulum, germen cingentem: antheræ erectæ, oblongæ, subsagittatæ.

Germen globosum, quinq̄sulcatum: styli quinque, aut simplex quinq̄fidus: stigmata simplicia.

Fructus: capsula ovata, quinq̄sulcata, quinq̄loocularis, quinq̄valvis, valvulis dissepimento oppositis, loculis polyspermis.

Semina ovata receptaculo columnari affixa.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Genus hoc differt a *Dombeya* capsula unica quinq̄looculari; quemadmodum *Hibiscus* a *Pavonia*. Quare *Dombeya* phoenicea *Monadelphiciæ* pag. 129 núm. 184 ad *Broteram* pertinet.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Duæ hucusque mihi notæ species herbaceæ, quarum *Phoenicea* staminibus gaudet 15 fertilibus; *Ovata* quinque.

(a) In honorem D. Felicis Avellar Brotero Botanices Professoris in Academia Conimbricensi.



BROTERA OVATA. *Tab.* 433.

477. BROTERA foliis ovatis, serratis: pedunculis axillaribus, 2-3 floris.  
 Radix ramosa, caulis teres, sesquipedalis, ramis alternis, erectis, brevi tomento canis.  
 Folia alterna, petiolis longiora, ovata, serrata, serraturis inæqualibus. Stipulæ subulatæ, breves, deciduæ.  
 Florum pedunculi axillares, solitarii, erecti, prope apicem bi-trifidi, bi-triflori.  
 Calicis exterioris foliola acuta, atque breviora calice interiore, cuius lacinia lanceolata, acuta, fructui adpressæ.  
 Petala calice breviora, luteo-rubentia, venosa, marcescentia, vix aperta.  
 Stamina filamenta decem rubentia: antheræ luteæ.  
 Germen tomentosum: styli quinque, fusco-rubri.  
 Capsula tomentosa, ovata: semina nigricantia, punctata.  
 Habitat prope Huanajuato in Nova-Hispania. Floruit atque fructificavit in R. H. Matritense mense Septembri anni 1798.  
*Explic.* tab. *a* Floris capitulum. *b* Corolla expansa et stamina. *c* Stamina aucta. *d* Petalum auctum. *e* Germen. *f* Idem auctum. *g* Capsula cum calicibus. *h* Capsulæ sectio. *i* Capsula dehiscens. *k* Semen. *l* Idem auctum.

PAVONIA SPIRALIS *Tab.* 434.

478. PAVONIA foliis ovato-acutis, serratis: floribus solitariis, petalis convolutis, basi auriculatis.  
 Caulis fruticosus, orgyalis, ramis alternis.  
 Folia alterna, petiolis longiora, cordata, ovato-acuta, acumine producto, serrata, serraturis alternatim brevioribus. Stipulæ subulatæ, breves.  
 Flores axillares, solitarii, pedunculis erectis, pollicaribus.  
 Calix duplex persistens: exterior ex novem foliolis linearibus villosis; interior semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis.  
 Corollæ petala quinque, coccinea, venosa, in spiram convoluta (quemadmodum in Hibisco spirali et Malvavisco), ovato-oblonga, prope basim altero latere auriculata, basi angustata atque in unum corpus coalita circa staminum tubum, qui est filiformis, corolla longior, in spiram tortus, glaber, coccineus, prope apicem staminibus brevissimis stipatus: antheræ ovatæ.  
 Germen ovatum, quinesulcatum, tectum basi tubi: stylus tubo paulo longior ibique 10-partitus, laciniis capillaribus, quarum duæ breviores: stigmata globosa.  
 Fructus coccineus: capsulæ quinque bivalves monospermæ, in globum adproximatæ intra calicem. Capsulæ sunt inermes, extus obtusæ, interne acutæ. Semen capsulæ æmulatur figuram, cuius funiculus umbilicaris tenuis, basi acutæ seminis adhærens.  
 Habitat in insula Taboga quinque leucis a Panamaide seiuncta. Floret atque fructificat mense Novembri  $\bar{h}$ . Vidi siccam et pulcherrimam iconem apud D. Lud. Née.  
*Explic.* tab. *a* Calices. *b* Corolla expansa cum genitalibus. *c* Fructus. *d* Capsula. *e* Huius valvulæ. *f* Semen.

MUSSÆNDA TETRACANTHA. *Tab.* 435.

479. MUSSÆNDA caule arborescente; ramis oppositis, horizontalibus: foliis lanceolatis, teneris tomentosis.  
 Arbol de las cruces. *Nee herb. cum icone.*  
 Caulis arborescens, decem pedes altus, valde ramosus, ramis oppositis, fere horizontalibus,



- teretibus, cortice glabro albicante. Ramuli prope extremitatem armantur spinis quattuor subulatis.
- Folia opposita, lanceolata, utrimque valde acuminata, petiolis multoties longiora, uninervia, nervo ramoso: tenera tomentosa.
- Flores in ramulorum summitatibus sessiles, fere semper quattuor, suffulti basi squamulis imbricatis, concavis, marcescentibus, deciduis, quarum cicatrices remanent.
- Calix deciduus, semipollicaris, tubulosus, altero latere fissus, terminatus dentibus quinque subulatis.
- Corolla dilute lutea, monopetala, infundibuliformis: tubus villosus duos pollices et amplius longus: limbus patens, quinquepartitus, laciniis obovatis cum acumine, margine altero rectiore.
- Staminum filamenta vix ulla: antheræ luteæ, lineares, apice acutæ, basi obscure emarginatæ, summo tubo infra faucem insertæ.
- Germen ovatum in fundo calicis decidui (ut in *Metrosidero*): stylus luteus, tubo paulo brevior, sensim incrassatus: stigmata duo lamellata.
- Bacca bilocularis, ovi columbæ magnitudine, cuius pellicula cartacea et fusca (in sicco): coronatur sæpe tribus foliolis brevissimis inæqualibus.
- Habitat copiose in Acapulco haud procul a mare inter *Rhizophoras*  $\bar{h}$ . Floret atque fructificat mense Febuario. Vidi siccam et iconem pulcherrimam apud D. L. Née, qui *Mussændam* frondosam Linnæi reperit in Amicorum insula *Babao* dicta.
- Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem expansus usque ad subiectum germen. *c* Corolla expansa ut appareat antherarum situs. *d* Anthera aucta. *e* Germen, stylus, stigmata. *f* Bacca ab avibus perforata.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Baccas biloculares esse ex embryonis sectione et ex cicatricibus in baccis maturis remanentibus cognovi; attamen neque semina vidi neque loculamentorum figuram, quia aves pulpæ huius fructus avidissimæ, baccas adhuc teneras diverse corroduunt, pulpa et seminibus eas denudantes.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Hæc nostra planta valde affinis est *Mussændæ spinosæ* Linnei, vivis coloribus expressæ a Cl. Jacquinio Amer. tab. 71 a qua differt calice monophyllo tubuloso apice dumtaxat quinquentato, corollæ magnitudine et laciniarum forma, necnon et foliorum figura. Si vero *Mussændæ spinosæ* Linnæi ad *Randiæ* genus vere pertinet, dicente de Jussieu *Gen. plant. pag. 200*, ad idem genus revocanda erit hæc nostra *tetracantha*. Nihilominus oportet prius fructum attente examinari atque receptaculi formam ut certo de genere pronuncietur.

*Obs.* 3.<sup>a</sup> In herbario D. L. Née fragmenta vidi arboris vulgo *de las Cruces*, quæ prope San Buenaventura oppidum peruvianum crescit, cuius folia sunt sæpius apice obtusa, et baccæ breviter pedunculatæ. An præcedentis varietas?

### CANTHIUM <sup>(a)</sup> PEDUNCULARE. *Tab.* 436.

480. CANTHIUM foliis ovato-acutis subsessilibus, spinis oppositis axillaribus, florum pedunculis folio longioribus.
- Caulis fruticosus, 8-10 pedes altus, valde ramosus, ramis oppositis, teneris villosis, cortice fusco.
- Folia opposita, et aliquando quaterna subsessilia, ovato-acuta, pagina inferiore subvillosa et veluti punctata. Stipulæ subulatæ, brevès: spinæ axillares, oppositæ, folio breviores.
- Flores axillares, inter spinam et petiolum, solitarii, oppositi: pedunculi villosi folio longiores, prope folium bisquamati.

(a) Hoc genus *Randiæ*, affine, a *Webera* tamen vol. 1 *Encycl. pag. 602* et post ipsum D. de Jussieu Schreberii valde diversum, evulgavit D. de Lamarck *Gen. pag. 204*.



Calix superus, persistens, minimus, dentibus quinque subulatis.  
 Corolla dilute violacea, monopetala, cuius tubus brevis, interne prope faucem tomentosus:  
 limbus patens quinquepartitus, laciniis lanceolatis, acutissimis, patentibus.  
 Stamina filamenta quinque, corolla breviora, summo tubo inter lacinias inserta: antheræ  
 luteæ, ovato-oblongæ, erectæ.  
 Germen inferum, turbinatum: Stylus corolla paulo longior: stigma globosum.  
 Fructus est bacca obovata, nonnihil compressa, umbilicata, umbilico calice coronato, sul-  
 cata, cortice tenui tecta, bilocularis, disperma. Semina ovata cortice duro, dorso conve-  
 xa, interne plana.  
 Habitat in Insulis philippicis, et præsertim in Mindanao dicta ad præsidium Sambuangan.  
 Floret et fructificat Decembri  $\bar{h}$ . Vidi siccam in eodem herbario.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Calix. *c* Corolla expansa. *d* Calix auctus. *e* Corolla laciniis  
 revolutis ut appareant stamina. *f* Fructus. *g* Huius sectio. *h* Semen corticatum. *i* Idem  
 secto cortice.

### MIRABILIS AGGREGATA. Tab. 437.

481. MIRABILIS calibus trifloris.

*Calyxhymenia aggregata. Ortega decade 7, pag. 81 tab. 11.*

Cotyledones transversim ovati.

Radix descendens, ramosa, ex qua caulis adsurgit, teres, pedalis, decumbens, ramis alter-  
 nis, erectis.

Folia glauca, opposita, breviter petiolata, inferiora oblongo-ovata, reliqua sensim angustio-  
 ra, sublanceolata, limbo crispo, scabro setulis minimis, nudo oculo vix conspicuis, uni-  
 nervia, nervo ramoso.

Flores solitarii, axillares, pedunculis brevibus cernuis.

Calix communis triflorus, monophyllus, villosus, globosus, semiquinquepartitus, laciniis  
 ovato-acutis; fructifer auctus; minime vero expansus in peltam ut in Mirabili viscosa et  
 corymbosa: partialis nullus.

Corolla supera, monopetala, rosea: tubus brevissimus: limbus campanulatus, erecto pa-  
 tens, minimus, quinquepartitus, laciniis ovatis.

Stamina filamenta tria, brevissima, inserta germinis apici nonnihil cavo: antheræ ovata,  
 didymæ, flavæ.

Germen superum respectu calicis, respectu corollæ inferum, ovato-turbinatum, pentago-  
 num, angulis obtusis prominulis: stylus violaceus, corolla longior, in spiram convolutus:  
 stigma globosum.

Nux monosperma, ovato-turbinata, pentagona, angulis obtusis protuberantibus.

Habitat in viciniis Sancti Augustini de las Cuevas in Nova-Hispania. ☉. Floruit in Regio  
 horto Matritense mensibus Augusto et Septembri 1798.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Genitalia et paulo altius corolla longitudinaliter secta, expansa et  
 aucta. *c* Calix fructifer auctus. *d* Idem floridus etiam auctus. *e* Genitalia aucta. *f* Nux  
 magnitudine naturali. *g* Eadem aucta. *h* Huius sectio. A Nova plantula cum cotyledo-  
 nibus.

### GARMONA. (a)

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix persistens, profundissime quinquepartitus, laciniis angustissimis.

Corolla monopetala: tubus brevis: limbus quinquepartitus, laciniis ovatis.

(a) Genus dicatum Brunoni Salvatori Carmona delineatori, Petri Loefflingii itineris in Orinocum socio.



Staminum filamenta quinque, basi tubi adfixa, laciniis alterna: antheræ ovato-oblongæ, didymæ.

Germen superum, globosum: styli duo, capillares: stigmata simplicia.

Drupa globosa, nucem fovens sexlocularem. Semina oblonga solitaria in quolibet loculamento.

CARMONA HETEROPHYLLA. *Tab. 438.*

482. CARMONA foliis alternatim fasciculatis: floribus racemosis.

Caulis fruticosus teres, 6-8 pedes altus, ramis alternis.

Folia alternatim fasciculata ex tuberculo prodeuntia, petiolis brevibus sustentata, suntque oblongo-ovata, aliquando integra, sæpius tamen apice tridentata, pagina inferiore et limbo villis aliquot, superiore nitida, punctis innumeris albicantibus variegata, squamularum instar e quarum centro setula prodit alba brevis.

Flores racemosi, racemo e foliorum fasciculo prodeunte, stipato quandoque floribus aliis solitariis quorum pedunculi semipollicares.

Calix villosus, in quinque lacinias lineares adeo profundissime partitus ut pentaphyllus appareat.

Corolla calice longior, dilute rubens (in sicco.)

Staminum filamenta rubra, corolla breviora: antheræ erectæ.

Germen globosum, glabrum: styli capillares, corolla paulo longiores.

Drupa fere exsucca, globosa cum brevi acumine, piperis grano minor: nux sexlocularis: semina ovato-oblonga.

Habitat prope Manbulao in insula Luzon, et in Humatæ, altera ex Marianis haud procul a mare in sepibus agrorum ubi Cocos colitur. Floret a Februario ad Aprilem  $\bar{h}$ . Vidi siccam in herbario Ludovici Née.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla. *c* Calix germen fovens. *d* Calix auctus. *e* Filamentum auctum. *f* Calix cum fructu. *g* Fructus a calice seiunctus. *h* Drupa aucta cuius tegumentum transverse sectum. *i* Drupæ absque tegumento sectio. *k* Semen auctum.

SOLANUM PINNATUM. *Tab. 439. Fig. 1.*

483. SOLANUM caule herbaceo, sulcato; foliis pinnatis: floribus corymbosis.

Caulis herbaceus, bipedalis, erectus, sulcatus, et fere alatus ex decursu foliorum.

Folia alterna, imparipinnata, pinnulis trijugis decurrentibus, in petiolum attenuata, a quo hinc inde deorsum sulci excurrunt prominuli

Flores terminales corymbosi, corymbo ramoso: rami dicothomi; pedunculi partiales vix semipollicares.

Calix semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis.

Corolla saturate lutea (in sicco), rotata, semiquinquepartita, laciniis ovatis, venosis.

Staminum filamenta quinque brevissima: antheræ luteæ, nonnihil divergentes, apice biperforatæ.

Germen globosum: stylus antheris paulo longior: stigma clavatum.

Bacca globosa, glabra, nigra, vix pisi magnitudine.

Habitat prope Coquimbo in Chile ☉. Floret Aprili. Vidi siccum in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer.

*Obs.* Plantam præcedenti affinem iconeque depictam, ex Coquimbo et Lima traxit D. Née, cui flores cærulei et minores, foliaque paulo ampliora sunt.

SOLANUM PYGMÆUM. *Tab. 439. Fig. 2.*

484. SOLANUM caule pollicari, foliis trilobis.

Caulis herbaceus, simplex, pollicem altus, terminatus floribus ut plurimum binis



Folia alterna, minima, petiolis longiora, triloba, lobo medio elongato, obtuso.  
Flores terminales, bini, quorum pedunculi vix trium linearum, florentes erecti, fructiferi deflexi.

Calix ut in precedente.

Corolla dilute cærulea, profunde quinquepartita, laciniis sublinearibus.

Staminum filamenta brevissima: antheræ luteæ, oblongæ, erectæ, biperforatæ, vix conni-  
ventes.

Germen globosum, villosum: stylus antheris longior: stigma clavatum.

Bacca minuta, villosa, globosa.

Habitat in planitie vulgo *Pampas de Buenos Ayres*, haud longe a Ballesteros ☉. Floret  
Septembri. Vidi siccum in laudato herbario.

*Explic.* tab. *b* Flos integer auctus. *c* Bacca aucta.

### CEANOTHUS ASIATICUS *Linnæi. Tab. 440. Fig. 1.*

485. CEANOTHUS foliis ovatis cum acumine, serratis; floribus axillaribus, numerosis.

Ceanothus foliis ovatis, trinerviis (errore proculdubio typographico *enerviis*). *Linn. sp. pl.*  
*vol. 1 pag. 550.*

Ceanothus foliis ovatis, serrulatis, basi trinerviis, pedunculis axillaribus, ramosis, multiflo-  
ris, foliis brevioribus. *Lamarck Il. gen. pentand. monogy. pag. 89. tab. 129.*

Grossularia spinis vidua, baccis in racemo congestis, spadiceis, foliis crenatis, ovato-acumi-  
natis. *Burm. Zeyl. pag. 111 tab. 48 Katapa Hort. Mal. vol. 5 pag. 93 tab. 47.*

Caulis fruticosus, biorgyalis, ramis alternis, cortice rufescente.

Folia alterna, ovata cum acumine producto, serrata, pagina superiore atroviridia et nitida,  
inferiore dilutiora; basi trinervia, nervis ramosis: petioli breves.

Flores pedunculati, axillares, numerosi.

Calix turbinatus, semiquinquepartitus, minimus, persistens, laciniis acutis, in stellam apertis.

Corolla lutescens, calice paulo brevior: petala quinque, cucullata, ungue tenui, calicis la-  
ciniis alterna.

Staminum filamenta quinque in cucullis recondita: antheræ ovatæ, luteæ.

Germen ovatum, receptaculo plano immersum: stylus minimus, trifidus.

Fructus pendulus, pedunculo elongato, estque capsula hemisphærico trigona, trilocularis,  
trivalvis, valvulis cartilagineis. Semina solitaria in unoquoque loculamento, suntque ova-  
ta, hinc gibba inde plana.

Habitat prope Guinapatan in Luzonensi insula, et passim in Samboangan insulæ Mindano.

Floret Aprili *h.* Vidi siccum in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Flos integer. *c* Idem auctus. *d* Idem corolla orbatus. *e* Capsula.  
*f* Eadem dehiscens. *g* Semen.

*Obs.* In *Linnæi* definitione errorem suspicor typographicum *enerviis* scilicet pro *triner-  
viis*: quia ad suam ipse plantam revocat Burmani *grossulariam* supra citatam cuius folia  
sunt basi trinervia. *Lamarck* de *Ceanotho asiatico* disserens in generum Illustratione, *Linnæi*  
synonimiam supressit, cuius loco Horti Malavarici KATAPAM adiunxit, mutuans ex huius  
auctoris tabula 47 incompletum fructificationis systema. Quod ut integrum appareat meæ-  
que plantæ a Malavarica varietas in foliorum serraturis, necnon et in ipsorum acumine in  
mea productiore, tabulam delineavi, haud ingratham ni fallor rei herbariæ studiosis.

### UTRICULARIA TENUIS. *Tab. 440. Fig. 2.*

486. UTRICULARIA scapo sesquipollicem alto, unifloro.

*Utriculariæ species nova. Nee herb. cum icone.*



Radices capillares utriculis minimis globosis ornatæ, ex quibus scapus adsurgit tenuis, sesquipollicem altus, prope apicem bi-trisquamatus, squamulis minimis e quarum centro pedunculus sesquilineam longus prodit fere semper solitarius et uniflorus.

Calix diphyllus, foliolis ovatis concavis, (quæ persistentia vidi in exemplaribus siccis.)

Corolla lutea, vix tubulosa, irregularis, bilabiata, labiis ovatis integris; quorum superius planum, erectum; inferius duplo minus et dependens; et inter labia palatum cordatum prominulum limbo superiore rubro: corolla basi postica instruitur calcari quod labio inferiore duplo longius est.

Staminum filamenta duo, fusca, palato breviora: antheræ globosæ separatæ.

Germen globosum: stylus brevis, apice obscure bifidus.

Capsula globosa, parva: semina numerosa, minutissima.

Habitat in humidis prope Urbem Coquimbo in Chile, ubi D. Nee florentem vidit mense Aprili ☉. Apud ipsum vidi siccam, et Iconem accuratam ac nitidam.

*Explic.* tab. *h* Corolla absque palato ut appareant stamina. *i* Germen. *k* Capsula. *l* Semina.

### CALCEOLARIA POLYRHIZA. Tab. 441.

487. CALCEOLARIA foliis ovatis in petiolum alatum attenuatis: floribus umbellatis.

Calceolaria species. *Nee herb. cum icone.*

Ex radice oblique descendente plures oriuntur perpendiculares, teretes, fuscæ, fibrillis aliquot ornatæ: caulis vix pollicaris, foliis tectus quæ sunt ovata in petiolum alatum attenuata, fere imbricata, ut plurimum integerrima, aliquando etiam obscure denticulata.

E summitate caulis pedunculus communis erigitur 3-4 pollices altus ibique foliolis duabus brevibus sessilibus ornatus: radii subquinque ut plurimum uniflori.

Calicis lacinia quattuor, persistentes, ovata, tristriata, subvillosæ, inferiore paulo angustiore.

Corolla lutea punctis rubris variegata: labium superius breve, concavum, coarctatum; inferius fere pollicare, calceiforme, inflatum, antice hians, apice ascendens.

Staminum filamenta duo, brevissima, subulata, basi dilatata, lutea, corollæ prope tubum brevissimum inserta: antheræ luteæ, bilobæ, lobis patentissimis unilocularibus.

Germen ovato-conicum: stylus staminibus paulo altior: stigma obtusum.

Capsula ovato-conica, bisulca, bilocularis, bivalvis; valvis apice bifidis. Semina numerosa, oblonga: receptacula dissepimento adnata.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado* in locis humidis, et iuxta portum Egmont in insulis Maclovianis, aut Falklandi. Floret Decembri. Vidi siccam et iconem pulcherrimam apud D. Ludovicum Née e cuius herbario sunt sequentes species.

*Explic.* tab. *a* Calix cum germine. *b* Corolla postice spectata. *c* Stamina. *d* Capsula dehiscens. *e* Huius sectio, et ad latera valvulæ. *f* Semina. *g* Semen auctum.

### CALCEOLARIA FOTHERGILII Aiton. Tab. 442. Fig. 1.

448. CALCEOLARIA foliis spathulatis, crenatis, villosis: pedunculis scapiformibus unifloris.

Calceolaria foliis spathulatis integerrimis, pedunculis scapiformibus unifloris. *Ait. Kewens. I pag. 30 tab. I apud Lamarck II. generum pag. 52 tab. 15 fig. 1. Willdenow sp. pl. vol I pag. 108.*

Calceolaria nova. *Nee herb. cum icone nitidissima.*

Radix teres, descendens, postea obliqua et fibrosa, fusca, ex qua caulis exsurgit pollicem altus, sæpe prope radicem divisus, in quo folia sunt opposita, basi connata, approximata: hæc sunt spathulata, crenato-serrata, villosa, pollicem et amplius longa. Pedunculi terminales, solitarii, teretes, villosi, uniflori, tres-sex pollices alti.



Calicis lacinia ovato-acuta, apice inflexo, extus pilosa, lineis tribus protuberantibus.  
 Corollae labium superius subrotundum, concavum, apiculo acuto inflexo, luteum, limbo rubro: inferius descendens et quasi pendulum, superiore triplo longius, inferna parte inflatum, superne hians, subtus dilute flavescens, supra ad latera saturate rubrum, circa medium luteum, fascia rubra variegatum: faux magna aperta, tetragono-ovata.  
 Stamina filamenta lutea, corollae lateribus ad basim faucis inserta.  
 Germen ovato-conicum: stylus crassus: stigma incrassatum.  
 Reliqua ut in praecedente cum qua habitat et floret.  
*Explic.* tab. *a* Stamina. *b* Capsula. *c* Eadem dehiscens. *d* Semina.  
*Obs.* Haec est varietas Calceolariae Fothergillii, cuius primitivam iconem horti Kewensis nondum vidi.

### CALCEOLARIA PINIFOLIA. Tab. 442. Fig. 2.

489. CALCEOLARIA foliis linearibus, angustissimis, confertis, limbo revolutis.  
 Calceolaria. *Nee herb.*  
 Radix crassa, perpendiculariter descendens, ex qua caules prodeunt vix pollicares, prope ipsam saepius divisi.  
 Folia numerosissima, opposita et veluti imbricata, pollicem et amplius longa, vix semilineam ampla, limbo utroque usque ad nervum longitudinale revolutis, quo fit ut fere teretia appareant.  
 Florum pedunculi communes solitarii, terminales, teretes, glabri, sesquipollicem alti, ibique bifidi, foliolis stipati duobus linearibus: ii iterum iterumque dichotome partiuntur, foliolis ad dichotomiam duobus, brevibus, ovato-acutis. In dichotomiis pedicelli duo uniflori.  
 Corolla lutea calceiformis, cuius labium superius minimum: antherae luteae, patentes: capsula minuta.  
 Reliqua ut in praecedentibus, at omnia minora.  
 Habitat in altissimo monte vulgo *Cordillera de Chile*, in tractu del *Planchón*: floret Ianuario. Vidi siccam.  
*Explic.* tab. *e* Calix cum germine. *f* Corolla cum staminibus. *g* Stamina aucta. *h* Capsula dehiscens. *i* Semina.

### CALCEOLARIA LOBATA. Tab. 443. Fig. 1.

490. CALCEOLARIA caule erecto dichotomo: foliis cordatis, lobatis, tomentosis.  
 Calceolaria. *Nee herb.*  
 Caulis bipedalis, rubescens, pilosus: rami dichotomi consimiles.  
 Folia opposita, petiolis valde pilosis breviora, cordata, quinquelobata, lobis brevibus, acutis, serraturis aliquot; superiore pagina viridia et subtomentosa, inferiore cana tomento molli.  
 Flores terminales, pedicellis duobus unifloris, duobus aliis lateralibus trifidis trifloris.  
 Calicis laciniae ovatae, trisulcatae.  
 Corolla lutea, pollicem longa, cuius labium superius breve concavum, antheras minime tegens: inferius inflatum, notatum lineis longitudinalibus quae a pagina inferiore ad superiorem excurrunt usque ad calcei aperturam.  
 Reliqua ut in praecedentibus. Fructus deers.  
 Habitat in siccis prope Guaranda iuxta iter quod ducit ad Chimborazo, et in Regno peruviano.  
*Explic.* tab. *a* Stamina.



CALCEOLARIA CANA. *Tab. 443. Fig. 2.*

491. CALCEOLARIA foliis oppositis, confertis, crassis, lanatis, ovatis, inferne attenuatis.  
Calceolaria. *Nee herbar.*

Radix crassa et sublignosa, ex qua caulis prodit durus, bipollicaris, prostratus, apice erectus, hincque fere aphyllus elevatur ad sesquipedalem altitudinem, teres, ruber, glaber: partitur primo in duos ramulos consimiles, suffultus ad bifurcationem foliolis duobus tomentosis, et iterum in dichotomias plures, floriferas.

Folia sunt candida, dense tomentosa, integerrima, ovata, inferne angustiora, opposita et approximata, caulem prostratum tegentia: in parte erecta, dichotomiis exceptis, folia duo opposita observantur a præcedentibus parum distantia.

Flores in dichotomiis bini, pedicellis propriis.

Corollæ luteæ breves, congenerum forma.

Capsula et calices ut in Calceolaria pinifolia cum qua vivit et floret.

Vidi siccam in laudato herbario.

*Explic. tab. a* Calix auctus cum germine. *c* Stamina aucta.

CALCEOLARIA MONTANA. *Tab. 444. Fig. 1.*

492. CALCEOLARIA foliis radicalibus spathulatis, rugosis, tomentosis, inæqualiter dentatis.  
Calceolaria. *Nee herb.*

Caulis pedalis et sæpe sesquipedem altus, teres, rubescens, aphyllus, usque ad bifurcationem, tomento tectus, quo vetustate orbat.

Folia radicalia spathulata, rugosa, tomento cana, inæqualiter dentata, et petiolata: quæ in bifurcationibus existunt, sessilia et ovata.

Flores corymbosi, corymbis binis, pedunculis propriis pollicaribus.

Calix venosus, laciniis ovato-acutis, trinervis.

Capsulæ glabræ.

Habitat in *Cordillera* chilensi: floret Decembri. Vidi siccam absque flore in memorato herbario.

CALCEOLARIA LANCEOLATA. *Tab. 444. Fig. 2.*

493. CALCEOLARIA foliis lanceolatis integerrimis: pedunculis terminalibus, unifloris, solitariis.

Calceolaria. *Nee herb.*

Caulis semipollicaris, ramis oppositis, teretibus.

Folia lanceolata: radicalia petiolata; ramea sessilia et basi subconnata, omnia integerrima et subvillosa.

Flores solitarii, pedunculis terminalibus.

Calicis laciniæ ovato-acutæ, extus tristriatæ et subvillosæ.

Corolla lutea, cuius labium superius breve; inferius sensim amplius.

Antheræ patulæ, luteæ. Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado* et in insulis Maclovianis. Floret Decembri. Vidi siccam.

CALCEOLARIA FERRUGINEA. *Tab. 445. Fig. 1.*

494. CALCEOLARIA foliis linearibus, margine revolutis, subtus tomentosis: umbellis florum terminalibus, binis.



*Calceolaria. Nee herb.*

Caulis teres, durus, bipedalis, erectus, valde tomentosus.

Folia opposita, sessilia, duos pollices longa, duas lineas lata, pagina superiore nuda et saturate viridia, inferiore tomento rufo tecta, margine revoluta et uninervia: ex axillis ramuli prodeunt breves, cauli consimiles.

Flores umbellati, umbellis binis terminalibus: radii semipollicares, fere septem, ad quorum basim folia duo.

Calix tomentosus, laciniis quattuor ovatis.

Corolla saturate lutea, cuius labium superius concavum, antheras tegens; inferius turgidum, ovatum.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in solo sæpe inundato aquis fluminis Blanco, octo leucis ab oppido Curico in radicibus *Cordillera* montis Chilensis. Vidi siccam absque fructu.

*Obs.* Affinis videtur hæc planta *Calceolaria* rosmarinifolia Lamarck *Dict. vol. 1 pag. 556*, quam nusquam vidi, cuique caulis glaber, floresque corymbosi sunt ut ipse scripsit.

### CALCEOLARIA ALTERNIFOLIA. *Tab. 445. Fig. 2.*

495. *CALCEOLARIA* foliis linearibus, alternis, sparsis: florum pedunculis axillaribus, trifloris.

*Calceolaria. Nee herb.*

Caulis bipedalis et amplius, erectus, sulcatus et tomentosus, præsertim tener.

Folia linearia, angustissima, vix pollicem longa, margine revoluta et inferne tomentosa, sessilia, alternatim sparsa.

Flores versus caulium summitates axillares: pedunculus communis folio subæqualis, solitarius, apice trifidus, triflorus, foliolis duobus instructus.

Calix parvus laciniis ovatis, extus villosis, trinerviis.

Corolla lutea resupinata: labium superius concavum, breve; inferius longum, prope faucem angustum, sensimque versus apicem amplius et inflatum.

Capsula parva. Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in siccis prope oppidum *San Buenaventura el viejo* in Regno Peruviano. Floret Junio et Julio. Vidi siccam.

*Explíc.* tab. *a* Stamina aucta. *b* Flos auctus.

*Obs.* Species notatu digna foliis alternis.

### CALCEOLARIA CRENATIFLORA. *Tab. 446.*

496. *CALCEOLARIA* foliis ovatis, parce tomentosis: floribus corymbosis, corolla tricrenata.

*Calceolaria. Nee herb. cum icone.*

Radix obliqua, ramosa, ex qua caulis assurgit sesquipedalis, subtomentosus, versus apicem bipartitus.

Folia parce tomentosa: radicalia ovata, inæqualiter dentata, petiolis subæqualia, inferne cuneata; caulina vero ovato-acuta, quorum inferiora petiolis brevibus, superiora sessilia.

Flores corymbosi; flos quilibet pedunculo pollicari et amplius sustentatus.

Calicis lacinia ovato-acuta, trinervia, nervis venosis; fructifera patentis.

Corolla oblonga lutea, maculis rubris ovatis minimis variegata in labio inferiore; cuius apex tricrenatus; labium superius concavum, orbiculatum, antheras semitegens.

Stamina duo, brevia, basi crassiora: anthera lutea biloba, lobis patentissimis.

Capsula calice brevior, valvulis cartaceis, fulvis.



Habitat in humidis Sancti Caroli de Chiloe inter montium radices et mare. Floret Februario. Vidi siccam et iconem accuratam apud D. Ludovicum Née.

*Explic.* tab. *a* Corolla subtus spectata ubi maculis caret. *b* Stamina.

*Obs.* A *Calceolaria corymbosa* Fl. Per. vol. 1. pag. 14. tab. 20. differt foliis radicalibus non cordatis, et corollis tricrenatis.

### CALCEOLARIA PARALIA. *Tab.* 447.

497. *CALCEOLARIA* foliis oblongo-ovatis, tomentosis, dentatis; superioribus connatis, radicalibus petiolatis: capsulis tomentosis.

*Calceolaria. Née herb.*

Tota planta tomentosa est, cuius caulis bipedalis, herbaceus, erectus.

Folia oblongo-ovata, inæqualiter dentata, glauca, nervo longitudinali obscure violaceo, crasso: radicalia atenuantur in petiolum alatum, caulina sedent, basi que connata sunt.

Flores corymbosi; corymborum pedunculis communibus elongatis, erectis, axillaribus, oppositis, solitariis; qui postea semel iterumque bifurcantur, suffulti foliolis duobus oppositis ad dichotomiam, ibique pedicelli bini, uniflori.

Calicis lacinia ovata.

Corolla lutea, calceo prope faucem angustato, postea sensim ampliore inflato: labium superius brevissimum, concavum.

Capsulae calice breviores, tomentosae, bivalves, valvulis bifidis.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in viciniis fluminis *Claro*, haud longe ab oppido Chilense *Parál*. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Capsula magnitudine naturali. *b* Eadem aucta.

### CALCEOLARIA RACEMOSA. *Tab.* 448.

498. *CALCEOLARIA* foliis ovatis, dentatis, rugosis, tomentosis: floribus terminalibus racemosis.

*Calceolaria. Née herb. cum Icone.*

Caulis herbaceus, 6-10 pollices altus, teres, tomentosus.

Folia opposita, prope radicem numerosa, ovata, basi attenuata, dentata, rugosa, tomentosa.

Flores terminales, racemosi, racemis binis, pedunculis geminis; axillares dichotomi, pedunculis communibus oppositis, solitariis.

Calicis lacinia ovata, villosa, trinervia.

Corolla lutea: labium superius breve, concavum; inferius ovatum, inflatum.

Filamenta lutea, antheris longiora.

Germen ovato-conicum: stylus staminibus paulo altior: stigma globosum.

Capsula calice vix maior, bilocularis, bivalvis, valvulis apice bifidis.

Habitat in Talcahuano inter arbusta prope arcem Sancti Caroli, et in portu vulgo *Deseado*.

Floret Ianuario et Februario. Vidi siccam et Iconem apud D. Ludovicum Née.

*Explic.* tab. *a* Calix cum germine. *b* Corolla. *c* Stamina. *d* Capsula.

*Obs.* Quæ in portu *Deseado* crescit flores habet ut plurimum in dichotomiis positos: in ceteris omnino eadem cum planta Chilensi.

### CALCEOLARIA MULTIFLORA. *Tab.* 449.

499. *CALCEOLARIA* foliis verticillatis, ternis, subsessilibus, ovato-acutis, serratis: floribus paniculatis.



*Calceolaria. Nee herb.*

Caulis orgyalis, ramosus, ramis teretibus, fragilibus, obscure purpureis, parce villosis, quemadmodum tota planta, præsertim tenera.

Folia verticillata, terna, subsessilia, ovato-acuta, serrata, nonnihil cordata.

Flores paniculati, panicula terminali, fere pedem longa, foliosa: ramuli paniculæ terni, suberecti, bifidi; brachiis foliosis alternatim bifloris; pedunculis tenuissimis; ad quorum basim foliola duo parva.

Calicis lacinia ovato-acuta, trinerves.

Corolla lutea, prope calicem angustissima, postea sensim amplior et inflata: labium superius breve, vix tegens antheras.

Capsula parva.

Habitat in siccis iuxta iter quod ab oppido San Buenaventura ducit in Limam; haud infrequens etiam prope Obragillo in eodem Regno Peruviano. Floret Iunio et Iulio. Vidi siccam.

*Explic.* tab. *a* Antheræ auctæ. *b* Capsula. *c* Eadem aucta.

*Obs.* Collocanda videtur hæc species post *Calceolariam bicolorem* Fl. Per. a qua differt oliis simpliciter serratis et minime rugosis, floribusque omnino luteis. Conferantur tabulæ.

### CALCEOLARIA GEMELLIFLORA. Tab. 450. Fig. 1.

500. CALCEOLARIA foliis verticillatis, ternis, ovatis, serratis: pedunculis ternis: bifloris.

*Calceolaria. Nee herb.*

Caulis teres: rami consimiles.

Folia verticillata, terna, subsessilia, ovato-acuta, serrata, glauca.

Florum pedunculi in verticillis superioribus terni, foliis breviores, biflori: foliola duo minima ad basim pedunculorum partialium.

Calicis lacinia ovato-acuta, trinerves.

Corolla lutea, prope calicem angustissima.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in saxosis prope oppidum peruvianum San Buenaventura. Floret Iunio et Iulio.

Vidi siccam.

### CALCEOLARIA TERNIFLORA. Tab. 450. Fig. 2.

501. CALCEOLARIA foliis verticillatis, ternis, ovato-oblongis, serratis: pedunculis ternis, trifloris.

Caulis erectus, teres, fusco violaceus, bi-tripedalis, ramis ternis.

Folia verticillata, terna, ovato-oblonga, serrata, glauca; superiora sessilia, reliqua breviter petiolata.

Florum pedunculi in verticillis superioribus terni, longiores quam in præcedenti, triflori: foliola duo minima ad basim pedicellorum.

Calix maior quam in præcedente, subtomentosus, tomento lente vitrea conspicuo, laciniis ovato-acutis.

Reliqua ut in præcedente, cum qua habitat, et etiam prope oppidum Obragillo. Floret Iunio et Iulio. Vidi siccam.

*Obs.* Tres istæ species conveniunt cum illa *Angustiflora* Floræ Peruvianæ corolla prope calicem angustissima, a qua et inter se differunt foliorum forma et inflorescentia.

### CALCEOLARIA PETIOALARIS. Tab. 445.

502. CALCEOLARIA foliis oppositis, ovato-acutis in petiolum alatum attenuatis, inæqualiter dentatis: floribus paniculatis.



- Caulis herbaceus, sesquipedalis.
- Folia opposita, ovato-acuta; inferiora in petiolum alatum attenuata, dentata, dentibus denticulatis; superiora sessilia, basi connata, simpliciter dentata; floralia integerrima.
- Flores paniculati, paniculis axillaribus oppositis, et terminalibus, quarum ramuli multiflori, ad articulos foliosi, apice subquinqueflori, qui quemadmodum et pedunculi villosi sunt, præsertim teneri, villis glanduliferis.
- Calicis lacinia ovato-acuta, villosoglandulifera.
- Corolla lutea, bilabiata, labiis divaricatis patentibus: superius concavum, limbo extus villosus; inferius paulo longius, cymbæforme: tubus vix ullus.
- Staminum filamenta duo, luteo-albida, corolla paulo breviora, tenuia, compressa, opposita, inter tubum et corollæ incisuras posita: antheræ exertæ, bilobæ; lobis callosis, ovatis, unilocularibus, concavis, horizontaliter divaricatis.
- Germen ovato-conicum, villis aliquot glanduliferis: stylus subulatus, filamentis altior: stigma globosum.
- Capsula ovato-conica, bilocularis, bivalvis; valvulis apice inciso, obtusiore quam in præcedentibus. Semina minuta.
- Habitat prope Guayaquil; floretque Octobri. Vidi siccam apud D. Ludovicum Née.
- Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla expansa. *c* Germen. *d* Idem auctum ut conspiciantur villi glanduliferi. *e* Stamen auctum. *f* Capsula. *g* Eadem aucta dehiscens. *h* Calix et pedunculus aucti ut appareant villi glanduliferi.

### CALCEOLARIA VIOLACEA. Tab. 452.

503. CALCEOLARIA caule fruticoso: foliis oppositis, ovatis, dentatis: floribus terminalibus, corymbosis.
- An Calceolaria species? *Née herb. cum icone.*
- Caulis fruticosus, 4-6 pedes altus, ramis oppositis, quorum cortex violaceo-ruber.
- Folia opposita, petiolis subæqualia, ovata, dentibus aliquot amplis, superiore pagina viridia, inferiore glauco-albida, villis aliquot minimis.
- Flores terminales, corymbosi, pedicelli sæpe tres, capillares, villosi, villis vix nudo oculo conspicuis.
- Calicis lacinia ovata.
- Corolla dilute violacea, maculis ovatis saturatoribus, interne variegata, campanulato-patens, bilabiata, labiis subæqualibus, concavis, quorum limbus villosus: tubus brevissimus, villosus et iuxta ipsum macula lutea.
- Staminum filamenta brevissima. Reliqua ut in præcedente.
- Habitat contra insulam Quiriquina in litore maris Talcahuani. Floret Novembri. Vidi siccam et iconem vivis coloribus expressam apud laudatum Née.
- Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla expansa. *c* Stamen auctum. *d* Capsula.
- Obs.* 1.<sup>a</sup> Septendecim has Calceolaria species reperit indefessus botanicus Ludovicus Née, qui sequentes etiam legit et observavit.
1. Calceolariam pinnatam Linnæi et Lamarck in Limæ viciniis, præcipue iuxta oppidum La Madalena. Huius speciei folia pro soli natura maxime variant, ut apposite notarunt Fl. Peruv. auctores.
  2. Cal. rugosam Fl. Per. tab. 28 fig. *b'*, integrifoliam scilicet Linnæi, in aridis Talcahuani. Hæc, quam iure merito *Salviaefoliam* nominavit Née, corollis gaudet luteo-roseis. Eius folia magnitudine admodum varia sunt pro soli natura, et plantæ ætate.
  3. Cal. deflexam Fl. Per. tab. 30 fig. *b* in humidis et inundatis Obregillo.
  4. Cal. corymbosam Fl. Per. tab. 20 fig. *b* in Talcahuani viciniis, et in montibus vulgo *Cordillera*.
  5. Cal. dentatam Fl. Per. tab. 29 fig. *b* in Regno chilensi prope Cucha-cucha et in Parál viciniis.



6. Cal. tomentosam *Fl. Per. tab. 22 fig. b* in Regno peruano prope San Buenaventura.  
 7. Cal. albam *Fl. Per. tab. 27 fig. b* in Chilensium alpium tractu vulgo *Planchón*.  
 8. Cal. perfoliatam *Smith. Icon. tab. 4 Linnæi et Lamarck* haud longe ab oppido San Buenaventura.  
 9. Cal. Salicifoliam *Fl. Per. tab. 19 fig. b* in viciniis oppidi Obragillo.  
 10. Cal. angustifloram *Fl. Peruv. tab. 28 fig. a* circa idem Obragillo oppidum.  
 11. Cal. floxuosam *Fl. Per. tab. 26 fig. a* (ubi crenata legitur) in aridis Regni chilensis.  
*Obs. 2.<sup>a</sup>* Anno 1779 duæ dumtaxat cognoscebantur Calceolaria species; hodie 47 Hispanorum elocubrationibus.

*Obs. 3.<sup>a</sup>* Calceolaria petioalaris et violacea a congeneribus differunt corolla vix calceiforme, lobis scilicet patentibus et subæqualibus, quales descripserunt Floræ Peruvianæ auctores in caractere generico novi generis *Jovellana*. Huius essentiam in corolla posuerunt et potissimum in antherarum forma, quæ dictis Calceolaria speciebus nullo modo convenit. In illorum gratiam qui nondum viderunt memoratæ Floræ volumen, ex ipso transcribam *Jovellana* characterem genericum, ut lectores possint pronuntiare num recte dictas species calceolarias dixerim.

CHARACTER GENERICUS JOVELLANÆ. (a)

- Calix. *Perianthium* quadripartitum: *laciniis* ovatis, acutis, patentibus; *superiore* angustiori; *inferiore* latiori, inferum, persistens.  
 Corolla irregularis, cymbæformis, resupinata. *Tubus* vix ullus. *Limbus* bilobus: *lobis* subæqualibus; *superiore* concavo-carinato; *inferiori* inflato, subcalceiformi.  
 Stam. *Filamenta* duo, sublinearia, compressiuscula, incurvata, opposita, basi corollæ infra incisuras inserta. *Antheræ* cordato-ovatae, utrimque sulcatae, erectae, biloculares, dissepimento contrario; *loculis* septo intermedio receptaculo inserto divis: post pollinis effusionem persistentes.  
 Pist. *Germen* ovato-conicum. *Stylus* subulatus incurvus, staminum longitudine. *Stigma* capitato-peltatum, leviter emarginatum.  
 Per. *Capsula* ovato-conica, bisulca, bilocularis, apice bivalvis; *valvulis* bifidis.  
 Semina oblongo-ovata, lævia, planiuscula. *Receptaculum* dissepimento utrimque adnatum, ovato-conicum.  
*Obs.* Differt hoc genus a Calceolaria cui valde affine, corolla et staminibus.

JOVELLANA TRIANDRA. *Tab. 453.*

504. JOVELLANA foliis inciso-pinnatifidis: floribus triandris.

An Calceolaria species? *Nee herbar.*

Caulis fruticosus, teres, tripedalis et amplius; rami oppositi, quorum cortex atro-sanguineus, villisque minimis glanduliferis tectus.

Folia opposita, internodis multoties breviora, inciso-pinnatifida, laciniis acutis, serrulatis: pagina superiore viridia, inferiore glauca: petioli foliis breviores, prope basim membrana amplexicauli aucti.

Flores corymbosi, ramulis dichotomis, in dichotomia gemini pedunculis semipollicaribus unifloris, piloso-glanduliferis.

Calix persistens, monophyllus, ultra medium quadripartitus, laciniis ovato-acutis, quinque-nerviis, nervis venosis: limbus ciliatus pilis glanduliferis.

Corolla lutea lineis saturationibus, bilabiata, cymbæformis, patens, lobis subæqualibus, concavis; tubus brevissimus.

(a) Duas species descripserunt Floræ auctores et *scapiflora*. Hæc est Calceolaria plantaginea Smith quas incisas vidimus *tab. 18 nominibus J. punctata fas. 1 pag. 2 tab. 2.*



Staminum filamenta tria, brevissima, quorum duo lobo anteriori prope tubum inserta, tertium posteriori: antheræ cordato-ovatae, subcompressæ, sulco in duos lobulos distinctæ, didymæ, biloculares, erectæ: dissepimentum plano ampliori oppositum, breviori parallelum: dehiscunt apice, ubi post pollinis effusionem biperforatæ persistunt.

Germe ovato-conicum, subtomentosum: stylus subulatus, antheris triplo altior: stigma emarginatum.

Capsula ovato-conica, subtomentosa, bisulca, bilocularis, bivalvis, valvulis apice bifidis. Semina fusca, ovato-oblonga, minima.

Habitat in Talcahuano, et iuxta oppida peruviana Guamantanga, et Puruchucu  $\mathcal{Q}$ . Floret Februario. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix auctus ut conspiciantur pili glanduliferi. *b* Corolla cum genitalibus valde aucta. *c* Anthera ante pollinis effusionem, ideoque minime perforata. *d* Capsula cum seminibus magnitudine naturali. *e* Eadem aucta.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Hanc speciem descriptis in Fl. Peruviana addimus, quamquam ternario staminum numero ab ipsis diversam.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> In memorato herbario ramulos vidi deformatos qui ad aliam fortasse Jovellanae speciem pertinent; quique habitu supradescriptam stirpem æmulatur; foliis Calceolariam violaceam. Legit laudatus Née in siccis leuca dissitis ab Obragillo oppido peruviano.

### SALVIA PATENS. *Tab.* 454.

505. SALVIA foliis subhastatis, crenato-serratis: floribus oppositis.

*Salvia grandiflora. Née herb. cum Icone.*

Caulis tetragonus, bipedalis, villosus.

Folia opposita, subhastata, crenato-serrata, subtus tomento cana: inferiora petiolis subæqualia, floralia subsessilia.

Flores versus ramorum extremitatem axillares, solitarii, oppositi.

Calix campanulatus, pilosus, bilabiatus; labio superiore integro acutissimo; inferiore bifido.

Corolla cærulea: labium superius elongatum concavum, pilosum: inferius dependens, tripartitum, laciniis lateralibus obtusis, brevibus; media lata obcordata.

Antheræ ovato-oblongæ, luteæ, exertæ.

Germina quattuor ovata, implantata receptaculo quadrato, cui antice adhæret membrana lanceolata: stylus corolla longior, cæruleus, versus apicem barbatus: stigmata duo inæqualia divergentia. Semina quattuor, obovata, in fundo calicis.

Habitat in umbrosis prope *Real del Monte* in Nova Hispania. Floret Augusto. Vidi siccam et iconem vivis coloribus expressam apud laudatum Née.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem sectus cum seminibus.

### SALVIA REGLA. *Tab.* 455.

506. SALVIA foliis deltoideis, crenatis: calicibus tubulosis, coloratis.

*Salvia. Née herbar. cum Icone.*

Caulis orgyalis ramis oppositis.

Folia opposita, petiolis longiora, deltoidea, crenata, subvilosa præsertim tenera.

Flores ut in præcedente, subsessiles.

Calix semipollicaris et amplius purpureo viridis, tubulosus, apice tripartitus, laciniis ovato-acutis: nervi novem venosi.

Corolla coccinea, infra labiorum incisuras ventricosa: labium superius elongatum, concavum, apice emarginatum; inferius dependens, tripartitum, laciniis obtusis, media paulo longiore.



Stigmata coccinea. Reliqua ut in præcedente.

Habitat in fundo *de Regla* Regni mexicani  $\mathcal{A}$ . Floret Augusto et Septembri. Vidi siccam et iconem.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem sectus. *c* Corolla cum genitalibus.

### VALERIANA SANGUISORBÆFOLIA. Tab. 456.

507. VALERIANA foliis imparipinnatis, pinnulis ovatis dentatis: floribus paniculatis.

Caulis herbaceus vix pedalis, foliis aliquot oppositis, basi prostratus, postea erectus.

Folia imparipinnata, pinnulis oppositis, sessilibus, ovatis, dentibus aliquot: radicalia numerosa, imbricata, quorum petioli usque ad medietatem, pollicis scilicet longitudine, nudi: caulina opposita breviora.

Flores paniculati, panicula ex ramulis iterum ramosis, oppositis, axillaribus ad bracteam aut si mavis ad foliolum lineare obtusum, limbo scarioso: hæc foliola etiam existunt ad basim florum.

Semina minima, ovato-acuta, solitaria, corticata pellicula striata, et coronata caliculo infundibuliformi decempartito, laciniis terminatis totidem pilis plumosis, seminis longitudine.

Flores non vidi; plantam vero peregrinam trado.

Habitat in Alpibus Chilensibus vulgo *Cordillera de Chile*, floretque Ianuario. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Semen magnitudine naturali. *b* Idem auctum radiis nondum explicatis. *c* Idem coronatum pappo plumoso.

### SCLERIA BRACTEATA. Tab. 457.

508. SCLERIA culmo triquetro: floribus paniculatis, masculis terminalibus, femineis axillaribus.

Culmus triquetrus, fere orgyalis.

Folia radicalia tripedalia, semipollicem lata, sensim versus apicem acutissimum angustiora, striata, striis carina et limbo scabris: reliqua culmum vaginant, vagina tomentosa pollicari; a vagina usque ad apicem patentia, carinata, et aliquando dependentia.

Flores paniculati sessiles: masculi terminales numerosissimi panicula ampla: feminei in paniculis brevibus axillaribus: ad florum basim bractea angustissima subulata pollicem et amplius longa.

Calix in masculis: squamulæ in pyramidem imbricatæ, ovato-acutæ, quarum inferiores breviores sunt et orbatæ staminibus: superiores gradatim longiores et intra singula filamenta tria ferrugineo-rubentia, antheris totidem altera parte acutis. Corolla nulla.

Calix in femina ex tribus foliolis imbricatis, concavis, apice acutissimis, persistentibus, in quarum centro germen minimum ovatum, gaudens stylo unico fusco, sesquilineam alto, cuius stigmata tria capillaria hispidula, ipso longiora, divergentia. Germen huiusmodi cingunt corpuscula tria aut quattuor ovata, ipso maiora, nitida, lutescentia quæ obliquantur fructu maturo. Stamina nulla. Corollam nisi corpuscula illa conica nullam video ante fecundationem; maturo vero fructu vestigia conservantur, nucis basi conglutinata, quæ stellulam referunt profunde tri-quadrupartitam, limbo crassiusculo orbiculato. Hæc certe iuxta Gærtnerii sententiam corolla est; verumtamen num ex corpusculis supradictis resultet affirmare nequeo.

Fructus: nux solitaria in unoquoque calice, dura, monosperma, globosa, cuius extima superficies foveolis excavata.

Habitat inter Panamæ mare et collem vulgo *Lancón*, in humidis sæpiusque inundatis. Floret Novembri et Decembri. Vidi siccam in herbario D. Ludovici Néé.



*Explic.* tab. *a* Spicula masculorum. *b* Eadem aucta. *c* Stamen auctum. *d* Flos femineus. *e* Idem auctus ut appareant corpuscula circum germen posita. *f* Corpuscula divergentia a germine. *g* Nux intra calicem. *h* Nux aucta. *i* Eadem postice spectata ut corolla conspiciatur. *k* Folii pars aucta.

### SCLERIA MARGARITIFERA *Gärtnerii*.

509. SCLERIA culmo triquetro: foliis margine carinaque aculeatis: nuce glabra.  
*Scleria margaritifera. Gärt. vol. 1 pag. 13 tab. 2 fig. 7.*  
*Carex lithosperma. Linn. sp. pl. vol. 4 pag. 115.*  
 Culmus orgyalis, triquetrus, angulis scabris.  
 Folia radicalia plura, tres quattuorve pedes longa, vix pollicem lata, apice acuta, margine carinaque aculeis minutissimis deorsum flexis armata, longitudinaliter multistriata: reliqua alternatim culmum vaginant, vigina pollicari tomentosa, a qua excurrunt libera nunc pedes duos longa nunc breviora versus culmi apicem.  
 Flores paniculati, paniculis axillaribus, in quibus masculi pedunculati feminis sessilibus immixti sunt, omnesque basi bractea brevi suffulti.  
 Masculi flores ut in præcedente, at spiculæ longiores et virentes.  
 Calix feminæ imbricatus squamulis rigidis plerumque sex, quarum inferiores minimæ: superiores ovato-acuminatæ, concavæ.  
 Reliqua ut in præcedente; corpusculis conicis exceptis, quæ non vidi, fortasse quia nuces erant maturæ. Istæ sunt glaberrimæ, nigricantes et in ipsarum base conservatur adpressa corolla tripetala, petalis inferne subcoalitis.  
 Habitat cum præcedente et fructificat Novembri. Vidi siccam in dicto herbario.

### SCLERIA FOVEOLATA.

510. SCLERIA culmo triquetro striato: foliis inermibus: nuce foveolata: florum paniculis pedunculatis.  
 Hæc species valde similis est præcedenti altitudine et inflorescentia. Paniculæ enim flores sustinent masculos feminis immixtos: masculorum spiculæ sunt etiam pyramidatæ multifloræ; et feminarum calices uniflori, imbricati squamulis sex. Verumtamen ab illa differt foliis inermibus, paniculis pedunculatis, pedunculis triquetris, et nucibus foveolatis candidis.  
 Habitat floretque cum præcedentibus.

### ANTHISTIRIA.

#### CHARACTER GENERICUS.

Flores aggregati, polygami, septem ut plurimum in unoquoque pedunculo, quorum centralis sessilis, hermaphroditus; reliqui masculi: horum quattuor exteriores verticillati, sessiles; duo centrales pedicellati.  
 Calix: gluma univalvis lanceolata.  
 Corolla: gluma bivalvis calice brevior, interiore brevior.  
 Staminum filamenta tria: antheræ oblongæ, utraque extremitate emarginatæ, versatiles.  
 Germen in masculis nullum: in femina lineare: styli duo capillares: stigmata plumosa, arcuata.  
 Semen oblongum, glabrum, basi villosum, sulco exaratum.



Arista tortiolis subulata e fundo corollæ feminæ orta.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Flores quattuor exteriores in verticillum positos pro calice sumpserunt Botanici omnes, uno Desfontaines excepto, qui genuinam florum structuram dedit anno 1792 in opere periodico, cui titulus *Journal de Physique* vol. 40 pag. 292. Florem hermaphroditum calice orbatum dixit; attamen oculatissimus hic naturæ perscrutator iam tunc suspicatus est quod ego inveni, valvulam scilicet alteram internam corollæ, aristæ basi adherentem fructu maturo; adeoque hunc florem ceteris simillimum calice univalvi et corolla bivalvi.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Arista deficit in Anthistiria gigantea.

### ANTHISTIRIA GIGANTEA. *Tab. 458.*

511. ANTHISTIRIA culmo arundinaceo altissimo: foliis canaliculatis: calicibus valde pilosis: floribus paniculatis.

Culmus teres, glaberrimus, nodis distinctus, decem plerumque pedes altus, pollicem crassus, terminatus panicula pulcherrima bipedali, ex variis paniculis axillaribus composita.

Folia alterna, culmum vaginantia, vagina sesquipollicari striata, apice utrimque pilosa ubi folium extenditur glabrum canaliculatum, limbo prope vaginam denticulis scabrum, tres pedes et amplius longum, sesquilineam latum, nervo prominente pagina inferiore.

Flores paniculati, panicula composita: ex foliorum superiorum vaginis pedicelli eriguntur inæquales, tenuissimi, rufescentes, bracteis alternis ornati: istæ sunt ovato-acuminatæ, concavæ, rubentes, florum spiculam solitariam foventes, brevissimo pedicello sustentatam.

Calicis gluma valde acuminata, flavescens, extusque cooperta pilis rufescentibus, præsertim in quattuor floribus externis quæ verticillum efformant, internis adpressum: duo masculi centrales, ceteris altiores, sustentantur pedicellis propriis lineam longis, basi barbatis.

Corolla omnibus bivalvis, valvula interiore diaphana brevior.

Filamenta albicantia, capillaria: antheræ rufæ.

Arista nulla: reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Luzon philippica insula tribus leucis ab oppido Guaz. Floret Martio et Aprili.

Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic. tab. a* Florum spicula. *b* Eadem floribus expansis. *c* Flos masculus ex exterioribus, extus visus et auctus. *d* Idem clausus, intus spectatus. *e* Idem apertus. *f* Flos masculus pedicellatus apertus. *g* Flos hermaphroditus clausus. *h* Idem apertus.

*Obs.* In aliquibus convenit hæc planta *Andropogo cymbario* *Linn. sp. pl. vol. 4 pag. 301 num. 7.*

### ANTHISTIRIA CILIATA *Lamarck. Tab. 459.*

512. ANTHISTIRIA culmo simplici; panicula laxa: spiculis fasciculatis: fasciculis pedicellatis distinctis: glumis calicinis versus apicem pilosis.

*Anthistiria ciliata. Lamarck Illustr. des genr. vol. 1 pag. 199 tab. 47 Desfont. Journ. de Phys. vol. 40 pag. 294. Andropogon quadrivalve, panicula nutante, calicibus quadrivalvibus, trifloris; flosculo hermaphrodito aristato. Linn. sp. plant. vol. 4 pag. 300. Lamarck dict. encyc. vol. 1 pag. 373.*

Culmus teres glaberrimus, nodis distinctus, semipedem distantibus, tripedalis, sensim gracilior, simplicissimus.

Folia alterna, glabra, culmum vaginantia, vagina bipollicari, a vagina ad apicem aliquando pedalia, lineam lata, versus apicem acutissima: radicalia plura, paulo longiora.

Flores paniculati, panicula laxa: ex foliis scilicet superioribus pedicelli prodeunt tenuissimi,



spiculas pedicellatas 3-5 sustententes, spiculis ab invicem distinctis bractea ovato acutissima, concava.

Calix in quattuor floribus exterioribus dorso versus apicem pilosus pilis raris: in tribus reliquis imberbis.

Arista bipollicaris, subulata, tortilis, e fundo corollæ femininæ orta, villosa.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in memorata insula Luzon inter Irraga et Guaz: in Nova-Hollandia prope Jackson: et in Nova-Hispania iuxta oppidum Chalma. Floret Martio et Aprili.

*Explic.* tab. *a* Florum spicula expansa. *b* Flos masculus apertus. *B* Idem clausus postice spectatus. *c* Flos masculus pedicellatus. *d* Flos femineus clausus. *e* Idem apertus. *f* Semen immaturum cum valvula corollina et arista.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> In exemplaribus philippicis flores sæpe vidi calicibus imberbibus: quare Anthistiria imberbis D. Desfontaines fortasse erit varietas Anthistiria ciliatæ, cuius culmi, quamquam simplices a me observati, poterunt esse ramosi in aliis plantis.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Linnæus de Andropogo quadrivalvi disserens quodammodo prædixit quæ nuperime detecta sunt de genuino florum numero; dixit enim: *calix communis tetraphyllus, triflorus: valvulis (an flosculorum rudimentis?) lanceolatis æqualibus, pilis raris adpersis.*

*Obs.* 3.<sup>a</sup> In Mindanao insula inter philippicas numerata, et prope Samboangan Anthistiria crescit Ciliatæ similis magnitudine et inflorescentia, cuiusque varietas videtur: gaudet aristis brevioribus, calicibus imberbibus, bracteisque nonnihil ciliatis. In huius floribus hermaphroditis præter calicem et corollæ valvulas, duo brevissima foliola translucida circa germen me vidisse visum fuit, quæ nectaria nominabunt Schreber aliique Linnæano more. An in ceteris speciebus re vera existunt huiuscemodi corpuscula?

## COLLADOA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix: gluma coriacea, monophylla, profunde partita in duas lacinias ovatas, transversim sulcatas, triflora, flosculis duobus rachidi contiguis hermaphroditis, altero masculo inter hos et glumam calicinam.

Corolla omnibus bivalvis, calice brevior; valvulis lanceolatis, hermaphroditorum carinatis.

Staminum filamenta tria capillaria: antheræ oblongæ.

Germen in mare nullum; in hermaphroditis ovato-acutum minimum: styli duo divaricati: stigmata plumosa.

Semina solitaria, ovato-compressa, acuta.

Arista tortilis, versus apicem deflexa, corollæ prope germen inserta.

*Obs.* In hermaphroditis quandoque stamina nulla in sicco. Aliquando etiam offenditur rudimentum alterius flosculi masculini inter hermaphroditum, et calicis laciniam altiore.

## COLLADOA DISTACHIA. Tab. 460.

513. COLLADOA culmo ramoso: foliis cordatis, lanceolatis, acutissimis; vaginis cymbæformibus.

Radices filiformes, teretes, longæ, fibrillis aliquot.

Culmus ramosus, teres, quattuor pedes altus, nodis distantibus villosis, inferioribus incrassatis.

(a) In honorem Ludovici Collado medici valentini, qui patriæ decus atque ornamentum floruit sæculo 16. Præter opera medica tractatum dedit de plantis anno 1561.



Folia alterna, per sesquipollicem culmum ample vaginantia, vagina ulterius longius producta, a culmo divergente, cymbæformi, striata, glabra, versus apicem acuta, pilisque terminata, ubi folium incipit inferiore pagina pilosum, lanceolatum, apice acuto producto, basi cordatum, nervo longitudinali albicante, protuberante, striisque pluribus.

Flores spicati, spicis geminis, sustentatis pedunculo communi axillari aut terminali. Spicarum rachis articulata, flexuosa, articulis alternis, altera parte excavatis, altera convexis, in cuius basi pili breves.

Calix coriaceus, hyalinus, levis, transversim sulcatus, altera lacinia altiore, ubi flos unicus; altera humiliore biflora.

Corollinæ glumæ in masculo subæquales, translucidæ, lanceolatæ, acutæ: in hermaphroditis inæquales, interiore carinata longiore, et ad basim exterioris iuxta germen arista fusca tortilis, versus apicem deflexa.

Filamenta vix corollæ longitudine: antheræ fuscæ.

Semen glabrum, dilute ferrugineum.

Habitat in humidis memoratæ insulæ Mindanao prope Samboangan. Floret Aprili. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Pars rachidis et calix triflorus. *b* Idem auctus. *c* Idem revolutus ut flores appareant. *d* Flos masculus magnitudine naturali. *e* Idem auctus. *f* Filamentum cum anthera. *h* Semen. *H* Idem auctum. *g* Flos hermaphroditus auctus. *i* Semen tectum corolla, terminatum arista.

### CENCHRUS SPINIFEX. *Tab.* 461.

514. CENCHRUS culmo ramoso: foliis brevibus, cordato-lanceolatis: calice communi integerrimo, spinis echinato.

Culmus sesquipedalis valde ramosus, tener villosus, vetustate levis; ad nodos atro-rubens; internodiis 1-2 pollicaribus.

Folia cordato-lanceolata, striata, subvillosa, pollicem aut amplius longa, exclusa vagina, quæ inferiore sui parte culmum amplexatur, deinde ab ipso divergit, cymbæformam induit, et apice iuxta folium est tomentosa.

Flores spicati: spica simplex terminalis; eiusque rachis flexuosa.

Calix communis (involucrum Linnæo aliisque botanicis) monophyllus, crassus, integerrimus, spinis subulato-compressis armatus, inferioribus brevioribus sesquilineam et amplius longis: spinæ istæ calice florifero erectæ sunt et conniventes; fructifero divergentes, rigidissimæ.

In fundo calicis communis sedent duo partiales iuxta se positi. Uniuscuiusque gluma est bivalvis, valvulis ovato-acutis, exteriori breviori; biflora, flosculo altero hermaphrodito, altero masculo.

Corolla calice partiali longior, bivalvis, valvulis concavis, ovato-acutis, inæqualibus.

Staminum filamenta tria, capillaria: antheræ oblongiusculæ, sagittatæ.

Germen ovatum: stylus filiformis, staminum longitudine: stigmata duo oblonga, patentia, plumosa.

Semen ovatum in fundo calicis communis, calice partiali et corolla persistentibus tectum, pallide ferrugineum. Huius scutellum ellipticum, dimidio semine paulo longius, rima longitudinali notatum.

Habitat in Regno chilensi iuxta fundum Longaví, necnon prope Montevideo. Floret mense Ianuario. Vidi in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix communis floridus. *b* Idem expansus postice visus. *c* Idem interne spectatus, et in eo flores. *d* Calix partialis biflorus. *e* Alter uniflorus. *f* Idem expansus. *g* Stamen. *h* Calix fructifer. *i* Idem sectus, in cuius cavitate semen. *k* Semen a corolla seiunctum. *l* Idem auctum ut appareat scutellum et rima.

*Obs.* Flores hermaphroditi non semper fructiferi.



CENCHRUS ECHINATUS *Linnæi. Tab. 462.*

515. CENCHRUS calice communi subgloboso, coriaceo, monophyllo, semidecempartito, fissura rachidi opposita profundissima: floribus dense spicatis.

*Cenchrus spica oblonga, conglomerata. Linn. sp. pl. vol. 4 pag. 314. Gærtner vol. 2 pag. 4 tab. 80 fig. 3.*

*Gramen americanum, spica echinata, maioribus locustis. Pluk. alm. tab. 92 fig. 3.*

*Panicastrella americana maior annua, spica laxa purpurascens. Mich. pag. 36 tab. 31.*

Culmus simplex, bipedalis, striatus, glaber erectus.

Folia alterna, caulem vaginantia, vagina 2-3 pollicari, apice scariosa, ubi folium extenditur pedem et amplius longum, duas tresve lineas latum, striatum, acutum, pagina inferiore scabrum, quum digiti ab apice ad basim ducuntur.

Flores spicati, ad rachidem flexuosam subsessiles: spica densa terminalis.

Calix communis monophyllus, coriaceus, subglobosus, apice in decem laciniis lanceolato-acutas partitus, fissura unica longitudinali ad basim usque producta, quæ rachidem spectat; extus spinulis sursum convergentibus echinatus, ut plurimum biflorus, flosculis sessilibus, altero masculo, altero hermaphrodito, aut triflorus tuncque flosculi duo hermaphroditi sunt.

Calix partialis uniflorus, estque gluma bivalvis, valvulis concavis, ovato-acutis, altera brevior.

Corolla calice longior, estque gluma bivalvis, valvulis acutis, concavis, quarum altera secundam amplexatur.

Staminum filamenta longitudine corollæ: antheræ luteæ, sagittatæ.

Germen in hermaphrodito ovatum: stylus capillaris staminum longitudine: stigmata oblonga, plumosa, albicantia.

Semen ut in præcedente.

Habitat in portu Cavite tribus leucis seiuncto a Manila in Philippicis insulis. Floret Novembri, ibi inventus a D. Ludovico Née. Vivam vidi hanc speciem Parisiis anno 1787 in horto D. Boutin.

*Explic. tab. a* Calix communis floridus. *b* Idem auctus. *c* Flos hermaphroditus. *d* Masculus. *e* Calix fructifer. *f* Idem auctus et expansus, postice spectatus. *g* Idem interne visus, ubi flosculi convoluti sedent. *h* Semen. *i* Idem auctum.

*Obs.* Flosculorum numerus variat a 2 ad 4, quorum sæpe duo hermaphroditi.

CENCHRUS CALICULATUS. *Tab. 463.*

516. CENCHRUS culmo simplici, erecto: spica glomerata: calice communi caliculato.

Culmus teres, simplex, glaber, articulatus, bipedalis et amplius.

Folia ampliora et longiora quam in præcedente, culmum vaginantia, vagina internodiis longiore, parte superiore concava, a culmo divergente, apice prope folium tomentosa.

Flores spicati: spica simplex, terminalis, glomerata, semipedem longa, capitulis spinosis tomentosis.

Calix communis caliculatus setulis rigidis brevibus, ovatus, polyphyllus, foliolis subduodecim, subulato-compressis, valde tomentosis acumine excepto, in quorum centro sedent duo, tres, quattuorve flosculi calice et corolla instructi, fere omnes hermaphroditi, fertiles.

Calices, corollæ et genitalia ut in præcedente.

Semen ovatum calice partiali et corolla tectum, pallide rubrum: huius scutellum ellipticum, rima longitudinali notatum; in cuius opposita superficie prope basim tuberculum minimum fuscum observatur.



Habitat copiose in Amicorum insula *Babao* dicta haud procul a mare, floretque Iunio et Iulio. Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix communis floridus. *A* Idem auctus. *B* Idem expansus parte interna ut appareant flosculi. *b* Flos hermaphroditus. *c* Masculus. *d* Calix fructifer. *e* Semen. *f* Idem auctum in quo videtur scutellum et rima. *g* Idem opposita facie visum.

CAREX PHLEOIDES. *Tab.* 464. *Fig.* 1.

§ 17. CAREX culmo triquetro: spica simplici cylindrica, superne mascula: seminibus oblongis triquetris: aristis uncinatis.

An Carex uncinata *Linnaei supp. pag.* 413?

Culmus triquetrus, simplex, bipedalis, glaber.

Folia prope vaginam bipollicarem carinata, postea plana, pedalia, duas lineas lata, sensim angustiora versus apicem acutissimum, striata, glabra.

Flores spicati: spica simplex, terminalis, quattuor et amplius pollices longa, teres, angustata, cuius quintam partem, superiorem scilicet masculi flores occupant, feminei reliquam: componitur ex glumis calicinis arcte imbricatis, unifloris.

Calix in mare et femina: gluma univalvis, ovato-oblonga, limbo superiore scarioso, albicante.

Corolla in masculis nulla: in feminis gluma ferruginea saccum referens utraque extremitate acutum, non dehiscens, in quo germen continetur: sacculus est nonnihil compressus versus apicem, angulis villosis, et ex eius fundo iuxta germen arista prodit subulata, supra medium recurvata in hami formam genu incrassato.

Staminum filamenta in mare tria, basi unita, deinde libera, antheræ lineares: in feminis nulla.

Germen oblongum, triquetrum, altera superficie quæ rachim spectat amplius: stylus simplex brevis: stigmata tria capillaria longa.

Semen sacco aucto arcte tectum, cuius figuram æmulatur, estque glabrum, fusco-ferrugineum.

Habitat iuxta Talcahuano et Concepcion urbes chilenses, et in suburbiis Montevideo. Floret Februario et Martio. Vidi sicc. in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos femineus extus visus. *b* Idem intus conspectus. *c* Semen sacco inclusum. *d* Idem denudatum sacco. *e* Eiusdem aucti sectio. *f* Flos femineus valde auctus in quo saccus longitudinaliter sectus apparet ut conspiciatur aristæ et germinis situs. *g* Flos masculus externe visus. *h* Idem interne.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Nullas umquam vidi spiculas laterales, de quibus mentionem fecit laudatus *Linnaei* filius. *D.* de *Lamarck* in dict. *encycl.* vol. 3 pag. 379 quæritur quod inconcinnam hic dederit descriptionem, plantam pulcherrimam dicens huius generis, nullis tamen rationibus firmans pulchritudinem. Quia vero de planta agitur mihi ignota, cuius fructificatio huic meæ similis, cum dubio ad hanc et ad sequentem reduxi.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Si aristæ insertio eiusque forma sufficit ad genera distinguenda ut in *Avena*, *Stipa*, *Aristida* patet: poteritne præsentia, insertio et figura aristæ huius et sequentis plantæ eas a *Carice* separare?

CAREX ERINACEA. *Tab.* 464. *Fig.* 2.

§ 18. CAREX culmo triquetro: seminibus ovato-trigonis: aristis uncinatis.

An Carex uncinata *Linnaei supp. pag.* 413?

Culmus triquetrus, pedalis.

Folia breviora quam in præcedenti, in ceteris similia.



Flores ut in præcedente; spica tamen brevior, glumæ calicinæ ovatæ, et aristæ longiores et divaricatæ.

Semina ovato-triquetra.

Ignoratur patria. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *i* Flos masculus. *k* Idem interne et externe visus. *l* Flos femineus. *m* Idem intus spectatus. *n* Germen sacculo inclusum. *o* Sacculi aucti sectio ut appareat germen et aristæ insertio. *p* Seminis aucti sectio.

### CAREX TRIFIDA. *Tab.* 465.

519. CAREX culmo triquetro: spicis superioribus masculis, inferioribus femineis: calicibus truncatis trifidis.

Culmus glaber, triquetrus, bipedalis et ultra.

Folia culmo longiora ipsumque vaginantia vagina pollicari, initio carinata, postea plana, striata, limbo scabra, duas lineas lata, sensim versus apicem subulatum angustiora, pedem et amplius longa, alterna.

Flores spicati: spicæ fuscæ axillares, et terminales, sex aut septem; quarum inferiores femineæ, et pedunculatæ; reliquæ sessiles, erectæ, harumque superiores masculini sexus.

Calicina gluma uniflora, ovato-truncata, apice trifida, laciniis lateralibus latioribus, media brevior ex qua arista prodit subulata, alba, subvillosa, gluma longior.

Staminum filamenta in mare tria, alba, capillaria, gluma longiora, basi unita: antheræ ferrugineæ, longæ, lineares, apice subulatæ, basi affixæ filamento: germen nullum. In femina stamina nulla: germen ovato-triquetrum, sacculo ovato inclusum: stylus simplex: stigmata tria, capillaria, villosa.

Semina solitaria ovato-triquetra, sacculo tecta.

Habitat in portu Egmont in insulis Maclovianis vulgo *de Falkland*; floretque mense Decembri. Vidi siccam in laudato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos masculus. *b* Idem auctus. *c* Flos femineus. *d* Idem auctus. *e* Sacculi sectio ut appareat germen.

### STIPA HUMILIS. *Tab.* 466. *Fig.* 1.

520. STIPA aristis prope basim pennatis: floribus spicatis pedunculatis: calicibus semine triplo longioribus.

Ex radicibus fibrosis capillatis folia prodeunt et culmi numerosi, quattuor sexve pollices alti, tenues, glabri, parce nodosi.

Folia radicalia sesquipollicaria, inferne ventricosa, postea convoluta et subulata; reliqua culmum arcte vaginant, vagina internodiis breviora, quæ in foliolum subulatum pollicare excurrit; quæ vero spicam quodammodo fovet amplior, longior et ventricosa est, terminaturque foliolo subulato, spica longiore.

Flores spicati: spica vix pollicem longa, coarctata, cuius pedicelli breves, glabri.

Calicis valvulæ albicantes, acutissimæ, semine triplo longiores et amplius.

Corollinæ valvulæ inæquales, exteriore longiore, quæ terminatur arista prope basim nuda et recta, postea pilis candidissimis veluti pennata usque ad flexuram, unde versus apicem acutissimum iterum nuda excurrit et recta.

Reliqua ut in caractere generico Linnæi.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado* in solo arido, floretque Decembri. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Semen corolla tectum, arista terminali.

*Obs.* In eodem loco crescit Stipæ pennatæ varietas, cuius calices sunt fusco-violacei et arista dimidio et amplius brevior. An fortasse species nova?



STIPA BICOLOR *Vahl. Tab. 466. Fig. 2.*

521. STIPA aristas nudis, seminibus ovato-oblongis stipitatis; stipite tomentoso.  
 Stipa aristas nudis, seminibus obovatis, basi barbatis. *Vahl Symbol. 2 pag. 24. Willdenow spec. vol. 1 pag. 442.*

Culmus sesquipedalis erectus, glaber, vaginis longis striatis tectus: nodi distantes villosi.

Folia culmum arcte vaginantia: vagina striata semipedalis, apice amplior, libera, carinata, ac demum terminatur folio subulato, involuto, tripollicari.

Flores paniculati: panicula tres quattuorve pollices longa, ramosa: rami alternatim bini capillares, altero breviori: pedicelli proprii breves, ut plurimum tres, uniflori in singulis ramis.

Calicis valvulae luteo-violaceae, semine paulo longiores, acuminatae, a medio ad apicem membranaceae albae.

Corolla stipitata, stipite tomentoso: valvula interior subulata, rigida, in exteriori inclusa; haec est obovata, versus apicem tuberculis minimis scabra, apice articulata, ubi arista prodit bipollicaris, contorta, varie flexa, basi que barbata.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in fundo chilensi Longaví, floretque Ianuario. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. A Calix fructifer. B Semen valde auctum.

*Obs.* Cl. Vahlí plantam numquam vidi, eius tamen descriptio meae plantae convenire videtur.

STIPA EMINENS. *Tab. 467. Fig. 1.*

522. STIPA aristas nudis: seminibus tomentosis: foliis striatis.

Culmus tripedalis et amplius, glaberrimus, striatus, foliorum vaginis fere tectus.

Folia culmum vaginantia, vagina tripollicari striata, cuius apex squamatus, ubi folium expanditur striatum, pedem et amplius longum, sesquilineum latum, sensim angustius versus apicem, qui acutissimus est.

Flores paniculati, panicula laxa, pedali, ramosa: rami alternatim plures ex eodem puncto, inaequales, capillares, multiflori: pedicelli proprii breves inaequales.

Calicis valvulae virido-albae, inaequales, acumine acuto translucido, corolla longiores.

Corollae valvularum interior subulata, exterior tecta: haec est calice paulo brevior, undique tomentosa, apice articulata, ibique terminata arista nuda sesquipollicari, versus medium flexa.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat prope oppidum mexicanum Chalma. Floret Augusto. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. a Flos magnitudine naturali. b Semen corolla tectum cum arista et calice: omnia aucta.

STIPA MICRANTHA. *Tab. 467. Fig. 2.*

523. STIPA aristas nudis: panicula spicaeformi: seminibus glabris: foliis striatis planis: geniculis rubro-fuscis.

Culmus sesquipedalis, gracilis, erectus, geniculis tribus quattuorve rubro-fuscis.

Folia culmum vaginantia, vagina striata, terminata in folium planum versus apicem acutum, semilineam latum, longitudine varium; inferius enim tres pollices, superius vero vix pollicem longum est, et angustius ceteris.

Flores paniculati, panicula quattuor pollices longa, adeoque contracta ut spicam refferat: ramuli breves, inaequales, alternatim plures, multiflori.



Calicis valvulæ translucentæ, albicantes, acutissimæ, inæquales.

Corolla glabra, calici subæqualis, terminata arista nuda, in medio deflexa, ipsa triplo longiore.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in Nova-Hollandia, floretque Aprili. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. A Flos magnitudine naturali. B Idem fructifer auctus.

### ARISTIDA CAPILLACEA Lamark. Tab. 468. Fig. 1.

524. ARISTIDA humilis, panicula composita capillacea; aristis lævibus divaricatis. Lamark  
*Illust. des genres. pag. 156 num. 777.*

Radix fibrosa capillaris ex qua culmi prodeunt vix palmares glabri, articulati, tenues.

Folia glauca: radicalia duos tresve pollices longa, subulata, versus basim ampliora; in culmo alterna, vagina brevi, omniaque angustissima.

Flores paniculati, paniculis ramosis axillaribus et terminalibus: ramuli capillares, multiflori: pedicelli floribus longiores, ramulis adhuc tenuiores.

Calicis valvulæ acutissimæ, glaberrimæ, quarum interior paulo longior.

Corollæ valvula calice brevior, basi vix hirsuta, terminata aristis tribus æqualibus, calice triplo longioribus.

Staminum filamenta tria, brevia, capillaria: antheræ fuscæ, oblongæ.

Germen lineare, turbinatum: styli duo capillares: stigmata villosa.

Semen minimum, sublineare.

Habitat in Luzon altera ex insulis philippicis, floretque Novembri.. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tabulæ quæ plantam sistit integram magnitudine naturali. *a* Flos. *b* Idem auctus.

*Obs.* Planta americana a Richardo in patria lecta, quam nuperrime mihi communicavit D. Vahl, procerior est nostra philippica.

### ARISTIDA PALLENS. Tab. 468. Fig. 2.

525. ARISTIDA panicula pauciflora: pedicellis alternis brevibus bifloris: aristis elongatis.

Ex eadem radice fibrosa culmi exsurgunt plures basi fasciculati, tectique vaginis foliorum, teretes pedales et amplius, terminati panicula pauciflora, ornatique uno aut duobus foliis.

Folia radicalia numerosa, culmo paulo breviora, acutissima et filiformia ut in Stipa tenacissima, attamen tenuiora et minus rigida; in culmo observantur sæpe duo quæ ipsum longe vaginant, vagina terminata in folium radicalibus consimile.

Florum panicula pauciflora, tres pollices sæpe longa, pedicellis alternis, bifidis, bifloris.

Calicis valvulæ carinatæ, acutissimæ, glabræ, quarum interior pollicem longa, exterior dimidio brevior.

Corollæ valvula oblonga, longitudinaliter connivens, basi hirsuta, terminata apice aristis tribus, tres pollices et amplius longis.

Staminum filamenta tria quæ prodeunt per rimam valvulæ corollinæ prope basim.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in chilense oppido Cucha-cucha, floretque Ianuario. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. A Genitalia cum valvula corollina et aristis. B Eadem valvula aucta ut appareat tomentum in eius base.

*Obs.* Tota planta pallet. Ad Aristidam hystricem Linnæi accedit, licet diversa sit, rachide recta, culmo erecto, pedicellis solitariis, et corolla quæ calice est brevior.



ARISTIDA MURINA. *Tab. 469. Fig. 1.*

526. ARISTIDA panicula subspicata: ramulis alternatim binis, subquinquefloris: calicibus violaceis.

Ex radice fibrosa culmi eriguntur palmares glabri.

Folia culmum vaginantia, vagina pollicari, striata, in folium gramineum soluta, sensim angustius, tripollicare, apice convolutum.

Flores paniculati, panicula subspicata duos pollices longa, cuius rami alternatim bini, sensim versus apicem breviores, in quorum summitatibus flores subquinque fere umbellati, pedicellis brevissimis.

Calicis valvula violaceæ, glaberrimæ, acutissimæ, quarum interior pollicaris, exteriore duplo longior.

Corollæ valvula terminatur aristis tribus subæqualibus, albicantibus, duos pollices longis.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in Mindanao insula prope Samboangan, floretque Decembri. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tabulæ quæ integram sistit plantam. a Flos magnitudine naturali.

ARISTIDA RIGIDA. *Tab. 469. Fig. 2.*

527. ARISTIDA panicula contracta; foliis rigidis subulatis, culmo parallelis: aristarum media duplo longiore.

Culmus tripedalis, glaber, usque ad paniculam foliosus.

Folia rigida, disticha, subulato-canaliculata, acumine subspinoso, culmo parallela, approximata, tres quattuorve pollices longa, vagina excepta, quæ pollicaris est et striata.

Flores paniculati, panicula contracta, sæpe semipedali: rami alternatim plures ex eodem puncto, inæquales, iterum ramosi, multiflori.

Calicis valvula violaceæ, acutissimæ, subæquales, sesquilineam longæ.

Corollæ valvula calice brevior, terminata aristis tribus, intermedia duplo longiore.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in insulis Philippicis floretque Novembri. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. A Flos magnitudine naturali. B Idem auctus.

ARISTIDA LAXA. *Tab. 470. Fig. 1.*

528. ARISTIDA panicula laxa; pedicellis nudis, elongatis, bifidis: spiculis terminalibus: aristis inferne contortis.

Radices filiformes, fibrillis aliquot.

Culmi fasciculati, simplices, bipedales, foliis duobus aut tribus.

Folia convoluta subulata; radicalia fere pedem longa; reliqua culmum arcte vaginantia: vagina striata, glabra, sesquipollicaris, in folium soluta.

Panicula pedem et amplius longa: ramuli distantes compressi, tenues, nudi, bifidi, spiculis pollicem et amplius longis terminati. ? Nutantibus?

Calicis valvula fusca, subulato-carinata, subæquales.

Corolla calice paulo brevior, basi dumtaxat villosa, apice terminata aristis tribus, inferiore parte in funiculum contortis, quarum intermedia duplo longior.

Semina solitaria, teretia, oblonga, basi sulcata, rufa, nitida, valvula corollina arcte involuta tecta.

Reliqua ut in præcedentibus.



Habitat prope Montevideo, et in insulis Philippicis, floretque Septembri. Vidi siccam ibidem.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus. *b* Semen. *c* Idem auctum.

ARISTIDA LUZONIENSIS. *Tab.* 470. *Fig.* 2.

529. ARISTIDA culmo ramoso: panicula contracta: spiculis alternatim pluribus: aristis subæqualibus.

Culmi tripedales et amplius, ramosi, articulati, glabri.

Folia subulata, convoluta; radicalia numerosa pedalia; reliqua ramos vaginantia, vagina arcta, striata, duos pollices sæpius longa, postea in folium soluta, radicalibus simile.

Paniculæ contractæ, terminales, quattuor pollices longæ, ex pluribus spiculis compositæ.

Calicis valvulæ lutescentes, carinatae, valde acutæ, quarum interior paulo longior.

Corolla calici et aristis subæqualis; valvula scilicet oblonga, marginibus involuta, basi dumtaxat villosa, apice triaristata, aristis subæqualibus; fructifera punctis fuscis variegata arcteque in cylindrum convoluta.

Habitat in insula Luzon altera ex Philippicis, floretque Aprili et Maio. Vidi siccam in laudato herbario.

*Explic.* tab. A Flos magnitudine naturali. B Idem auctus.

ARISTIDA VAGANS. *Tab.* 471. *Fig.* 1.

530. ARISTIDA paniculæ ramulis divaricatis paucifloris: corolla calicibus longiore: aristis brevibus, media productiore.

Culmi bi-tripedales, glabri, teretes: articuli rubentes elongati.

Folia vaginantia, vagina pollicari, in folium postea soluta subulatum, semipedem longum.

Flores paniculati, panicula parce ramosa, ramis divaricatis paucifloris.

Calicis valvulæ non ita acutæ ac in præcedentibus, exteriori breviori.

Corolla calice et aristis longior, basi villosa, apice triaristata; aristarum intermedia productiore.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat prope portum Jackson in Nova-Hollandia, floretque Aprili. Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos paulo auctus.

ARISTIDA INTERRUPTA. *Tab.* 471. *Fig.* 2.

531. ARISTIDA paniculæ ramis virgatis: florum fasciculis interruptis: corolla calicibus longiore.

Culmus tripedalis et amplius: nodi incrassati rubentes.

Folia vaginantia, vaginis internodiis subæqualibus, apice solutis in folium subulatum bipedale.

Flores longe paniculati: rami erecti virgati, quorum florum fasciculi interrupti.

Calicis valvulæ acutissimæ, interiore longiore.

Corolla calice paulo longior, basi dumtaxat villosa, apice triaristata, aristis barbatis intermedia productiore.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat prope oppidum Chalma Regni mexicani. Floret Augusto. Vidi siccam in laudato herbario.

*Explic.* tab. *b* Flos auctus.



## ARISTIDA TERNIPES.

532. *ARISTIDA* panicula coarctata longissima: ramulis alternatim ternis capillaribus: arista intermedia longiore.

Huius plantæ vidi dumtaxat paniculam et folium paniculæ proximum; quare nihil dicam de culmo qui præcedentibus procerior videtur si ex paniculæ et folii magnitudine coniciendum.

Folium est convolutum subulatum sesquipedale, cuius vagina brevis, striata.

Panicula sesquipedalis: ramuli alternatim terni, semipedem longi, capillares, rachidi paralleli, versus apicem floriferi; flores subdecem, alterni pedicellis propriis.

Calicis valvulæ carinata, virides, subulata, exteriore paulo brevior.

Corolla calice longior, basi villosa, apice triaristata, aristis lateralibus brevibus, intermedia semipollicari.

Reliqua ut in precedentibus.

Habitat Panamaide, inventa a Domino Ludovico Née. Floret Novembri.

*Obs.* Auctores video discrepantes de quibusdam Aristidæ characteribus. Linnæus, Iussieus, Lamarck aliique plures corollam dixerunt univalvem; dum Schreber et Willdenow duas in ipsa valvulas invenerunt atque foliola item duo minima, *nectarium* ab ipsis nuncupata. Plures equidem examinavi species; verumtamen in sicco, ideoque minus aptas ad litem dirimendum, quia partes illæ minimæ, in siccis exemplaribus fortasse oblitteratæ, in vivis dumtaxat inquirendæ sunt. Lite ergo sub iudice relictæ, meas hic observationes adiungam. Ecce illas.

1. Calix semper uniflorus, bivalvis: valvulæ carinata, subulata, ut plurimum inæquales, exteriore breviori.
2. Corolla fere semper calice brevior, univalvis, involuta, rimula versus basim hiante, qua genitalia prodeunt: illa est basi villosa-hirsuta, apice triaristata.
3. Aristæ ut plurimum divergentes, raro inferne in funiculum convolutæ, semper barbata, barbulis oculus nudum fere fugientibus, quarum intermedia fere semper ceteris longior.
4. Semen teres, oblongum, nitidum, apice acutum, basi instructum sulco, corolla undique tectum.

Aristida ergo Stipæ valde affinis, eoque magis si corolla gaudet bivalvi ut recentioribus placet: differunt tamen aristarum numero qui ternarius est in Aristida, simplex in Stipa.

## MELICA AURANTIACA Lamarck. Tab. 472. Fig. 1.

533. *MELICA* panicula subspicata: calicis valvula exteriore maxima, aurantia.

Melica panicula ovato-oblonga semidimidiata; spiculis erectiusculis; calicis valvula altera maxima. *Lamarck dict. vol. 4 pag. 70.*

Culmus sesquipedalis, erectus, glaber, striatus, foliorum vaginis tectus, superiore parte excepta, pollicari aut bipollicari longitudine.

Folia vaginis breviora; superiora vix pollicem longa, inferiora bipollicaria, acuta, striata, subvillosa: vaginæ pariter striatæ brevissimis villis tectæ, apice ubi folia incipiunt membranula scariosa albicante sæpius bifida ornata.

Flores paniculati, erecti aut nutantes, panicula subspicata, pedicellis alternis capillaribus erectis, bi-trifloris.

Calix triflorus, bivalvis, valvula exteriore aurantia, ovata, basi cucullata, striis sex protuberantibus, limbo superiore sæpius fisso, floribus multo maiore; interiore oblongo-ovata, viridi, concava, apice scarioso cristata, dorso sexstriata.

Flores alterni, pedicellati, quorum superius est dumtaxat rudimentum; ceteris corolla bivalvis, valvula exteriore concava, oblonga, apice cristata, crista scariosa, semilanceolata; huius valvulæ limbus ciliatus, dorsum striatum striis novem afabre et subtilissime muricatis; valvula interior inverse concava.



Staminum filamenta tria capillaria vix corollæ longitudinis : antheræ oblongæ, utraque extremitate emarginatæ.

Germen ovato-turbinatum; styli duo nudi: stigmata villosa.

Semen ovatum.

Habitat in viciniis Montevideo, floretque Septembri. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. A Culmi pars aucta ut conspiciantur striæ, et villi. *a* Flos integer. *b* Rudimentum tertii floris. *c* Valvula exterior calicis. *d* Interior. *e* Flos unicus postice spectatus. *f* Idem apertus. *g* Valvula corollæ exterior: omnia aucta.

*Obs.* *Cristam* dico pelliculam scariosam, valvulæ apici adnatam, valvulisque parallelam, basi amplam, apice acutam, et quandoque fissam.

### MELICA VIOLACEA. *Tab.* 472. *Fig.* 2.

534. MELICA panicula subspicata secunda: corollis violaceis, ciliatis: calicis valvula exterior argentea, apice denticulata.

Melica spiculis minoribus nutantibus; glumis calicinis spadiceo-cærulescentibus. *Lamarck dict. vol. 4 pag. 70 num. 2.*

Culmus vix pedalis, glaber, striatus.

Folia angustiora quam in præcedente; vaginæ foliis longiores, arctæ et striatæ.

Panicula subspicata, pedicellis erectis subtrifloris, floribus secundis.

Calicis valvula exterior albicans, translucida, floribus paulo maior, basi cucullata, apice denticulata.

Corollarum exteriores valvulæ fusco violaceæ, concavæ, apice cristatæ.

Reliqua omnino ut in præcedente.

Habitat prope Talcahuano in Chile, floretque Februario et Martio. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *h* Calix cum floribus. *i* Idem expansus. *k* Flos solitarius dorso visus. *l* Idem apertus. *m* Valvula corollæ exterior: omnia aucta.

### MELICA RIGIDA. *Tab.* 473. *Fig.* 1.

535. MELICA panicula subspicata secunda: calice corollis æquali; corollarum altera ciliata.

Ex radicibus filiformibus barbatis culmi prodeunt erecti, octo pollices ut plurimum alti, teretes, striati, vaginis foliorum tecti.

Folia acuta, striata, rigida, longiora quam in præcedentibus quorum superius panicula paulo brevius, eiusque vagina superiore parte spathæformis, ore gerens membranulam scariosam varie fissam.

Flores paniculati, panicula secunda, spicæformi, ramulis capillaribus rachidi parallelis.

Calix triflorus, corollæ subæqualis; cuius valvula exterior ovata, translucida, basi cucullata, striisque quinque notata: interior ovato-acuta, viridis, concava, apice scarioso cristata, dorso striata.

Flores in singulis calicibus ut in præcedentibus terni, quorum superius est dumtaxat rudimentum. Valvulæ corollinæ exteriores concavæ, striatæ, apice cristatæ: inferioris flosculi limbo ciliato; superioris vero nudo.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in Montevideo haud procul ab *Almacen de los negros*, floret Septembri. Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos expansus. *b* Valvula corollina aucta, ciliata.



MELICA LAXIFLORA. *Tab. 473. Fig. 2.*

536. MELICA panicula divaricata: calicis exterioris valvula corollis longiore: corollarum altera ciliata.

Culmus bipedalis, teres, glaberrimus.

Folia angustissima, acuta, striata, quinque pollices et amplius longa, vagina excepta ipsis quandoque longiore, striata, vix villosa, in cuius ore observatur membranula laciniata scariosa.

Flores paniculati, ramulis divaricatis, capillaribus, multifloris.

Calicis valvula exterior ovata, basi cucullata et striata, limbo translucido scarioso, flosculis maior; interior sub lanceolata pallide fusca, striata, cristata.

Corollae valvulae cristatae, pallidae fuscae; floris inferioris valvula exterior limbo ciliata; superioris nuda.

Reliqua ut in praecedentibus.

Habitat prope Talcahuano in Chile, floretque Februario et Martio. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. A Calix triflorus. B Idem expansus. c Corollae valvula ciliata, aucta.

*Obs.* Supra descriptae species gaudent corollarum valvulis et interiori calicinae cristatis. *Aurantiaceae* et *violaceae* valvulae corollinae exteriores sunt ciliatae; *rigidae* vero et *laxiflorae* tantummodo floris inferioris valvula ciliata est, superioris nuda. Omnium vaginae striatae sunt, plus minusve villosae, quemadmodum observatur in culmo aucto tab. 472, litera A. Num harum specierum aliqua sit Melica papilionacea Linnæi affirmare non possum, quia istam numquam vidi.

HOUSTONIA RUBRA. *Tab. 474. Fig. 1.*

537. HOUSTONIA foliis linearibus subconnatis: floribus solitariis axillaribus subsessilibus.

Radix descendens, teres, ramosa, fibrillis aliquot, ex qua cauliculi prodeunt numerosi, striati, articulati, pollicem et amplius longi.

Folia linearia, acuta, angustissima, opposita et subconnata, vagina minima cincta.

Flores solitarii, axillares, subsessiles.

Calix inferus, persistens, profunde partitus in quattuor lacinias acutas.

Corolla rubra, monopetala, infundibuliformis, limbo patente quadripartito, laciniis ovato-acutis, tubo brevioribus.

Staminum filamenta quattuor, brevia, tubo corollae infra faucem adfixa: antherae simplices non exsertae.

Germen superum, globosum, subcompressum: stylus tubo corollae brevior: stigma globosum.

Capsula subglobosa, didyma, bilocularis, bivalvis, valvulis dissepimento oppositis, superne dehiscentibus.

Semina subglobosa, solitaria in quolibet loculamento.

Habitat prope oppidum mexicanum Ixmiquilpan, floretque Septembri. Vidi siccam et iconem vivis coloribus expressam apud D. Lud. Néé.

*Explic.* tabulae quae plantam sistit magnitudine naturali. a Calix auctus. b Corolla expansa. c Capsula magnitudine naturali. d Eadem aucta. e Eadem dehiscentis. f Huius sectio.

g Semen. Omnia aucta.

*Obs.* Consulatur Iussieus gen. plant. pag. 197, et Lamarck dict. vol 3 pag. 144 qui Houstoniae tribuunt capsulam superam bilocularem, loculis monospermis; ideoque non eam Rubiaceis, sed Gentianis consociant. Mea species differt ab H. caerulea stigmatibus simplicibus; nota proinde a caractere generico expungenda. Ab hoc genere removenda est Houstonia purpurea Linnæi, cui germen inferum, ut probe notavit Lamarck loco citato.



## SELLIERA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

- Calix superus, persistens, profunde quinque-partitus.  
 Corolla monopetala, irregularis: tubus longitudinaliter usque ad basim fissus: limbus ad-  
 dens, quinquefidus, laciniis lanceolatis.  
 Stamina filamenta quinque, germini circum stylum imposita, erecta: antheræ ovatæ stantes.  
 Germen inferum, ovato-turbinatum: stylus simplex, filamentis longior, incurvus: stigma  
 globoso-truncatum.  
 Bacca ovato-turbinata, coronata calice; unilocularis, polysperma: semina ovato compressa,  
 sacculis totidem membranaceis, circulariter marginatis contenta, quadrifariam imbricata,  
 columellæ filiformi adfixa.  
*Obs.* Selliera differt a Scævola fructu.

SELLIERA RADICANS. *Tab. 474. Fig. 2.*

538. SELLIERA caule prostrato radicante: foliis spathulatis.  
 Caulis prostratus, pilosus, pedalis, radicans, ramulis vix pollicem longis.  
 Folia spathulata, integerrima, alterna, et in axillis fasciculata.  
 Flores aut ramulos terminantes aut axillares pedunculis solitariis sesquipollicaribus, versus  
 medium bibracteatis, fere semper unifloris. Bracteæ subulatæ.  
 Calix viridis laciniis lanceolatis acutis.  
 Corolla postica superficie subcærulea, antica alba, acuminibus laciniarum exceptis, quæ sunt  
 etiam cærulea.  
 Germinis tegumentum est calicinæ substantiæ, cuius videtur continuatio, estque striatum  
 præsertim fructu maturo.  
 Stylus corolla brevior, cæruleus.  
 Stamina et antheræ lutescentia.  
 Semina cinerea, scabriuscula, ovato-compressa: sacculi scariosi, albicantes ala præsertim cir-  
 culari.  
 Habitat in humidis maritimis Sancti Caroli de Chiloe ubi floret Februario, et in valle chi-  
 lense, vix leuca dissita ab urbe Coquimbo, hic florens mense Maio. Vidi siccam et niti-  
 dissimam iconem in memorato herbario.  
*Explic.* tab. *h* Fructus magnitudine naturali. *i* Flos antice spectatus avulso calice. *k* Geni-  
 talia. *l* Fructus. *m* Idem decorticatus. *n* Idem truncatus ut appareat Columella filiformis.  
*o* Semen sacculo inclusum. *p* Idem absque sacculo: omnia aucta. *q* Semen cum sacculo,  
 et *r* idem denudatum magnitudine naturali.

*Obs.* Baccam suspicor esse succulentam qualem vidimus in Passifloris: emmolita enim  
 aqua tepida in ipsa vidi sacculos mucore glutinoso madidos.

CERVANTESIA BICOLOR. *Tab. 475.*

539. CERVANTESIA caule arboreo: foliis oblongis ferrugineo-tomentosis: floribus racemosis.  
 An Cervantesia tomentosa? *Fl. Per. et Chil. Syst. pag. 72.*  
 Caulis arboreus, biorgyalis et ultra: rami alterni numerosi; teneri tomentosi.  
 Folia alternatim sparsa, ovato-oblonga, integerrima, limbo revoluto, tomento denso rufo  
 tecta præsertim tenera, quorum pagina superior atate denudatur tomento et apparet glabra.

(a) Genus dicatum Natali Sellier calcographo pa- minis, quemadmodum et Monadelphæ meæ tabulas  
 risiensi, qui huius operis primi atque secundi volu- æri perfecte incidit.



Petioli crassi, tomentosi, foliis multoties breviores: nervus unicus longitudinalis, ramosus, ramulis aut venis tomento oblitteratis.

Flores minuti racemosi, racemis axillaribus et terminalibus: pedunculi brevissimi, qui sensim incrassantur et elongantur ut fructum sustineant. Bracteæ lanceolatae deciduæ, ad racemorum basim.

Calix campanulatus, quinqueangulatus, ad basim usque quinquepartitus, inferus, persistens, valde tomentosus: laciniæ ovatae, acutæ quæ in fructu elongantur, incrassantur, et rubescunt.

Corolla (squamæ quinque secundum laudatæ floræ auctores) monopetala, albicans, semiquinquefida, laciniis rotundatis, calice triplo brevior et in huius fundo collocata, quæ aucta persistit, fructus inferiori parti adhærens, membrana rotunda inter ipsam et nucem interposita.

Staminum filamenta quinque, minima, corolla paulo altiora, et cum ipsius laciniis alterna, crassiuscula, basi dilatata, qua calicis foliolis inserta sunt: antheræ ovatae, didymæ, inferne emarginatae.

Germen in fundo calicis ovatum, in stylum crassum breve desinens: stigma emarginatum et veluti bicornè.

Nux ovata et sæpius spherica, unilocularis, evalvis, monosperma, glabra, calice tecta. Semen unicum cavitati nucis conforme, inferne perforatum: huius integumentum simplex tenuissimum albicans. Albumen crassum carnosum, castanei coloris (in sicco). Embryo filiformis, erectus, longitudine fere albuminis.

Habitat in viciniis Obragillo et S. Buenaventura Regni peruviani: floret Julio *h.* Vidi siccam et Iconem apud D. Née.

*Explic.* tab. A Ramus floridus. *a* Fructuum racemus. *b* Flos postice spectatus magnitudine naturali. *c* Idem antice, auctus. *d* Calicis foliolum cum filamentis. *e* Nux calice tecta. *f* Eadem ubi calicis foliola secta, ut conspiciatur crassities. Eadem denudata calice cum corolla et membranula ipsi adpressa et adhærente. *h* Nucis sectio. *i* Semen. *k* Huius sectio perpendicularis ut videatur embryo.

*Obs.* Cervantesiam (*a*) dixi bicolorè, quia vetusta folia sunt superiore pagina viridia, inferiore rufa.

(*a*) Num vero hæc mea Cervantesia sit eadem illa planta quæ genus novum dedit Floræ Peruvianæ auctoribus (*Prodr. pag. 39*), affirmare non audeo propter characterum discrepantiam. Ecce illam.

CHARACTER GENERICUS. *Cavanilles.*

Calix inferus, persistens, campanulatus, quinqueangulatus, quinquepartitus, laciniis ovato-acutis, in fructu auctis, incrassatis.

Corolla monopetala, semiquinquefida, laciniis rotundatis, aucta persistens fructus basi adhærens, membrana rotunda inter ipsam et nucem interposita.

Staminum filamenta quinque minima, corollæ laciniis alterna, crassiuscula, basi dilatata, qua calicis foliolis inserta: antheræ ovatae, didymæ, inferne emarginatae.

Germen in fundo calicis ovatum, in stylum crassum breve desinens: stigma emarginatum.

Fructus: nux ovata, unilocularis, evalvis, monosperma, glabra, calice tecta.

Semen cavitati nucis conforme, inferne perforatum: cuius integumentum simplex tenuissimum: albumen crassum: embryo filiformis, erectus, longitudine fere albuminis.

Interea memorati auctores poterunt secundis curis plantam observare, remque totam in bono lumine collocare in scientiæ profectum.

CHARACTER GENERICUS. *Floræ Peruv.*

Perianthium campanulatum, quinqueangulatum, quinquepartitum: laciniis ovatis, acutis; inferum, in flore parvum, in fructificatione magnum, coloratum.

Corolla nulla.

Squamæ quinque minimæ, subrotundæ, albæ, medio laciniarum calicis insidentes.

Stam. Filamenta quinque, compressa, æqualia, squamis alternantia, basi calicis inserta. Antheræ oblongæ, superne inferneque bifidæ.

Germen ovatum, superum. Stylus nullus. Stigma simplex.

Peric. Calix carnosus, nucem involvens, inferne nuci accretus, superne liber; laciniis magnis acutis.

Semen. Nux ovata, a medio ad basim fungosa, inferne derasa, unilocularis. Nucleus ovatus.



## CALBOA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

Calix inferus, persistens, semiquinquepartitus, laciniis ovato-acutis.  
 Corolla monopetala, infundibuliformis: tubus longus prope faucem perviam ventricosus: limbus quinquepartitus laciniis lanceolatis.  
 Stamina filamenta quinque, filiformia, æqualia, corolla longiora, prope tubi basim inserta: antheræ stantes, ovatæ, sulcatæ.  
 Germen ovatum: stylus staminibus paulo longior apice curvus: stigma simplex, globosum.  
 Capsula quadrilocularis, quadrivalvis: dissepimenta valvulis parallela in crucem connexa.  
 Semina solitaria in loculamentis, obovata, extus convexa et bisulcata, intus subplana, basique interna receptaculo adfixa.  
*Obs.* Hoc genus differt ab *Azalea* staminum insertione et loculamentorum numero: ab *Ipomœa* stigmate simplici, filamentis æqualibus nudis, capsula quadriloculari, et calice monophyllo.

## CALBOA VITIFOLIA. Tab. 476.

540. CALBOA caule scandante: pedunculis axillaribus, longissimis, apice bifidis, multifloris. Chayotillo vulgo. *Nee herbar. cum icone.*  
 Caulis glaber, teres, viridis, scandens, octo et amplius pedes longus.  
 Folia alterna, petiolis subæqualia, cordata, profunde trilobata, lobis lanceolatis, acutis, glabris.  
 Flores subcorymbosi: pedunculus communis axillaris, solitarius, crassus, sesquipedalis, bifidus, bicorymbosus: partiales pollicem fere longi.  
 Calix monophyllus, viridis, semiquinquepartitus, laciniis ovatis cum acumine subulato.  
 Corolla extus lutescens, intus purpureo-rubra, tubo præsertim et laciniarum parte inferiore: lacinia tubo breviores, pollicem fere longæ.  
 Stamina filamenta luteo-albicantia: antheræ luteæ.  
 Germen viride: stylus luteo-albicans: stigma flavum.  
 Semina fusca, et nigricantia in sicco.  
 Habitat prope urbem Sancti Blasii in America Septentrionali, ubi eam legit mense Martio laudatus Née. Vidi siccam.  
*Explic.* tab. a Corolla expansa ubi filamentorum insertio et longitudo. b Calix cum germine. c Capsula. d Eadem dehiscens separata a calice. e Eadem valvulis revolutis ut apparent dissepimenta et semina. f Semen e latere conspectum. f Idem extus visum.

## IPOMOEA ? BRACTEATA. Tab. 477.

541. IPOMOEA? foliis ovato-acutis cordatis: floribus racemosis: bracteis carnis venosis. *Ipomœa. Nee herb. cum icone.*  
 Caulis volubilis, scandens, orgyalis et ultra, cortice subsuberoso.  
 Folia alterna, ovato-acuta, cordata, petiolis longiora.  
 Flores racemosi racemis pendulis: pedunculus communis flexuosus; partiales breves, distichi, uniflori, qui prope calicem ornantur bractea saturate carnea, plicata, orbiculari, cordata, cuius diameter pollicaris et ultra.

(a) In memoriam Ioannis Calbo, Medicinæ doctoris, qui natus Valentia Botanicae primo cathe-

dram, et paulo post Chirurgicæ artis summa cum laude rexit Seculo 16.º



Calix persistens ex quinque foliolis coriaceis, ovatis cum acumine subulato, quorum duo interiora sunt.

Corolla rubro-carnea, infundibuliformis: tubus sesquipollicaris, sensim amplior versus faucem perviam: limbus revolutus integer.

Staminum filamenta quinque, filiformia, imberbia, æqualia, imæ tubi parieti adfixa: antheræ ovatæ.

Germen ovato-acutum: stylus subulatus, filamentis subæqualis: stigma ovatum parvum.

Capsula ovato-acuta, calice longior.

Habitat prope fundum Mazatlan duabus leucis a Petaquilla et quattuor a Chipalcingo in Regno mexicano. Floret Aprili.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Idem expansus germen sustinens. *c* Corolla expansa. *d* Capsula.

*Obs.* Flores et capsulam ex Icone mutuavi, reliqua ex sicco. Loculamentorum et seminum numerus ignotus. Quare quamvis calix Ipomœæ sit, cum dubio ad hoc genus et ad tempus dumtaxat reduxi plantam, alioquin spectabilem, quia stamina vidi inberbia et æqualia, antheris terminata ovatis, et stigma non bilobum sed ovatum.

### IPOMOEA TERNIFOLIA. *Tab.* 478. *Fig.* 1.

542. IPOMOEÆ floribus axillaribus solitariis: foliis linearibus, ternis, petiolo communi longioribus.

Caulis herbaceus, filiformis, ramis alternis, glaber, pedalis, cuius pars radici proxima apparet lignosa et crassior in sicco.

Folia alterna, ternata, linearia, angustissima, petiolo communi longiora.

Flores axillares, solitarii, pedunculo nudo sustentati, foliis longiore.

Calix pentaphyllus, foliolis ovato-acuminatis glabris cartilagineis, quorum duo interiora.

Corolla violaceo-rubens, infundibuliformis: tubus dilutior, pollicem longus, sensim versus faucem perviam ampliatus: limbus patens, semiquinquepartitus, laciniis ovatis.

Staminum filamenta quinque, inæqualia, basi tomentosa, imo tubo inserta: antheræ luteæ, sagittatæ.

Germen globosum: stylus staminibus paulo altior: stigma bilobum, album, mamillare.

Habitat in Acapulco viciniis, floretque Aprili. Vidi siccam absque fructu in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix cum germine. *b* Corolla expansa et revoluta ut staminum situs et magnitudo conspiciatur. *c* Stamen auctum.

### IPOMOEÆ MURICATA. *Tab.* 478. *Fig.* 2.

543. IPOMOEÆ floribus axillaribus solitariis: foliis quinatis subsessilibus: calicibus muricatis.

Caules filiformes, ramis alternis consimilibus, pedem et amplius longis.

Folia alterna, quinata, linearia, angustissima, mediis longioribus, petiolo brevissimo affixa.

Flores solitarii, axillares, pedunculati; pedunculo prope calicem bisquamoso.

Calix ut in præcedente, attamen ipsius tria foliola exteriora sunt dorso muricata.

Corolla violaceo-rubens, præcedentis longitudine: limbus patens, semiquinquepartitus, laciniis ovatis, apice argute cuspidatis.

Genitalia ut in præcedente: stigma altius, prominens.

Capsula globosa, calice paulo maior, bilocularis, quadrivalvis, loculis dispermis: dissepimentum elypticum, basi perforatum.

Semina nigra, externe convexa, interne angulata.

Habitat in Huanajuato; floret Octobri. Vidi siccam in dicto herbario.



*Explic.* tabulæ quæ ramulum sistit. *d* Corolla expansa et revoluta cum staminibus. *e* Calix expansus cum germine et stylo. *f* Calix auctus ut folia muricata conspiciantur. *g* Capsula intra calicem. *h* Eiusdem sectio. *i* Dissepimentum. *k* Semen.

### CONVOLVULUS LASIANTHUS. *Tab.* 479. *Fig.* 1.

544. CONVOLVULUS floribus solitariis: foliis palmato-laciniatis, tomentosus; lacinia media ampliori, pinnatifida.

Convolvulus laciniatus hirsutus, calice villosissimo, foliis inferioribus palmato-laciniatis.

*Lamarck dict. vol. 3 pag. 546.*

Ex eadem radice caules prodeunt bipedales, simplices, teretes, humifusi, tomentosi ut et tota planta.

Folia palmato-laciniata, laciniis septem, intermedia ampliori, pinnatifida; in caulium summatibus lacinia omnes sunt angustiores: petioli foliis breviores.

Flores axillares, solitarii, pedunculis folio subæqualibus, prope calicem bibracteatis: bractea lineari-acuta, lineam longæ.

Calix pentaphyllus, foliolis concavis, coriaceo-scariosis, ovatis cum acumine, dense villosis, quorum duo interiora, reliqua exteriora, semiimbricata.

Corolla alba, extus villosa, monopetala, campanulato-infundibuliformis: tubus calice vix longior: limbus quinquepartitus, laciniis obtusis, apice setoso.

Staminum filamenta quinque, corolla dimidio breviora, tubi parieti adfixa: anthera lutea, ovata, basi emarginata.

Germen globosum, receptaculo carnosum impositum: stylus staminibus altior, basi villosus: stigmata duo divaricata, acuta, basi crassiora.

Capsula globosa, cum acumine brevi: semina nigra, tria plerumque.

Habitat prope Talcahuano in Chile, floretque Novembri et Decembri. Vidi siccam apud D. Née.

*Explic.* tab. *a* Calix expansus germen continens. *b* Corollæ sectio ut conspiciantur stamina.

### CONVOLVULUS LACINIATUS *Lamarck.* *Tab.* 479. *Fig.* 2.

545. CONVOLVULUS floribus solitariis: foliis laciniatis, laciniis capillaribus, bi-trifidis.

Convolvulus foliis tenuiter laciniatis, subbipinnatis, pedunculis unifloris; calice fructus nudiusculo. *Lamarck Encycl. vol. 3 pag. 546.*

Caulis filiformis, bipedalis, teres, rubescens, pilis aliquot, quandoque glaber.

Folia alterna, petiolis paulo longiora, profunde laciniata, laciniis capillaribus bi trifidis, nunc glabris, nunc pilosis. Reliqua ut in præcedente.

Habitat tribus leucis a Montevideo prope Maldonado, floretque Septembri. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *c* Calix fructifer. *d* Capsula. *e* Semen.

*Obs.* D. de Lamarck huius varietatem reputat plantam præcedentem. Proculdubio in pluribus conveniunt, foliis tamen diversæ videntur. In utraque corollæ et calices sunt extus dense villosi, floresque solitarii albicantes.

### CONVOLVULUS DISSECTUS. *Tab.* 480. *Fig.* 1.

546. CONVOLVULUS pedunculis unifloris: foliis profundissime quinquepartis, laciniis linearibus, media productiore.

Caulis filiformis, volubilis, quattuor et amplius pedes longus, tomento brevissimo tectus.



Folia alterna, petiolis multoties longiora, brevi tomento tecta, profundissime quinquepartita, laciniis linearibus divergentibus, quarum media longior, limboque subcrispa; inferiora breviora sunt et inferne unidentata.

Flores axillares, solitarii, pedunculo foliis breviora, prope calicem bibracteato.

Calix præcedentium calicibus consimilis, attamen vix villosus.

Corolla (rubens in sicco) campanulato-patens: tubus calice paulo longior: limbus semiquinquepartitus, laciniis ovatis, apice setula instructis.

Germen globosum, glabrum, receptaculo brevi carnosio impositum: stylus filiformis, basi villosus: stigmata duo oblonga, exerta.

Capsula germini consimilis. Semina nigra ut plurimum quattuor.

Habitat in viciniis Chillán urbis chilensis, floretque Ianuario. Vidi siccum in eodem herbario.

*Obs.* Convolvulum *dissectum* dixi, quia planta quam eodem nomine descripserunt Linnaeus, Lamarck, et Jacquinus vere Ipomoea est propter stigma globosum didymum. Hoc unico caractere Ipomoeam a Convolvulo distingui dixit Jacquinus pag. 303 vol. 3 Collect., quem in Encyclopedia immerito parviductum vidimus, ideoque plures Ipomoeæ species Convolvulis consociatas. Mirandum certe est Jacquinum ipsum qui limites absolutos tutosque posuit inter prædicta genera ex Ipomoea Convolvulum *dissectum* fecisse (hort. Vind. vol. 2 tab. 159) reluctantante stigmate; quod ipso fatente globosum est et didymum, quodque ita omnino conformatum vidimus anno 1798 in Regio horto Matritense in planta ibidem enata ex seminibus cubensibus. Hanc quia novam esse reputavit D. Ortega Ipomoeam sinuatam nominavit decade 7 pag. 84, ideoque proculdubio synonyma auctorum silentio prætermisit. Idem fecit pag. 73 plantam describens, Anthemidem ovatifoliam scilicet, quam prius descripsit et vivis coloribus expressam dedit Cl. Jacq. pag. 13 tab. 151 secundi vol. hort. Schoenbrunnensis, nomine Anthemidis bupthalmoides.

#### CONVOLVULUS BONARIENSIS. Tab. 480. Fig. 2.

547. CONVOLVULUS pedunculis subtrifloris; foliis hastatis, basi cuneatis, apice setula terminatis.

Caulis herbaceus, filiformis, volubilis, tres pedes et amplius longus, tomento brevissimo tectus.

Folia alterna, petiolis multoties longiora, hastata basi cuneata, lacinia media lineari, apice setula terminata, duos pollices longa, duas lineas lata: lateralibus brevibus, inferne unidentatis.

Florum pedunculi communes axillares, solitarii, folio breviores, apice bibracteati, ubi partiales excurrunt plerumque terni, uniflori, duas tresve lineas longi.

Calix ut in præcedenti.

Corolla alba, venulis dilute roseis variegata: limbus patens semiquinquepartitus, laciniis apice acutis: tubus calicis longitudine.

Capsula bilocularis, loculis dispermis.

Reliqua omnino ut in præcedentibus.

Habitat in planitie vulgo *Pampas de Buenos Ayres*, floretque Martio et Aprili. Vidi siccum in eodem herbario.

*Explic.* tab. a Calix expansus. b Germen auctum receptaculo carnosio impositum. c Capsula. d Huius sectio. e Semen.

*Obs.* Loculamentorum alterum in hac et in præcedentibus speciebus quandoque monospermum evadit abortu quarti seminis.

#### CONVOLVULUS SPHÆROSTIGMA. Tab. 481.

548. CONVOLVULUS floribus umbellatis: stigmatibus binis capitatis: foliis cordatis, ovato-acuminatis.



- Caulis volubilis, filiformis, teres, ulnaris.  
 Folia petiolis longiora, subvillosa, cordata, ovato-acuminata, subtus glauca.  
 Flores umbellati: pedunculus communis axillaris, solitarius, folio brevior: radii subdecem, breves, uniflori.  
 Calix villosus, mollis, ex quinque foliolis compositus ovato-acutissimis, quorum duo interiora.  
 Corolla roseo-albicans, parva, campanulata, limbo quinquepartito, laciniis ovato-acutis.  
 Staminum filamenta quinque, rubentia, brevia: antheræ luteæ, minimæ, ovatæ, basi emarginatæ.  
 Germen globosum: stylus capillaris, semibifidus: laciniæ item capillares corollæ subæquales, terminatæ stigmatibus globosis nigris, (in sicco.)  
 Capsula calice brevior, globosa, quadrivalvis, bilocularis, loculis dispermis, hinc inde geminatim dissepimento contiguas: semina nigra.  
 Habitat in Mindanao, floret Decembri; et in diversorio vulgo *del Alto Camaron* Regni mexicani ubi floret Aprili et Maio. Vidi siccum in eodem herbario.  
*Explic.* tab. *a* Calix expansus. *b* Corolla secta et expansa. *c* Stamen auctum. *d* Capsula. *e* Eadem aucta. *f* Huius sectio transversalis. *g* Duo semina dissepimento adpressa. *h* Semen. *i* Idem magnitudine naturali.

### CONVOLVULUS PLATYCARPOS. *Tab.* 482.

549. CONVOLVULUS foliis pinnatis: floribus racemosis: capsulis compressis.  
 Caulis herbaceus, procumbens, pedalis, filiformis, villosus.  
 Folia alterna, pinnata, pinnulis tripartitis et fere semper alternis, superioribus maioribus.  
 Flores racemosi, racemis terminalibus; pedicelli proprii tenues semipollicem longi. Præter racemos dantur etiam flores solitarii, quorum pedunculi non axillares sed infra folium prodeunt.  
 Calix villosus, profundissime partitus in quinque lacinias sublineares.  
 Corolla monopetala, campanulata, semiquinquepartita laciniis rotundatis, calice duplo maior, miniata, venulis longitudinalibus vividioribus.  
 Staminum filamenta quinque, æqualia, corolla paulo longiora, rubra, subulata, a basi ad medium usque barbata, imo corollæ tubo inserta: antheræ luteæ, ovatæ.  
 Germen globoso-compressum, villosum: stylus simplex, a medio ad apicem bipartitus, laciniis subulatis: stigmata simplicia.  
 Capsula subrotunda, compressa, unisulcata, bilocularis, bivalvis; dissepimentum valvulis contrarium, inferne crassum et veluti prismaticum. Semina nigra, excavata punctis, externe convexa, intus angulata, duo aut plura in quolibet loculamento, basi dissepimenti adfixa.  
 Habitat iuxta Chalma oppidum mexicanum, floretque Iulio et Augusto. Ex dicto herbario.  
*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Corolla secta et revoluta ut conspiciatur filamentorum insertio. *c* Calix germen continens. *d* Capsula dehiscens. *e* Eadem expansis valvulis *f* Semen. Omnia aucta.  
*Obs.* Hæc planta, si vere Convolvulus est, differt a congeneribus habitu, capsula compressa, et calice monophyllo, quamquam profundissime quinquepartito. Nihilominus malui Convolvulis consociare, quam falsum fortasse genus ex ipsa condere.

### IACQUINIA MACROCARPA. *Tab.* 483.

550. IACQUINIA foliis rigidis, lanceolatis, mucronatis: floribus aurantiis: baccis cerasiformibus.



Iacquinia, vulgo *Flor de la melancolia*. *Née herb. cum icone.*

Caulis fruticosus octo et amplius pedes altus, ramosus, tectus cortice violaceo, vetustate rimoso.

Folia sparsa incerto ordine, subsessilia, rigida, lanceolata, terminata mucrone spinæformi, glabra, læte viridia, limbo subrevoluto.

Flores racemosi, racemis terminalibus.

Calix globosus ex quinque foliolis subrotundis, concavis, coriaceis, persistentibus.

Corolla aurantii coloris, monopetala: tubus calice triplo fere longior, ventricosus: limbus patens decempartitus, laciniis rotundatis, quarum quinque alternæ et internæ breviores: faux fere clausa antheris prominulis.

Staminum filamenta quinque, linearia, sensim versus antheras angustiora, tubi basi inserta, illoque paulo altiora: antheræ flavæ, didymæ, biloculares, incumbentes.

Germen ovatum; stylo conico terminatum: stigma capitatum, nigricans.

Bacca subglobosa, stylo terminata, cerasi magnitudine, aurantio-rubens, corticata, unilocularis: semen cartilagineum.

Habitat haud procul a mare Panamæ et Acapulci; ibique frequens Curatella americana Linn. Florent Februario. Vidi siccam, et nitidam Iconem vivis coloribus expressam apud D. Ludovicum Née.

*Explic.* tab. *a* Corolla externe visa. *b* Germen. *c* Calix. *d* Huius folium. *e* Flos auctus. *f* Corolla expansa, cuius laciniæ exteriores revolutæ sunt ut interiores appareant. *g* Eadem aliter depicta ut conspiciantur stamina. *h* Duo filamenta aliud externe, aliudque interne visum. *i* Bacca. *k* Eadem cortice transversaliter secto. *l* Receptaculum carnosum, aut forte semen. *m* Corpus planum cartilagineum a receptaculo seiunctum.

*Obs.* Omnes hucusque auctores Iacquiniaæ baccas dixerunt monospermas. Nihilominus quæ in fructus anathome vidi paucis exponam. Huius nostræ speciei bacca continet corpus cartilagineo-carnosum, ovatum, varie excavatum, basi baccæ affixum; cui tamquam receptaculo duodecim fere adhærent corpuscula plana ovata, duas lineas longa, atro-rubentia, superiore superficie nitida, cartilaginea, quæ a receptaculo nequeunt separari nisi quodammodo dilaceretur superficies inferior, qua ipsi arcte adhærent. ? An hæc totidem erunt semina in hac specie? an vero veri seminis, quod ipsorum receptaculum videtur, membranulæ?

#### ANDROSACE SPATHULATA. *Tab. 484. Fig. 1.*

551. ANDROSACE foliis spathulatis, radicalibus: floribus corymboso-racemosis.

Radices fasciculatæ, teretes, fibrillis aliquot.

Folia omnia radicalia in orbem supra terram expansa, spathulata, glauca, basi excepta qua rubent, sesquipollicem fere longa.

Scapus teres, solitarius, atro-ruber, 6-8 pollices altus, terminatus florum racemo subcorymboso.

Florum pedunculi scapo concolores, pollicares, ornati infra calicem squamula lineari-acuta.

Calix ruber, monophyllus, semiquinquepartitus, laciniis sublinearibus acutis.

Corolla carneo-rubens, monopetala: hypocrateriformis: tubus ovatus, calice paulo longior: limbus planus, quinquepartitus, laciniis obovatis: inter singulas lacinias totidem observantur brevissimæ, subulatæ.

Staminum filamenta quinque, brevia, intra tubum prope faucem, ubi libera; deorsum postea excurrentia veluti totidem sulci: antheræ ovatæ, luteæ, non exertæ, attamen in fauce patentes.

Germen ovato-conicum: stylus filiformis, viridis staminum longitudine: stigma globosum.

Capsula ovato-conica, calice maior, unilocularis, quinquevalvis.

Semina plura, minima, receptaculo centrali adfixa.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado* in humidis et aliquando inundatis iuxta fontem de los Huanucos, floretque Decembri. Vidi siccam et Icon. apud D. L. Née.



*Explic.* tab. *a* Corolla aucta, longitudinaliter secta et expansa, ut interiora conspiciantur.  
*b* Eadem extus visa, limbo revoluto, laciniis angustioribus et antheris prominentibus.  
*c* Calix auctus germen continens. *d* Capsula. *e* Semina.

*Obs.* Aretias Androsacibus consociavit Lamarck in Encyclopedia; idque merito, expuncta, ut ipse fecit, e caractere generico, nota illa Linnæi, scilicet *faux glandulis obsessa*, quæ non omnibus speciebus convenit. In huius nostræ plantæ corollarum fauce glandulæ nullæ sunt, neque involucrium infra flores.

### AZORELLA CESPITOSA. Tab. 484. Fig. 2.

552. AZORELLA foliis multifariam imbricatis, crassis, apice reflexo, ovato-acuto: umbellis simplicibus terminalibus.

Radix fusciformis, fibrillis aliquot.

Caules numerosi, in cespitem dense adproximati, tres aut sex lineas alti, tecti foliis multifariam imbricatis, quæ sunt inferne concava caulem arcte vaginantia, postea reflexa limbo ovato-acuto, glauca et crassiuscula.

Flores umbellati, umbella simplici, terminali, breviter pedunculata. Involucrium pentaphyllum, foliolis ovato-acutis, carnosis, basi subconnatis. Radii 5-8, capillares, breves.

Calix superus, minimus, quinque-dentatus, persistens.

Fructus ovatus, dispermus: seminum tegumentum extus tristriatum.

Habitat in altissimis montibus Regni Chilensis vulgo *Cordillera del Planchón*; et in portu Egmont Falklandi insularum. Floret Ianuario et Februario. Vidi fructiferam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *f* Fructus auctus. *g* Huius sectio transversalis. *h* Folium extus spectatum. *i* Idem interna superficie. Omnia aucta.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> In iconum collectione Néeci alteram vidi delineatam in portu Egmont, quæ Azorellam hanc nostram sat bene repræsentat. Eius radix est fusca, fere pedalis et ramosa, pluma anserina crassior, ex qua innumeri cauliculi exsurgunt in cespitem dense aggregati trium ut plurimum linearum altitudinis; arcte imbricati foliis, quorum laminæ sunt ovato-acutæ, patentes. Omnes terminantur parvo numero florum, quibus petala sunt quinque integerrima, ovato-acuta: stamina quinque, petalis subæqualia, antheris ovatis: germen inferum ovatum et styli duo. Fructus desideratur in tabula. Vidit hanc plantam laudatus Née cespitem quandoque densissimum efformare trium pedum diametri, semperque onustam substantia gummi-resinosa. ; An fortasse hæc erit Bolax glebaria Commersonii foliis ovato-acuminatis integerrimis; *Le Goumier a fevilles entieres* gallice dicta? Ita videtur; at prohibet petalorum integritas, quæ iuxta D. Lamarck bifida sunt. Consulatur Dict. Encyclop. vol. 3 pag. 156.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Azorella Lamarck et Chamitis Gærtnerii idem sunt genus.

*Obs.* 3.<sup>a</sup> Examinata tab. 189 *Illust. generum* in qua auctor Encyclop. quattuor delineavit Azorellæ species, earumque fructificationem, hanc meam plantulam illis consociare decrevi; quia earum nonnullæ gaudent umbellis multifloris, omnibusque fructus ovatus est, didymus, dispermus, seminumque tegumenta dorso tristriata. His rationibus puto, Fragosam Floræ Peruvianæ et Chilensis cum Azorella antiquiore genere coniungendam esse, quod mihi etiam per epistolam innuit A. L. de Jussieu. Ab hac sententia haud longe recedere videntur Floræ Peruvianæ et Chilensis auctores ut patet ex eorum observatione nuperime adiecta Fragosæ generi (Syt. veg. vol. 1 pag. 75-76) quam sic claudunt. *An tamen tria hæc genera (Bolax, Azorella, et Frago) in unum coniungenda? Ex collatione omnium specierum patebit.*

### AZORELLA LINEARIFOLIA. Tab. 485.

553. AZORELLA foliis linearibus sparsis: umbellis universalibus et partialibus.



Caulis bipedalis, teres, ramis sparsis.

Folia sparsa, numerosa, lineari-subulata, pollicem sæpe longa, vix quintam lineæ partem lata.

Flores umbellati: umbella universalis ex quattuor aut sex radiis; partialis ex pluribus, brevioribus: involucria utrisque ex tribus aut sex foliolis subulatis persistentibus.

Calix partialis superus, quinquedentatus, persistens.

Corollæ petala quinque, ovato-acuta, rigidiuscula, crocea in sicco.

Stamina capillaria, corollæ subæqualia: antheræ subrotundæ, sulcatæ.

Germen ovatum, paulisper compressum: styli duo divergentes, corolla breviores: stigmata incrassata.

Fructus globoso-ovatus, nonnihil compressus, bipartibilis per diametrum brevioris in duo semina ad mediam axim sibi applicata, quæ sunt dorso tristriata, striis exasperatis tuberculorum serie, quæ oculum nudum fere fugiunt.

Habitat in Novæ-Hollandiæ portu Jackson, floretque Aprili. Vidi siccam in sæpius memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos multoties auctus. *b* Germen. *c* Fructus. *d* Idem auctus. *e* Idem dehiscens seminibus mediæ axi affixis. *f* Fructus sectio transversalis.

*Obs.* A *Gyngidio Forsterii*, cui valde similis differt hæc planta petalis integerrimis, seminibus tristriatis, atque striis tuberculorum serie exasperatis. A *Laserpitio Linnæi* et *Cranzii* fructus forma ut alia silentio prætermittam.

## SELINUM.

### CHARACTER GENERICUS.

Calix superus quinquedentatus, persistens.

Corolla regularis, petalis æqualibus.

Fructus plus minusve rotundatus, etiam oblongus, dispermus.

Seminis ala marginalis, plana, foliacea, basi emarginata, dorso plano striata.

*Obs.* *Cranzii* sententiam circa *Selinum* præfero *Linnæi* assertis, nihilque de involucriis dicendum arbitror in caractere generico.

### SELINUM PROLIFERUM. *Tab.* 486. *Fig.* 1.

554. *SELINUM* foliis trifidis, vaginantibus, laciniis subulatis: umbella prolifera.

Radix tortuosa, ramosa, fibrillis aliquot.

Caulis 3-4 pollices altus, foliorum vaginis tectus.

Folia imbricata, sparsa et adproximata, glabra: vagina striata, caulem arcte cingens, postea libera, angustior, petioliformis, apiceque trifida, laciniis subulatis, pungentibus, duas tresve lineas longis.

Flores umbellati, umbella simplici, prolifera: involucrium ex 5-7 foliolis lineari-subulatis, persistentibus: pedunculus communis pollicem longus; partiales breviores uniflori, subduodecim.

Calicis denticuli brevissimi.

Corolla lutea, patens, petalis ovato-acutis, integerrimis.

Stamina corolla paulo longiora: antheræ luteæ.

Fructus rotundatus, bipartibilis per diametrum alis parallelum in duo semina, ad mediam axim sibi applicata, alata. Ala est rotundata cum acumine verticali brevissimo, glabra, plana, dorso bistriata, stiis arcuatis vix protuberantibus. Semina vera (id est separata ab ala) sunt ovata, glabra, altitudine alæ breviora.



Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado* floretque Decembri. Vidi siccam et iconem apud laudatum L. Née.

*Explic.* tab. *a* Flos. *b* Germen. *c* Fructus. *d* Semen cum ala. *e* Idem ab ala seiunctum. *f* Fructus sectio. Omnia aucta. *G* Folium.

SELINUM MICROPHYLLUM. *Tab.* 486. *Fig.* 2.

555. SELINUM foliis minutis, profunde tripartitis: petiolis caulem vaginantibus.

Caulis fruticosus, tripollicaris, ramosus, vaginis foliorum tectus, squamularum imbricarum forma.

Folia numerosissima, minuta, imbricata: vagina fere cylindrica, limbo ciliato pilis albis, quæ postquam caulem cingit terminatur in petiolum fere subulatum, lineam longum, in cuius apice laciniæ sunt tres divergentes, lanceolatæ, terminatæ pilo albo deciduo.

Flores umbellati, umbella simplici. Involucrum ex tribus aut quattuor foliolis lineari-subulatis persistentibus: pedunculus communis terminalis, duas lineas longus: partiales 3-7, breviores.

Petala ut in præcedente, at color in sicco luteo-ruber.

Fructus ovatus: semina vera alæ longitudine duplo breviora. Reliqua omnino ut in præcedente, cum quo habitat et floret. Vidi siccum in dicto herbario  $\mathcal{Z}$ .

*Explic.* tab. *F* Folium. *g* Flos. *h* Germen *i* Fructus. Omnia aucta. *k* Semen cum ala. *l* Idem ab ala seiunctum. *m* Fructus sectio.

SELINUM SPINOSUM. *Tab.* 487. *Fig.* 1.

556. SELINUM foliis quinquepartitis, laciniis lanceolatis, acumine pungente; petiolorum basi caulem vaginante.

Coirón vulgo. *Nee herbar.*

Caules teretes, numerosi, conferti, ramosi, semipedem alti, foliorum vaginis tecti, crassi.

Folia subpalmata, sparsa: vagina crassa, semipollicaris, tubulosa, caulem vestiens, postea soluta in petiolum canaliculatum, sulcatum, linearem, limbo inferne pilosum, apice quinquepartitum, laciniis lanceolato-acutissimis, rigidis, pungentibus, quarum laterales breviores, reliquæ ut plurimum semipollicem longæ.

Flores umbellati, umbella simplici terminali: involucrum ex 10-12 foliolis lanceolato-subulatis, persistentibus: pedunculus communis pollicem et amplius longus: partiales breviores, triginta et amplius.

Calix maior quam in præcedentibus.

Corolla luteo-rubens, petalis ovatis, lineis tribus saturatoribus.

Fructus rotundatus, paulo maior quam in prima specie.

Habitat in altissimis montibus Regni chilensis vulgo *Cordillera del Planchón* et *del Portillo* versus *Mendozæ* urbem  $\mathcal{Z}$ . Floret Ianuario et Februario. Vidi siccum.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus. *b* Petalum. *c* Genitalia. *d* Fructus. *e* Semen alatum. *f* Fructus sectio. *g* Semen.

SELINUM ACAULE. *Tab.* 487. *Fig.* 2.

557. SELINUM foliis ovatis inferne attenuatis: umbella radicali sessili.

Radix crassa, ex qua folia prodeunt, basi imbricata, numerosa, supra terram expansa, ovata, inferne attenuata in petiolum, qui rursus ampliatur in semicylindri formam proximos amplectens.

Flores umbellati, umbella simplici in centro foliorum sedens, involucro polyphylo cincta: radii numerosi, tenues, semipollicem longi.



Calix minor quam in præcedente.

Petala dilute lutea.

Fructus omnium maximus, ovalis, bipartibilis per diametrum alis parallelum in duo semina, ad mediam axim sibi applicata, alata: ala est ovata, plana, crassior quam in præcedentibus, coriacea, striis duabus vix protuberantibus.

Semen verum ovatum cum acumine, cinereum, glabrum, alæ altitudine duplo minor.

Habitat in memorato portu *Deseado* ¶. Floret Decembri. Vidi siccum in dicto herbario.

*Obs.* Hæc ultima species a reliquis habitu differt: omnes tamen fructificatione conveniunt; quæ sectiunculam in hoc genere sistunt, umbellis scilicet simplicibus.

### HYDROCOTYLE BONARIENSIS *Lamarck. Tab. 488. Fig. 1.*

558. HYDROCOTYLE foliis cordatis, peltatis, subrotundis, lobatis, lobis crenatis: umbella composita prolifera.

Hydrocotyle foliis subpeltatis, reniformi-subrotundis, crenatis, umbella composita, radiis ramosis, apice lateribusque floriferis. *Lamarck dict. vol. 3 pag. 153.*

Hydrocotyle bonariensis foliis amplis peltatis lobatis, lobis circumcrenatis. *Commerson herb.*

Hydrocotyle species nova. *Nee herb.* TEMBLADERILLA vulgo.

Caules prostrati, duos pedes plus minusve longi, teretes, glaberrimi, sulcis aliquot.

Folia opposita, cordata, peltata, subreniformia, multilobata, lobis haud profundis, crenatis; glabra, saturate viridia, tot nervis apice ramosis quot sunt lobi; duos tresve pollices ampla; longitudine paulo brevior: petioli teretes, sulcati, folio triplo et amplius longiores.

Flores umbellati: umbella composita ex sex fere radiis ramosis: umbellulis terminalibus et lateralibus.

Involucra polyphylla, foliolis membranaceis: pedunculus communis radicalis, folio longior: radii primarii sexquipollicem longi: secundarii, umbellularum scilicet, breves, capillares.

Calix nullus.

Corolla luteo-rubens (in sicco) ex petalis quinque, ovato-acutis, æqualibus, integerrimis.

Staminum filamenta, petalis breviora: antheræ globosæ.

Germem compressum: styli erecti, petalis breviores.

Fructus orbiculato-compressus, bipartibilis per diametrum brevior in duo semina semi-orbiculata, quæ se mutuo tangunt, plana, dorso convexa, alata ala unica, et prope alam utrimque unisulcata.

Habitat in humidis prope Buenos Ayres, Callao de Lima, San Carlos de Chiloe et alibi floretque a Februario ad Maium. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic. tab. a* Flos. *b* Fructus. *c* Semen alatum. Omnia aucta.

*Obs.* In planta limensi præter radios ramosos, umbellula observatur sub-40-flora ad radiorum basim, cuius radioli breves; fructiferi nutantes.

### HYDROCOTYLE SANICULÆFOLIA *Lamarck. Tab. 488. Fig. 2.*

559. HYDROCOTYLE foliis ternatis, subpalmatis, lobis crenatis, lateralibus bipartitis: umbella composita. *Lamarck dict. vol. 3 pag. 154. Illust. gen. tab. 188 fig. 4.*

Hydrocotyle foliis tri-quinquepartitis, laciniis saniculæ, vel ranunculi incis. *Commerson herbar.*

Hydrocotyle species nova. *Nee herb.*

Radix filiformis, teres, ramosa, fibrillis aliquot.

Folia omnia radicalia, crassiuscula, superne viridia, inferne lutescentia (in sicco), subpalmata, profundissime tripartita, laciniis cuneiformi-ovatis, obtusis, tricrenatis, lateralibus amplioribus, incis: petioli folio longiores, basi in vaginam ampliati; vaginis imbricatis.



Flores umbellati: umbella composita ex tribus aut quattuor radiis.

Involucrum universale ex tribus aut quattuor foliolis ovato-acutis, membranaceis: partiale ut plurimum bifolium, minimum.

Pedunculi communes scapiformes, radicales, duo aut plures, 3-4 pollices alti, sulcati: radii primarii inæquales, sesquipollicem vix longi: secundarii, umbellularum scilicet, tres, quorum intermedius brevissimus, reliqui capillares uniflori, horumque flores steriles (masculos dixit Lamarck); centralis qui subsessilis est fertilis.

Calix vix conspicuus.

Petala luteo-alba.

Stamina corolla breviora: antheræ globosæ, compressæ. Hæc dumtaxat, nullum vero germen in masculis vidi. In femineis vero stylos duos divergentes supra fructum. ? An vero staminibus gaudeant quemadmodum reliqui flores pedunculati? Affirmare nequeo; quamquam antheras supra fructum me conspexisse puto.

Fructus præcedenti consimilis at paulo maior, alaque amplior.

Habitat in Montevideo: floret Martio. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tabulæ quæ plantam sistit integram. *d* Fructus. *e* Eiusdem aucti sectio. *f* Semen cum ala.

*Obs.* An *Hydrocotylis* species fructu dorso alato separandæ a reliquis fructu aptero, istæque *Azorellis* consociandæ?

## GALPHIMIA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix monophyllus, quinquepartitus, inferus, persistens.

Corolla pentapetala, petalis ovatis, superiore maiore.

Staminum filamenta decem, brevia, libera, alternis brevioribus: antheræ stantes, oblongæ, basi emarginatæ.

Germen ovato-trigonum: styli tres, subulati: stigmata simplicia.

Fructus (ex germine fecundato tenerrimo) trilocularis, loculis monospermis.

*Obs.* Calicis glandularum defectu a *Malpighia* differt.

## GALPHIMIA GLAUCA. Tab. 489.

560. *GALPHIMIA* caule fruticoso: foliis ovatis: floribus racemosis, terminalibus.

Caulis fruticosus, orgyalis, ramosus, ramis teretibus, rubentibus.

Folia opposita, petiolis multoties longiora, ovata, versus basim unidentata, denticulo brevi, pagina superiore viridia, inferiore glauca.

Flores racemosi, terminales, pedunculis propriis oppositis, ad bracteolam ovato-acutam axillaribus et solitariis.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis ovatis, patentibus.

Corolla calice multoties maior, petalis luteis, apice sæpius rubente.

Staminum filamenta et antheræ luteæ.

Germen et styli rubri.

Habitat in Acambaro et Salvatierra in Regno mexicano ubi dictam altitudinem attingit dicente Ludovico Née, qui eam delineare curavit, cuius iconem vidi: in hoc nostro Matritensi horto culta anno 1794 crevit usque ad mensem Octobris bipedalem altitudinem vix superans et florida periit infructifera. Fructus etiam desideratur in memorata icone.

(a) *GALPHIMIA* est anagramma vocis *MALPIGHIA*.



*Explic.* tab. *a* Flos postice spectatus. *b* Stamina. *c* Germen. *d* Idem auctum et sectum.  
*e* Anthera aucta.

### GALPHIMIA HIRSUTA.

561. *GALPHIMIA* caule fruticoso: foliis ovato-acutis, hirsutis: florum racemis terminalibus. Caulis fruticosus, orgyalis et amplius, ramis oppositis virgatis, rubentibus, hirsutis. Folia ovato-acuta, utraque pagina hirsuta, petiolis sustentata brevibus. Flores in racemis terminalibus, semipedem et amplius longis. Reliqua ut in præcedente. Habitat inter Chilpancingo et Rio-Azul in Regno mexicano 27. Floret Septembri. Vidi siccam absque fructu in memorato herbario.

### MUTISIA VICIÆFOLIA. Tab. 490.

562. *MUTISIA* foliis pinnatis, pinnulis oblongo-ovatis, subdecurrentibus, glabris, cuspidate acuto brevi.

*Mutisia. Nee herbar.*

Caules fruticosi, scandentes, tripedales, glaberrimi, atro-purpurei.

Folia alterna, adproximata, pinnata, rachide in cirrhum triphyllum desinente: folia oblongo-ovata, glabra, inferiore limbo decurrentia, apice cuspidata, ut plurimum opposita, late viridia.

Flores solitarii, terminales et axillares, pedunculis prope calicem unibracteatis.

Calix communis cylindricus, duos pollices longus, imbricatus: squamulæ lineari-ovatae purpurascens, limbo scarioso albido, apice brevissima seta terminato: interiores longiores.

Corolla composita: radii 7-8, quorum corollulæ ovatae, apice breviter tridentatae, miniatae, earumque unguis longitudine calicis lineari-tubulosi. Flosculi disci subquindecim, luteo-rubentes, quorum corollulæ tubulosæ, semitrifidæ, laciniis linearibus, exteriori ampliore apice tridentata; interioribus integerrimis.

Staminum filamenta in disci flosculis quinque, alba, interiori corollulæ tubo infra laciniarum divisionem inserta: anthera cylindrica, apice quinquedentata, basi setis decem capillaribus decurrentibus. In radiis rudimenta staminum castrata.

Germen omnibus fertile, lineare, tetragonum, breve: stylus filiformis: stigmata duo revoluta.

Semina solitaria, tetragona, coronata pappo sessili, plumoso, rufo, semipollicem longa.

Receptaculum nudum.

Habitat prope Valparaiso in Regno chilensi, floretque Martio. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Calicis squamæ. *b* Flosculus radii. *c* Flosculus disci. *d* Anthera expansa cum filamentis et setulis. *e* Antheræ quinta pars cum filamentis et setulis. *f* Semen.

### MUTISIA PEDUNCULARIS. Tab. 491.

563. *MUTISIA* foliis pinnatis; pinnulis lanceolatis, alternis glabris: pedunculis unifloris longissimis.

*Mutisia. Nee herb.*

Planta fruticosa præcedenti similis, sed maior.

Caules ramosi, sulcati, rubentes, scandentes.

Folia alterna, pinnata, rachide in cirrhum triphyllum desinente: foliola lanceolata, alterna, sesquipollicem sæpe longa, glabra.

Pedunculi solitarii, uniflori, pedem longi, prope calicem unibracteati.

Radii octo, quorum corollulæ ovato-acutæ, apice tridentatæ, denticulis oculum nudum fu-



gientibus, miniatæ: prope unguis initium lacinia prominet lineari acuta, tres lineas fere longa: unguis lineari-tubulosi calicis longitudine, duorum scilicet pollicum.

Semina oblonga, obscure tetragona, sulcata, pollicem fere longa.

Reliqua omnino ut in præcedente.

Habitat prope oppidum peruvianum S. Buenaventura. Floret Iulio. Vidi siccam apud D. Ludovicum Née.

*Explic.* tab. *a* Flosculus radii. *b* Radius auctus ut appareant denticuli. *c* Flosculus disci. *d* Semen.

### MUTISIA CLEMATIS *Linnæi. Tab. 492.*

564. MUTISIA foliis pinnatis; pinnulis ovato-oblongis, subtus tomentosis, fulvis.

*Mutisia clematis. Linn. supp. pag. 373.*

*Mutisia. Lamarck Illustr. tab. 690 fig. 1. Née herb.*

Caulis fruticosus, orgyalis, sulcatus, scandens, tomentosus, præsertim tener.

Folia alterna, pinnata, rachide in cirrhum triphyllum desinente: foliola ovato-oblonga, sexiuga, ut plurimum opposita, subsessilia, quorum duo inferiora minora stipularum instar: omnium pagina inferior dense tomentosa tomento fulvo, superior viridis, subrugosa, initio tomentosa, ætate levis.

Flores solitarii, axillares: pedunculus folio brevior, tomentosus.

Calix communis tomentosus, sesquipollicem longus, cylindricus, imbricatus: squamæ lanceolatæ: interiores longiores, purpurascens.

Radii octo purpurei, ovato-oblongi, apice acuti, tridentati; prope basim externe bisetosi: in fauce rudimenta staminum duo aut plura: unguis lineares calicis longitudine.

Semina oblonga, ferruginea, obscure tetragona. Pappus sessilis, plumosus, tres lineas altus.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in saxosis haud longe a San Buenaventura el viejo in Regno peruviano. Floret Junio et Iulio. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Radii flosculus. *b* Disci flosculus. *c* Anthera expansa cum filamentis et setulis decem. *d* Huius quinta pars. *e* Semen.

### MUTISIA ILICIFOLIA. *Tab. 493.*

565. MUTISIA caule fruticoso scandente: foliis sessilibus, ovatis, dentato-spinosis.

*Mutisia. Née herb.*

Caulis fruticosus, striatus, tortuosus, rubescens, scandens, tres pedes et amplius longus, ramis alternis.

Folia alterna, sessilia, semiamplexicaulia, coriacea, ovata, dentata, dentibus subspinosis; uninervia, nervo in cirrhum apice in spiram convolutum desinente: venulæ albicantes: pagina superior viridis, nitida; inferior præsertim in foliis teneris tomento denso glauco tecta.

Pedunculi breves, solitarii, uniflori, terminales.

Calix communis tubulosus, vix pollicem longus, quattuor et amplius lineas latus, imbricatus; squamulæ coriaceæ lutescentes, limbo scarioso; exteriores breviores.

Radii octo, sublineares, purpurei, apice tricrenati, crenulis vix oculo nudo conspicuis, fauce filamentosi; filamentis sæpe quattuor castratis.

Flosculi disci vix pappo rufo longiores, purpurei, bilabiati ut in præcedentibus, labio exteriori lineari, apice tridentato; interiore ad basim usque bipartito laciniis linearibus integerrimis, vetustate revolutis.

Anthera lutea, glabra, apice quinquedentata, basi setis decem capillaribus pendulis.

Semina oblonga, obscure triquetra, rufa, coronata pappo sessili plumoso, in quo radii subviginti.



Habitat in *Cordillera del Planchón*, et in siccis prope Cucha-cucha Regni chilensis, floret-que Ianuario. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Eiusdem lingua aucta ut appareant denticuli. *c* Flosculus disci. *d* Idem denudatus pappo, labiis divergentibus. *e* Anthera longitudinaliter secta et expansa, ut conspiciantur filamenta et setulæ. *f* Antheræ pars quinta. *g* Semen.

#### MUTISIA HASTATA. *Tab.* 494.

566. MUTISIA caule alato, fruticoso, scandente: foliis hastatis, subtus lanatis.

*Mutisia. Née herb.*

Caulis bipedalis et ultra, striatus, quadrialatus, alis longitudinalibus deorsum serratis, altera pagina glabris, rugosis; altera lanatis.

Folia adproximata, alterna, hastata, acutissima, superiore pagina rugosa, inferiore candida, lanata, quattuor pollices longa, semipollicem basi ampla, uninervia, nervo in cirrhum spiraliter involutum desinente.

Pedunculi breves, terminales, solitarii, uniflori.

Calix communis tubulosus, sesquipollicem longus, imbricatus: squamulæ coriaceæ, ovato-acuminatæ, versus apicem coarctatæ ibique deflexæ, lanaque candida tectæ.

Radii fere decem, sublineares, purpurei, apice tridentati, denticulis oculo nudo vix conspicuis, intermedio longiore: ad basim lingulæ lacinia binæ setiformes.

Disci flosculi pappo rufo longiores.

Reliqua omnino ut in præcedente, exceptis filamentis sterilibus, quæ minime vidi in lingu- larum fauce.

Habitat in altissimis montibus Regni chilensis, vulgo *Cordillera del Planchón*: floret Ianua- rio. Vidi siccam cum præcedentibus. Crescit etiam in Peruvia dicente Née.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Eius lingua aucta. *c* Flosculus disci situ naturali. *d* Idem labiis porrectis. *e* Anthera secta et expansa, ut appareant filamenta et setulæ. *f* Antheræ quinta pars. *g* Squamulæ binæ.

#### MUTISIA SUBSPINOSA. *Tab.* 495.

567. MUTISIA foliis subhastatis, dentibus spinosis: caule scandente trialato, alis dentato-spi- nosis.

*Mutisia. Née herbar.*

Caulis scandens, tripedalis, fruticosus, glaber, teres, alis tribus decurrentibus ex foliorum basi dentato-spinosis.

Folia alterna, sessilia, subhastata, rigida, decurrentia, dentato-spinosa, uninervia, nervo in cirrhum simplicem in spiram convolutum desinente: tres pollices plerumque longa, duas lineas ubi ampliora sunt lata.

Flores solitarii, terminales, breviter pedunculati.

Calix communis tubulosus, sesquipollicaris, imbricatus; squamulæ coriaceæ, ovato oblongæ, versus apicem coarctatæ, ibique desinentes in acumen deflexum: interiores longiores, submuticæ.

Radii octo, lutei, et in varietate purpurei, sublineares, apice tridentati, denticulis æqua- libus, nudo oculo vix conspicuis. Ad basim lingulæ lacinia solitaria subulata.

Disci flosculi lutei, pappo rufo paulo longiores.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat prope Gauamantanga oppidum peruvianum, florens Iulio; et in *Cordillera del Planchón* Februario. Vidi siccam apud D. Lud. Née.

*Explic.* tab. *a* Squamula calicis interior. *b* Exterior acumine erecto. *c* Radius. *d* Flosculus disci. *e* Idem labiis divaricatis. *f* Anthera cum filamentis et setulis. *g* Huius quinta pars.



MUTISIA INFLEXA. *Tab.* 496.

568. MUTISIA caule scandente, fruticoso: foliis linearibus, angustissimis, basi inflexis.

*Mutisia. Nee herb. cum icone.*

Caulis striatus, angulosus, filiformis, glaber, ramosus, biorgyalis, scandens.

Folia sparsa, sessilia, basi deflexa et quasi inverso situ cauli adfixa, duos pollices et amplius longa, vix lineam lata, uninervia, nervo in cirrhum simplicem spiraliter convolutum desinente.

Flores solitarii, terminales, pedunculis brevibus.

Radii octo, saturate purpurei, præcedentis magnitudine et figura, quorum apex ut plurimum tridentatus, quandoque dentibus dumtaxat duobus. Nullum in lingulis rudimentum filamentorum: nulla in illarum basi lacinia.

Disci flosculi lutei, bilabiati, labio exteriori lineari, tridentato; interioris laciniis paulo brevioribus. Pappus albicans.

Calix et reliqua ut in præcedente.

Habitat in viciniis Valparaiso et Cucha-cucha, necnon in *Cordillera del Planchón* Regni chilensis. Vidi siccam et iconem in dicto herbario. Floret Februario.

*Explic.* tab. *a* Radii flosculus. *b* Centralis. *c* Idem labiis divaricatis. *d* Anthera. *e* Huius quinta pars.

*Obs.* Planta quæ in *Cordillera* crescit gaudet radiis duodecim, et receptaculo subvillosa.

MUTISIA DECURRENS. *Tab.* 497.

569. MUTISIA foliis ovatis, decurrentibus, glabris, integerrimis.

*Mutisia. Nee herb.*

Caulis fruticosus, teres, glaber, angulatus, bipedalis, ramosus.

Folia alterna, ovata, coriacea, integerrima, nervo unico in cirrhum diphyllum spiraliter contortum desinente, media sui longitudine cauli adnato; hinc deorsum excurrunt tamquam caulis alæ sensim angustiores usque ad inferioris folii originem; sursum vero libera ab eodem caule divergunt.

Flores terminales, solitarii, pedunculis bi-tripollicaribus.

Radii duodecim, quorum linguæ sesquipollicares, saturate purpureæ, apice ut in præcedente tridentatæ. Ad basim linguæ lacinia duæ breves, setaceæ, et in fauce staminum rudimenta sæpe quattuor, castrata.

Disci flosculi numerosi, radio duplo breviores, purpurei, pappo albicante paulo longiores.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in *Cordillera del Planchón* nuperrime memorata. Floret Februario.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Linguæ auctæ pars. *c* Flosculus disci. *d* Idem labiis divergentibus. *e* Anthera. *f* Huius quinta pars.

MUTISIA RETRORSA. *Tab.* 498.

570. MUTISIA caule scandente: foliis lanceolatis: decurrentibus, retrorsum sinuatis, subtus tomentosus.

*Mutisia. Nee herb. cum icone.*

Caulis fruticosus, sesquipedalis, teres, foliorum decursu alatus; ramis alternis.

Folia alterna, adproximata, superiore pagina viridia, glabra; inferiore alba, tomento denso, lanceolata, retrorsum sinuata, limbo sæpius revoluta; uninervia, nervo in cirrhum diphyllum desinente, inferne cauli adnato, unde in alæ formam deorsum excurrunt.



Flores terminales, solitarii.

Calix tubulosus, basi amplior, pollicem longus, imbricatus: squamulæ ovato-oblongæ, versus apicem coarctatæ, in acumen deflexum desinentes.

Radii 10-14, lutei, sublineares, apice breviter tridentati; fauce filamentosi, filamentis quinque albicantibus sterilibus; basis linguæ dentibus duobus setosis reflexis: stylus radiis parum brevior: stigma bifidum.

Semen oblongum, utraque extremitate attenuatum, ferrugineum; cui pappus plumosus, subæqualis.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in siccis et sterilibus Americæ meridionalis portus vulgo *Deseado*. Floret Decembri. Vidi siccam et Iconem apud L. Née.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Flosculus disci. *c* Idem labiis patulis. *d* Anthera expansa. *e* Huius quinta pars. *f* Semen.

### MUTISIA SINUATA. Tab. 499.

571. *MUTISIA* caule flexuoso scandente: foliis sublinearibus sinuatis, glabris, decurrentibus.

Eadem foliis brevioribus subtomentosis.

*Mutisia*. *Nee herb.*

Caulis sesquipedalis, ramosus, flexuosus, scandens, glaber.

Folia alterna, sessilia, sublinearia, sinuata, angulis acutis, basi attenuata et per caulem decurrentia, apice acuta, nervoque in cirrhum desinente, glabra, in varietate subtomentosa et breviora.

Flores terminales, solitarii, breviter pedunculati.

Calix communis cylindricus, plusquam pollicem longus, imbricatus: squamulæ ovato-oblongæ, versus apicem coarctatæ; desinentes in acumen ut plurimum erectum, quod deficit in interioribus quæ longiores sunt, limboque superiore interne tomentosæ.

Radii octo, lutei, oblongo-ovati, apice tridentati, dentibus inconspicuis oculo nudo: in linguæ basi nulla setula, in fauce vero et circa stylum, lingua paulo breviora, filamenta quinque castrata, albicantia.

Pappus albus, calice paulo longior.

Reliqua ut in ceteris speciebus.

Habitat in *Cordillera* memorata Regni chilensis præsertim in siccis tractuum vulgo *del Planchón* et *del Portillo*. Floret Ianuario. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Radius. *b* Idem auctus. *c* Flosculus disci. *d* Idem labiis divaricatis. *e* Anthera expansa. *f* Huius quinta pars.

*Obs.* Varietas tomentosa solo tomento et magnitudine differt a planta descripta. Utrasque vidi siccas, floresque *glabræ* luteos, *tomentosæ* vero rubentes, quorum color fortasse exsiccatione mutabilis.

### MUTISIA LINEARIFOLIA. Tab. 500.

572. *MUTISIA* caule erecto fruticoso: foliis linearibus confertis non cirrhosis, limbo revoluto.

*Mutisia*. *Nee herbarium.*

Caulis fruticosus, teres, vix pedalis: rami pauci.

Folia sessilia, conferta, numerosa, imbricata, linearia, limbo revoluto, acumine brevi subulato terminata.

Flores terminales, solitarii.

Reliqua omnino ut in præcedente, si radios excipias qui tridentati nudis oculis apparent, et purpurei videntur.

Habitat floretque cum præcedente. Vidi siccam in memorato herbario.



*Explic. tab. a* Radius. *b* Idem auctus. *c* Flosculus disci. *d* Antheræ quinta pars. *e* Folium auctum et expansum. *f* Idem limbo revoluto.

## OBSERVATIONES.

1. Mutisiæ separari possunt in tres sectiunculas scilicet
    - A Foliis pinnatis cirrhosis.
    - B Foliis simplicibus cirrhosis.
    - C Foliis non cirrhosis.
  2. Omnium anthera gaudet setis decem capillaribus pendulis, quod nullus quod sciam auctor notavit.
  3. Omnium calix est cylindricus, squamulis non semper in acumen desinentibus, quod non semper deflexum est aut uncinatum, quando re vera existit.
  4. Radium numerus frequenter octonarius; quorum linguæ semper apice tridentatæ; harum faux, qua stylus prodit, sæpissime ornatur filamentis castratis, numero vario a 2 ad 5: basis vero quandoque nuda, haud raro bisetosa, frequentius tamen setula solitaria.
  5. Disci flosculi vere bilabiati sunt; labiis linearibus exteriore latiore tridentato, interiori profunde bifido, laciniis integris: hæc labia dum calice constringuntur, adpressa apparent antheræ basi: divergentia vero atque apicibus revoluto, quando calicis altitudinem superant, aut calicinæ squamulæ laxantur.
  6. Pappus sessilis, plumosus: et receptaculum nudum, quod semel subvillosum vidi in varietatæ Mutisiæ inflexæ.
  7. Semen obscure tetraquetrum variat longitudine et extremitatum figura.
- Ex quibus patet characterem genuinum Mutisiæ adhuc desiderari, quosque veluti reformatos recentiores tradidere ad incudem iterum revocandos esse.







## SUPPLEMENTUM.

Quarumdam plantarum fructus, desideratos in hoc opere, vidimus superiore anno 1798 in Regio horto matritense: ne quid ergo deficiat, ad calcem huius voluminis eos delineavi, quorum ecce descriptiones cum numeris huic operi respondentibus.

Num. 15. *COBŒA SCANDENS* addendum est: Calix persistens. Fructus pendulus, capsula videlicet obtuse trigona, obovata, sensim versus basim attenuata, trilocularis, trivalvis, valvulis ab apice ad basim usque dehiscentibus. Receptaculum trigonum angulis acutis, ad valvularum usque contactum productis, ideoque dissepimentorum vicem gerentibus: receptaculi superficies excavatæ in quibus sedent imbricata semina cartacea, plana, cincta ala aut margine circulari. Habitat etiam in Acapulco.

*Explic.* tab. 500 bis. N. 15. *a* Fructus. *b* Capsula horizontaliter secta. *c* Receptaculum cum seminibus. *d* Semina quorum duo internâ superficie ubi corpusculum oblongum (verum semen) observatur; et tertium externa.

Num. 63. *ASCLEPIAS LINARIA* addendum: Fructus est folliculus bipollicaris, inferne ventricosus, sensim versus apicem acutum angustior, glaber, glauco-viridis, striatus, unilocularis, univalvis, longitudinaliter dehiscens parte pedunculo opposita. Semina numerosa, ovato-acuta, nonnihil compressa, coronata pappo candido fere pollicari.

*Explic.* eiusdem tab. N. 63. *D* Folliculi quorum alter postice spectatus, alter dehiscens. *e* Semen.

Num. 97. *WILLDENOWA GLANDULOSA* addendum: Habitat in Queretaro et Dos-Caminos oppidis mexicanis: floret Aprili.

Num. 104. *MALVA UMBELLATA* addendum: Fructus globoso-compressus, umbilicatus, villosus, cuius maior diameter pollicaris, minor quinque linearum, compositus ex sexaginta fere capsulis pentaspermis. Semina reniformia, nigra.

*Explic.* eiusdem tabulæ N. 104. *f* Fructus. *g* Capsula. *h* Semen.

Num. 178. *HIBISCUS SPIRALIS* addendum: Capsula subcylindrica, obtuse pentagona, calicis longitudine, quinquelocularis, quinquevalvis. Semina reniformia, nigra, pilosa, duo aut tria in quolibet loculamento.

*Explic.* eiusdem tabulæ N. 178. *i* Capsula. *k* Eadem dehiscens. *l* Semen.

Num. 239. *PERIPLOCA PUNICÆFOLIA* addendum: Fructus: folliculi duo, divaricati, oblongi, acuti, externa superficie convexi, interna qua dehiscent plani, uniloculares, univalves, polyspermi. Receptaculum longitudinale, filiforme, compressum. Semina ovata, utrimque acuta, rufa, coronata pappo oblongo candidissimo.

*Explic.* eiusdem tabulæ N. 239. *m* Folliculi magnitudine et situ naturali, quorum alter clausus, alter dehiscens. *n* Semen. *o* Receptaculum.

Num. 310. *ANABASIS TAMARISCIFOLIA* L. legendum est: *SALSOLA TAMARISCIFOLIA* quia eius fructus non est baccatus. Quare descriptioni addendum: Semen unicum globosum, stylo terminatum, tectum pellicula evalvi, cinctum membranulis quinque translucidis, ovatis, crispis ut in reliquis Salsolæ speciebus.

*Explic.* eiusdem tabulæ N. 310. *p* Fructus membranis cinctus. *q* Idem pellicula tectus. *r* Semen nudum.

Hanc plantam fructibus onustam accepi superiore anno, lectam in solo natali, scilicet in collibus prope Ellin, oppidum Murcia Regni.

Num. 406. *STYLOCORYNA*. Genus hoc adeo affine videtur *WEBERÆ* Schreberii n. 1733 pagina 794, ut seminum numero ab ipso potissimum differat. Probe tamen notandum, *CHOMELIAM*, quæ Schreberio suppeditavit *WEBERÆ* characterem, esse tetrاندram, dicente A. L. de Jussieu pag. 203, stylisque atque antherarum ipsius formas a *STYLOCORYNÆ* formis esse longe diversas. Quod Botanicis volo monitum



ut rite pronuntient num meum genus expungendum sit. Idem de *CANTHIO* faciendum suspicatur laudatus Schreber, quod mea sententia debet retineri, quia styli, antherarum, et baccæ forma a *WEBERA* et *STYLOCORINA* differt. Consulantur quæ supra dixi n. 480.

Num. 413. *GYNOPLEURA TUBULOSA* est eadem planta cum *Malesherbia tyrsiflora* *Syst. veg. Fl. Per. et Chil. pag. 79*. Verumtamen in memoriam revocari oportet, me primum genuinum dedisse characterem huius generis, quod nova specie auctum descripsi in quarto volumine. Nihil enim memorati operis Auctores de figura seminum ipsorumque receptaculis dixerunt: stylos prædicarunt tres ad basim germinis, qui re vera existunt paulo infra huius apicem. Mitto reliqua.

Num. 415. *CORTESIA* genus est *ROCHFORTIÆ* Schreberii affine.

Num. 416. *ARGYROCHÆTA BIPINNATIFIDA*. Ubi primum huius plantæ iconem a me missam accepit Cl. Ventenatius, per epistolam ad me Parisiis datam die 11 Novembris anni 1798 nunciavit, eandem in horto Domini Cels, viri de Botanica bene meriti crescere, atque videri illam quam Linnæus *Parthenium hysterophorum* nominavit, sat bene delineatam in Academiæ parisiensis actis anni 1711. Si eadem est re vera planta de qua in præsentiarum quæstio, affirmare nullus dubito male a Linnæo ipsam Partheniis consociatam fuisse; quia flosculi disci sunt illi quadridentati, tetrandri et infecundi; radiique feminae scilicet fertiles. Qua de causa ad polygamiam necessariam pertinet, novumque verum genus constituit, *Chrysogono* affine ut memorato loco dixi.

In secundo et tertio fasciculo operis cui titulus *Regii horti matritensis plantarum Decades*, plures evulgantur plantæ in meis voluminibus contentæ: ne vero nominum diversitas, quæ passim observatur, ambiguitatem pariat, operæ pretium me facturum putavi illarum synonymiam dare. Ecce illam.

*Icones.**Decades.*

Nº 25	<i>Salvia polystachya</i> . . . . .	est. . . . .	<i>Salvia polystachya</i> .
33	<i>Cineraria minuta</i> .		<i>Cineraria heterophylla</i> .
242	<i>Helianthus dentatus</i> .		<i>Helianthus triquetet</i> .
261	<i>Amyris polygama</i> .		<i>Schinus dependens</i> .
263	<i>Anthericum reflexum</i> .		<i>Echeandia terniflora</i> .
283	<i>Coreopsis alata</i> .		<i>Helianthus tetrapterus</i> .
321	<i>Rhamnus iguaneus</i> .		<i>Celtis epiphylladena</i> .
325	<i>Rauwolfia glabra</i> .		<i>Vallesia cymbæfolia</i> .
344	<i>Æschinomene longifolia</i> .		<i>Æschinomene longifolia</i> .
348	<i>Salvia papilionacea</i> .		<i>Salvia nitidifolia</i> .
443	<i>Virgilia secundiflora</i> .		<i>Broussonetia secundiflora</i> .
458	<i>Ruellia ocymoides</i> .		<i>Ruellia concavifolia</i> .
474	<i>Loureira cuneifolia</i> .		<i>Mozinna spathulata</i> .
475	<i>Loureira glandulosa</i> .		<i>Mozinna cordata</i> .
476	<i>Anoda parviflora</i> .		<i>Anoda crenatiflora</i> .
481	<i>Mirabilis aggregata</i> .		<i>Calixhymenia aggregata</i> .



# PLANTARUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

## TABULA SYSTEMATICA.

### CLASSIS 2. DIANDRIA.

#### *Monogynia.*

CALCEOLARIA polyrhiza. . . . .	n. 487. . . . .	Tab. 441.
Fothergilli. . . . .	n. 488. . . . .	Tab. 442. fig. 1.
pinifolia. . . . .	n. 489. . . . .	Tab. 442. fig. 2.
lobata. . . . .	n. 490. . . . .	Tab. 443. fig. 1.
cana. . . . .	n. 491. . . . .	Tab. 443. fig. 2.
montana. . . . .	n. 492. . . . .	Tab. 444. fig. 1.
lanceolata. . . . .	n. 493. . . . .	Tab. 444. fig. 2.
ferruginea. . . . .	n. 494. . . . .	Tab. 445. fig. 1.
alternifolia. . . . .	n. 495. . . . .	Tab. 445. fig. 2.
crenatiflora. . . . .	n. 496. . . . .	Tab. 446.
paralia. . . . .	n. 497. . . . .	Tab. 447.
racemosa. . . . .	n. 498. . . . .	Tab. 448.
multiflora. . . . .	n. 499. . . . .	Tab. 449.
gemelliflora. . . . .	n. 500. . . . .	Tab. 450. fig. 1.
terniflora. . . . .	n. 501. . . . .	Tab. 450. fig. 2.
petioalaris. . . . .	n. 502. . . . .	Tab. 451.
violacea. . . . .	n. 503. . . . .	Tab. 452.
JOVELLANA triandra. . . . .	n. 504. . . . .	Tab. 453.
UTRICULARIA tenuis. . . . .	n. 486. . . . .	Tab. 440. fig. 2.
SALVIA patens. . . . .	n. 505. . . . .	Tab. 454.
regla. . . . .	n. 506. . . . .	Tab. 455.

### CLASSIS 3. TRIANDRIA.

#### *Monogynia.*

VALERIANA sanguisorbæfolia. . . . .	n. 507. . . . .	Tab. 456.
SCLERIA bracteata. . . . .	n. 508. . . . .	Tab. 457.
margaritifera. . . . .	n. 509. . . . .	
foveolata. . . . .	n. 510. . . . .	
CENCHRUS spinifex. . . . .	n. 514. . . . .	Tab. 461.
echinatus. . . . .	n. 515. . . . .	Tab. 462.
caliculatus. . . . .	n. 516. . . . .	Tab. 463.
CAREX phleoides. . . . .	n. 517. . . . .	Tab. 464. fig. 1.
erinacea. . . . .	n. 518. . . . .	Tab. 464. fig. 2.
trifida. . . . .	n. 519. . . . .	Tab. 465.

#### *Digynia.*

ARISTIDA capillacea. . . . .	n. 524. . . . .	Tab. 468. fig. 1.
pallens. . . . .	n. 525. . . . .	Tab. 468. fig. 2.
murina. . . . .	n. 526. . . . .	Tab. 469. fig. 1.
rigida. . . . .	n. 527. . . . .	Tab. 469. fig. 2.
laxa. . . . .	n. 528. . . . .	Tab. 470. fig. 1.
luzoniensis. . . . .	n. 529. . . . .	Tab. 470. fig. 2.



ARISTIDA vagans. . . . .	n. 530. . . . .	Tab. 471. fig. 1.
interrupta. . . . .	n. 531. . . . .	Tab. 471. fig. 2.
ternipes. . . . .	n. 532. . . . .	
STIPA humilis. . . . .	n. 520. . . . .	Tab. 466. fig. 1.
bicolor. . . . .	n. 521. . . . .	Tab. 466. fig. 2.
eminens. . . . .	n. 522. . . . .	Tab. 467. fig. 1.
micrantha. . . . .	n. 523. . . . .	Tab. 467. fig. 2.
MELICA aurantiaca. . . . .	n. 533. . . . .	Tab. 472. fig. 1.
violacea. . . . .	n. 534. . . . .	Tab. 472. fig. 2.
rigida. . . . .	n. 535. . . . .	Tab. 473. fig. 1.
laxiflora. . . . .	n. 536. . . . .	Tab. 473. fig. 2.
COLLADOA distachya. . . . .	n. 513. . . . .	Tab. 460.
ANTHISTIRIA gigantea. . . . .	n. 511. . . . .	Tab. 458.
ciliata. . . . .	n. 512. . . . .	Tab. 459.

## CLASSIS. 4. TETRANDRIA.

*Monogynia.*

HOUSTONIA rubra. . . . .	n. 537. . . . .	Tab. 474. fig. 1.
--------------------------	-----------------	-------------------

## CLASSIS 5. PENTANDRIA.

*Monogynia.*

MIRABILIS aggregata. . . . .	n. 481. . . . .	Tab. 437.
ANDROSACE spathulata. . . . .	n. 551. . . . .	Tab. 484. fig. 1.
CONVOLVULUS lasianthus. . . . .	n. 544. . . . .	Tab. 479. fig. 1.
laciniatus. . . . .	n. 545. . . . .	Tab. 479. fig. 2.
dissectus. . . . .	n. 546. . . . .	Tab. 480. fig. 1.
bonariensis. . . . .	n. 547. . . . .	Tab. 480. fig. 2.
sphaerostigma. . . . .	n. 548. . . . .	Tab. 481.
platicarpos. . . . .	n. 549. . . . .	Tab. 482.
IPOMŒA? bracteata. . . . .	n. 541. . . . .	Tab. 477.
IPOMŒA ternifolia. . . . .	n. 542. . . . .	Tab. 478. fig. 1.
muricata. . . . .	n. 543. . . . .	Tab. 478. fig. 2.
CALBOA vitifolia. . . . .	n. 540. . . . .	Tab. 476.
IACQUINIA macrocarpa. . . . .	n. 550. . . . .	Tab. 483.
CERVANTESIA bicolor. . . . .	n. 539. . . . .	Tab. 475.
SOLANUM pinnatum. . . . .	n. 483. . . . .	Tab. 439. fig. 1.
pygmaeum. . . . .	n. 484. . . . .	Tab. 439. fig. 2.
CEANOTHUS asiaticus. . . . .	n. 485. . . . .	Tab. 440. fig. 1.
MUSSÆNDA tetracantha. . . . .	n. 479. . . . .	Tab. 435.
CANTHIUM pedunculare. . . . .	n. 480. . . . .	Tab. 436.
SELLIERA radicans. . . . .	n. 538. . . . .	Tab. 474. fig. 2.

*Dygynia.*

CARMONA heterophylla. . . . .	n. 482. . . . .	Tab. 438.
AZORELLA cespitosa. . . . .	n. 552. . . . .	Tab. 484. fig. 2.
linearifolia. . . . .	n. 553. . . . .	Tab. 485.
HYDROCOTILE bonariensis. . . . .	n. 558. . . . .	Tab. 488. fig. 1.
saniculæfolia. . . . .	n. 559. . . . .	Tab. 488. fig. 2.
SELINUM proliferum. . . . .	n. 554. . . . .	Tab. 486. fig. 1.
microphyllum. . . . .	n. 555. . . . .	Tab. 486. fig. 2.



SELINUM spinosum. . . . .	n. 556. . . . .	Tab. 487. fig. 1.
acaule. . . . .	n. 557. . . . .	Tab. 487. fig. 2.

## CLASSIS 10. DECANDRIA.

*Monogynia.*

VIRGILIA secundiflora. . . . .	n. 443. . . . .	Tab. 401.
POMARIA glandulosa. . . . .	n. 444. . . . .	Tab. 402.
ZUCCAGNIA punctata. . . . .	n. 445. . . . .	Tab. 403.
BAUHINIA pes-capræ. . . . .	n. 446. . . . .	Tab. 404.
latifolia. . . . .	n. 447. . . . .	Tab. 405.
subrotundifolia. . . . .	n. 448. . . . .	Tab. 406.
lunaria. . . . .	n. 449. . . . .	Tab. 407.
BAUHINIA? latisiliqua. . . . .	n. 450. . . . .	Tab. 408.

*Trigynia.*

GALPHIMIA glauca. . . . .	n. 560. . . . .	Tab. 489.
hirsuta. . . . .	n. 561. . . . .	

*Pentagynia.*

OXALIS enneaphylla. . . . .	n. 453. . . . .	Tab. 411.
laciniata. . . . .	n. 454. . . . .	Tab. 412.

## CLASSIS 12. ICOSANDRIA.

*Poligynia.*

RUBUS radicans. . . . .	n. 455. . . . .	Tab. 413.
-------------------------	-----------------	-----------

## CLASSIS 13. POLYANDRIA.

*Polygynia.*

CALTHA saggitata. . . . .	n. 456. . . . .	Tab. 414.
---------------------------	-----------------	-----------

## CLASSIS 14. DIDYNAMIA.

*Angiospermia.*

RUSSELIA rotundifolia. . . . .	n. 457. . . . .	Tab. 415.
RUELLIA ocymoides. . . . .	n. 458. . . . .	Tab. 416.
rubicaulis. . . . .	n. 459. . . . .	Tab. 417.

## CLASSIS 16. MONADELPHIA.

*Pentandria.*

PASSIFLORA viridiflora. . . . .	n. 469. . . . .	Tab. 424.
reflexiflora. . . . .	n. 470. . . . .	Tab. 425.
peduncularis. . . . .	n. 371. . . . .	Tab. 426.
trifoliata. . . . .	n. 472. . . . .	Tab. 427.
pinnatistipula. . . . .	n. 473. . . . .	Tab. 428.

*Decandria.*

PAULETIA inermis. . . . .	n. 451. . . . .	Tab. 409.
aculeata. . . . .	n. 452. . . . .	Tab. 410.



LOUREIRA cuneifolia. . . . .	n. 474. . . . .	Tab. 429.
glandulosa. . . . .	n. 475. . . . .	Tab. 430.
BROTERA ovata. . . . .	n. 477. . . . .	Tab. 433.

*Polyandria.*

ANODA parviflora. . . . .	n. 476. . . . .	Tab. 431.
CRISTARIA glaucophylla. . . . .	n. 460. . . . .	Tab. 418.
SIDA crispifolia. . . . .	n. 461. . . . .	Tab. 419.
vitifolia. . . . .	n. 462. . . . .	Tab. 420.
heterophylla. . . . .	n. 463. . . . .	Tab. 421.
disticha. . . . .	n. 464. . . . .	Tab. 432.
pinnata. . . . .	n. 465. . . . .	Tab. 422. fig. 1.
acaulis. . . . .	n. 466. . . . .	Tab. 422. fig. 2.
MALVA tenella. . . . .	n. 467. . . . .	Tab. 422. fig. 3.
ALTHÆA ludwigii. . . . .	n. 468. . . . .	Tab. 423.
PAVONIA spiralis. . . . .	n. 478. . . . .	Tab. 434.

## CLASSIS 19. SYNGENESIA.

*Polygamia superflua.*

MUTISIA viciæfolia. . . . .	n. 562. . . . .	Tab. 490.
peduncularis. . . . .	n. 563. . . . .	Tab. 491.
clematis. . . . .	n. 564. . . . .	Tab. 492.
ilicifolia. . . . .	n. 565. . . . .	Tab. 493.
hastata. . . . .	n. 566. . . . .	Tab. 494.
subspinosa. . . . .	n. 567. . . . .	Tab. 495.
inflexa. . . . .	n. 568. . . . .	Tab. 496.
decurrens. . . . .	n. 569. . . . .	Tab. 497.
retrorsa. . . . .	n. 570. . . . .	Tab. 498.
sinuata. . . . .	n. 571. . . . .	Tab. 499.
linearifolia. . . . .	n. 572. . . . .	Tab. 500.

FINIS QUINTI VOLUMINIS.



# DESCRIPTIONES PLANTARUM.

## ELÆOCARPUS MONOCERA. Tab. 501.

573. ELÆOCARPUS foliis numerosis, sparsis, lanceolatis, subserratis: florum racemis axillaribus.

Caulis arboreus, 20 et amplius pedes altus, coma frondosissima.

Folia sparsa, numerosissima, lanceolata, versus apicem ampliora et subserrata, pedem et amplius longa, glabra, uninervia, nervo ramoso protuberante; petiolo brevi sustentata.

Flores racemosi, racemis axillaribus solitariis: flos quilibet pedunculatus, villosus, basi bistipulatus: stipulæ ovato-acutæ.

Calix ferrugineus, monophyllus, profunde quinquepartitus, laciniis lanceolatis.

Corolla ferrugineo-rubra, extus tomentosa, pentapétala: petalâ crassiuscula, æqualia, calice vix longiora, receptaculo inserta, lanceolato-ovata, 3-4 fido-laciniata, laciniis capillaribus.

Inter calicem et germen pellicula orbicularis, villis superne hirta, ubi affixa sunt stamina; inferne vero glandulis aut corpusculis subdecem exasperata.

Staminum filamenta subsexaginta, brevissima, fusco-rubra: antheræ lineares tetragonæ, apice bivalves, valvula interiore obtusa mutica, exteriori terminata capillo tenuissimo antheræ longitudine.

Germen supra pelliculam receptaculo impositum, ovatum, villosum: stylus filiformis longitudine staminum, corolla brevior: stigma acutum.

Fructus deerat; ex germinis vero sectione transversali videtur corticatus, bilocularis.

Habitat in oppido Baños, et in fundo Hala-Hala insulæ Luzón. Ibiq̄ue Ægiceras minus;

Vinca rosea; Quisqualis pubescens; Vitex paniculata, trifoliata, et ovata; Wolkameria inermis et Kœmpheri, quam vivis coloribus expressit Iacquinus tab. 500. Ic. plant.

Floret Septembri. Vidi siccam floridam in herbario D. Ludovici Née.

*Explic.* tabulæ quæ ramulum sistit foliis magnitudine naturali triplo brevioribus. *aa* Floris capitula. *b* Flos subtus visus. *c* Petalum auctum interne conspectum. *d* Calix cum genitalibus auctis. *e* Filamentum magnitudine naturali. *f* Idem auctum. *g* Germen super pelliculam. *h* Germinis aucti sectio.

*Obs.* D. de Lamarck vol. 2. Encyclop. pag. 604 DICERAM Forsterii ad ELÆOCARPUM reduxit: Schreber vero separata conservavit tamquam diversa genera. Abundent suo sensu: interea tamen supradescriptam plantam, cuius fructum ignoro, ELÆOCARPUM dixi, quia flore ad hoc genus accedit.

## ANGUILLARIA PYRAMIDALIS. Tab. 502.

574. ANGUILLARIA foliis lanceolato-ovatis, glabris: racemis terminalibus; pedunculis umbelliferis, compressis.

Arbor triorgyalis, ramis sparsis, glabris uti tota planta.

Folia numerosa, sparsa, subsessilia, lanceolato-ovata, versus apicem subserrata, semipedem et amplius longa, uninervia, nervo ramoso.

Flores terminales in pyramidem fere pedalem dispositi, pedicelli versus apicem breviores, rubri compressi, umbelliferi: radii 7-12, semipollicares, et paulo infra umbellam alter solitarius. Ad pedicellorum atque radiorum basim bractea brevis, truncata.

Calix liber <sup>(a)</sup>, persistens, rubescens, ex quinque foliolis ovato-acutis, obscure ciliatis, corolla triplo brevioribus.

(a) In posterum calicem liberum dicemus, quem Linnæus inferum nominavit; adhærentem vero, quem iste superum. Incongrue enim, ut apposite notavit E. P. Ventenat pag. 63. 64. 1. volum. *Tableau du*

*regne vegetal*, nominatur superus calix ille, cuius pars indivisa, est vere infera, germen veluti pelle tegens ipsique adhærens, quamquam superior eiusdem pars libera appareat atque divisa.



Corolla rubra, monopetala, cuius tubus brevis, et lacinia quinque profunda, lanceolata, basi coarctata.

Staminum filamenta quinque brevia, tubo corollae inserta: antherae erectae, corolla paulo breviores, subsagittatae, tetragonae, didymae, lateribus oppositis longitudinaliter dehiscentes.

Germen sphaericum: stylus filiformis staminibus longior: stigma acutum.

Fructus bacca sphaerica, coriacea, unilocularis, monosperma: semen sphaericum, carnosum, durum, pelliculla rufa tectum, basi fovea umbilicali exculptum.

Habitat prope Santa-Cruz de la Laguna, in Luzonensi insula, una cum Mogorio elongato, Paderia fetida; Crotalaria linifolia et quinquefolia; Pontederia vaginali, et hastata, Clitoria ternatea &c. *h* Florent Mayo et Iunio. Vidi siccas in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix auctus. *b* Eiusdem foliolum. *c* Corolla aucta cum genitalibus. *d* Germen. *e* Filamentum cum anthera. *f* Corolla revoluta ut appareant stamina. *g* Fructus. *h* Albumen ad medium usque ab integumento coriaceo denudatum. *i* Idem a latere umbilicali spectatum.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> *Baccam* dixi huius arboris fructum, ne nominum diversitate videar characterem mutare, a Gartnero descriptum vol. 1. pag. 372. Attamen in memoriam revocari oportet ipsum in introductione praestantissimi sui operis *Bacca* definitionem circumscriptis his verbis: „*Bacca* generatim dicitur omne pericarpium molliusculum, sive succulentum, sive exsuccum sit, dummodo non in valvulas regulares dehiscat, nec unicum dumtaxat intra se claudat ossiculum sibi firmiter adnatum.”

Si ergo unico constat semine huius arboris fructus, haud recte *bacca* nominatur, *nuxque* potius dicendus erit. Quod si *nux* nomen Botanicis displiceat, aliud excogitetur medium inter *baccam* et *nucem*.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> D. de Lamarck in Gen. II. vol. 2. pag. 109. ad ANGUILLARIAM reduxit Aubletii ICACOREAM; Iussieus vero Gartnerii ANGUILLARIAM ad BADULAM, quamquam hoc ultimum genus stigmatate gaudeat capitato.

### ANGUILLARIA SERRATA. Tab. 503.

575. ANGUILLARIA foliis sparsis, lanceolatis, serratis; florum racemis terminalibus, compositis.

Arbor 15-20 pedes alta, ramis alternis, glabris.

Folia sparsa adproximata, lanceolata, serrata, glaberrima, semipedem et amplius longa, latitudine triplo breviora; uninervia, nervo ramoso, in petiolum semipollicarem desinente.

Flores terminales in pyramidem pedalem dispositi, cuius ramuli compressi, umbellas aut corymbos sustinent; suntque sanguinei coloris, divergentes: inferiores longiores. Ad horum, et pedunculorum basim bractea brevis truncata.

Corollae laciniae quinque, ovato-lanceolatae.

Reliqua ut in praecedente cum qua habitat et floret *h*. Vidi in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix parum auctus. *b* Corolla expansa. *c* Germen. *d* Filamentum cum anthera aucta. *e* Fructus. *f* Albumen ad medium usque ab integumento coriaceo denudatum. *g* Idem e latere umbilicali conspectum.

### RHAMNUS UMBELLATUS. Tab. 504.

576. RHAMNUS caule inermi: foliis oppositis, ovato-acutis, lineatis: floribus umbellatis.

Caulis fruticosus, orgyalis, ramis virgatis, cortice rubente.

Folia opposita, sessilia, obscure cordata, ovato-acuta, glabra, lineata, duriuscula, integerrima, uninervia, nervo valde ramoso, venulis parallelis. Stipulae brevissimae, coriaceae truncatae.



Flores umbellati: pedunculi communes axillares, oppositi, solitarii, 3-4 lineas longi: partiales subquinque, breviores, versus florem incrassati; basi in unaquaque umbella bracteolis duabus crassiusculis.

Calix turbinatus, persistens, crassus, quinquepartitus, laciniis interne bifoveolatis, septo longitudinali foveas separante.

Petala quinque rubentia, concava, minima, calicis divisuris inserta.

Staminum filamenta quinque, calici inserta, petalisque recondita: antheræ ovatæ, sulcatæ.

Germen globosum, disco subimmersum: stylus subulatus persistens, apice bipartitus: stigmata globulosa.

Bacca spherica, piperis grano maior, glabra, bilocularis. Semina.... vetustate destructa reperi.

Habitat in Nova-Hispania inter Chilpacingo et Rio Azúl; et etiam in San Carlos de Chiloe hicque Lobelia Tupa, Passiflora tomentosa, et Pavonia sempervirens vulgo Laurel de Chile (a) h. Floret Februario et Aprili. Vidi in dicto herbario.

Explic. tab. a Calix auctus. b Flos integer auctus. c Petalum cum filamentis. d Germen calici impositum. e Bacca. f Calix a quo avulsa est bacca. g h Huius sectio.

### RHAMNUS TRINERVIUS. Tab. 505. fig. 1.

577. RHAMNUS foliis alternis, ovatis, serrulatis, trinerviis, subtus tomentosis: floribus hermaphroditis axillaribus.

Rhamnus. *Née herbarium.*

Caulis fruticosus, orgyalis et amplius: rami alterni, flexuosi, teretes, tomento brevissimo rufo tecti.

Folia alterna, petiolis multoties longiora; ovata, serrulata, serraturis minimis acutis, superne nitida, subtus ferruginea tomento brevi, trinervia, nervo intermedio utrimque ramoso, lateralibus versus peripheriam dumtaxat venosis.

Flores axillares, 4-7, pedunculis capillaribus.

Calix persistens, semiquinquepartitus, laciniis lanceolatis, subtus tomentosis, interne rubentibus.

Corolla et stamina ut in præcedente.

Germen cinctum foveolis decem, ovatum: stylus brevis, apice bipartitus: stigmata incrassata.

Bacca ovata, carnosissima.

Habitat prope Manilam in insula Luzón; ibique Cyperus monostachyos, tenuiflorus et humilis; Poa tenella, et eragrostis; Viscum opuntioides; Ixora chinensis, flama scilicet silvarum peregrina Rumphii; Calamus rotang; Oryzæ varietates plures; Nepenthes distillatoria; Kleinhovia hospita; Erithryna indica; Hedysarum pulchellum, gangeticum, et bifolium; Ophioglossum scandens; Polypodium quercifolium; Acrostichum spicatum, citrifolium et viviparum. Has omnes stirpes vidi siccas in memorato herbario.

Explic. tab. a Flos auctus. b Idem absque calice. c Fructus sectio.

Obs. Unicum fructum observare potui, quem vidi unilocularem monospermum. An id casu? An ceteri similes reluctante congenerum analogia et stigmatum numero?

### ANAGALLIS ALTERNIFOLIA. Tab. 505. fig. 2.

578. ANAGALLIS foliis oblongo-ovatis, alternis: floribus axillaribus.

Anagallis vulgo DORADILLA. *Née herbar.*

(a) Hoc novum genus *Pavoniæ* nomine evulgarunt Fl. Peruvianæ auctores, quia Pavonias meas ad Urenæ genus revocandas esse dixerunt. *Consula-*

*tur huius operis voluminis tertii præfatio pag. 2; et Coleccion de papeles pagina 56. Matriti anni 1796.*



Ex eadem radice cauliculi prodeunt ramosi, quattuor sexve pollices longi in cespitem dispositi, sulcati.

Folia glauco-viridia, venosa, alterna, adproximata, subsessilia, ovato-oblonga, utrimque acuta, duas lineas longa.

Flores axillares, solitarii, pedunculis folio longioribus.

Calix persistens, quinquepartitus, laciniis, acutis, carinatis.

Corolla monopetala, profundissime quinquepartita, laciniis ovatis, dilute rubris, et prope basim macula saturatiore notatis.

Staminum filamenta quinque, erecta, inferne hirsuta: antheræ ovatæ, basi subemarginatæ.

Capsula minuta, globosa, unilocularis, circumscissa, calice brevior: semina plura ovato-trigona.

Habitat in viciniis urbis Coquimbo et in humidis inter urbem Concepcion de Chile et Lamochilla, ubi frequens *Lepidium didymum*. Floret Decembri. Vidi in eodem herbario.

*Explic.* tab. *d* Flos integer. *e* Stamen auctum. *f* Capsula intra calicem. *g* Capsulæ auctæ bipartitio naturalis. *h* Semina aucta.

*Vires et usus.* Chilenses huius plantæ decocto et infusione in gonorrhœa frequenter utuntur.

## GOODENIA. *Smith.* (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix adhærens, apice pentaphyllus, foliolis acutis persistentibus.

Corolla monopetala, irregulatis: tubus longitudinaliter usque ad basim fissus: limbus quinquepartitus, laciniis lanceolatis.

Staminum filamenta quinque, germi circum stylum imposita: antheræ lineares.

Germen adhærens: stylus simplex filamentis longior, apice incurvus: stigma urceolatum, ciliatum.

Capsula bivalvis, polysperma. Semina compressa.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Species hucusque motæ suffrutices aut herbæ sunt in Nova Hollandia crescentes, quibus folia sunt alterna, et flores ut plurimum axillares.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> *Goodenia*, *Selliera*, et *Scævola* genera sunt valde affinia in quorum genitalibus, calice et corolla vix ulla discrepantia existit: ab invicem tamen differunt fructu, qui in *Goodenia* est capsula bivalvis; in *Selliera* bacca unilocularis polysperma; in *Scævola* nunc sicca, nunc carne tecta.

*Obs.* 3.<sup>a</sup> Capsula *Goodeniæ* ovatæ est bilocularis, dissepimento valvulis parallelo, et semina imbricata carinis valvularum affixa: *Goodeniæ* heterophyllæ est unilocularis, et semina receptaculo centrali affixa: *Goodeniæ* tandem paniculatæ capsula est etiam unilocularis, et semina columellæ centrali imbricatim inserta. Quam ob rem clarissimi Smithii characterem correxi in his quæ ad capsulam et semina spectant.

## GOODENIA OVATA. *Smith.* Tab. 506.

579. *GOODENIA* foliis ovatis, denticulato serratis, glabris: floribus paniculatis axillaribus: fructu lineari. *Anales de historia natural vol. 1. pag. 94.*

*Goodenia* foliis ovatis, denticulato-serratis, corollisque glabris: fructu lineari. *Smith act. soc. Linn. vol. 2. pag. 346. anni 1794.*

Caulis fruticosus, erectus, obscure tetragonus, sesquipedalis, glaber uti tota planta: rami alterni, consimiles.

(a) Genus hoc dicavi; Doctori Samueli Goodenough, viro de Botanica benemerito clarissimus

Smith in actis societatis Linneane volumine 2. pag. 346.



Folia alterna, ovato-acuta, denticulato-serrata: petioli folio quadruplo et amplius breviores, superne sulcati, et in axilla tomentosi.

Flores paniculati, panicula axillari dichotoma, ut plurimum septemflora: in dichotomiis solitarii, subsessiles, bracteolis duabus suffulti; reliqui longius pedunculati, pedunculo bibracteato.

Calicis foliola subulata erecta, staminibus longiora.

Corolla lutea, externe virescens, lineisque 15, longitudinalibus, saturatoribus variegata: laciniæ ovato-oblongæ, quæ postica superficie costis totidem notantur crassis lanceolatis, inferne in unum corpus coëuntibus.

Staminum filamenta quinque, stylo breviora, per fissuram exerta, equalia: antheræ sublineares, biloculares.

Germen oblongum, pentagonum: stylus glaber: stigma versus stamina inflexum, cuius cilia albicantia.

Capsula oblonga, subpentagona, calice coronata, bilocularis, bivalvis, valvulis ab apice ad basim fere dehiscentibus, et tandem revolutis: dissepimentum tenue.

Semina sex, plus minusve in unaquaque valvula, cuius carinæ funiculo brevissimo subimbricata adhærent, suntque subrotunda, compressa, rima circulari notata.

Habitat in Nova-Hollandia prope oppidum Jackson; floret atque fructificat Aprili. In hortis vero Londinensibus floruit die 4 Decembri anni 1792, eamque delineari iussit Cl. Ios. Banks, cuius icon inedita asservabatur anno 1794 dicente Smithio loco citato. Vidi siccam in herbario Lud. Néé.

*Explic.* tab. a Flos integer. b Genitalia aucta. c Capsula. d Eadem dehiscens. e Eadem aucta cum dissepimento f. g Semen auctum.

*Obs.* Incisa tabula atque in memorato opere *Anales* evulgata, secundum volumen Act. Inst. Parisiensis vidi et in eo Ventenatii dissertationem de hac planta, quam vivam vidit in Celsiano horto. Iuxta claris. auctoris observationem Goodeniæ ovatæ corolla est irregularis et bilabiata, cuius labium superius est reflexum ex duabus laciniis compositum basi angustis et separatis; inferius vero dependens, tripartitum, laciniis superioris labii laciniis conformibus. Laciniæ ergo laterales, labium superius efformantes, quas expansas delineavi, inflectendæ erunt sursumque erigendæ ut labium, in sicco deformatum, constituent. Consulatur eiusdem Ventenatii tabula, quæ decima est memorati operis pag. 324.

## GOODENIA PANICULATA. *Smith. Tab. 507.*

580. GOODENIA foliis lanceolato-ovatis, dentatis, pilosis: caule paniculato. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 95.*

Goodenia foliis ovato-lanceolatis, dentatis, corollisque pilosis: caule nudiusculo paniculato? *Smith Act. Soc. Lin. vol. 2. pag. 348.*

Radix teres descendens fibrosa, ex qua caulis adsurgit pedem et amplius altus, obscure teragonus, ramisque aliquot erectis.

Folia radicalia numerosa, lanceolato-ovata, dentata, pilosa, versus basim attenuata; caulina et ramea distantia, lanceolato-lineararia, dentibus aliquot, sessilia, et in axillis interne tomentosa.

Flores paniculati, pedunculis bibracteatis.

Calicis foliola minuta, subulata, villosa.

Corolla lutea, extus pilosa, ubi fusco-virens, notaturque ut in præcedente costis quinque crassis lanceolatis, inferne in unum corpus coëuntibus, lineis pariter 15, aut si mavis venulis prominentibus.

Stamina ut in præcedente.

Germen breve, ovatum, villosum: stylus pilosus: stigmatis cilia albicantia.

Capsula ovata, compressiuscula, calice coronata, bivalvis, valvulis navicularibus. Semina



rotunda, marginata membranula, columellæ centrali imbricatim affixa.  
 Habitat, floretque cum præcedente et sequentibus, quas vidi in dicto herbario. Smithius vidit speciem, hoc nomine indigitatam, in herbario Banksiano, lectam in memorato portu Jackson a Davide Burton.

*Explic. tab. a* Corolla extus visa. *b* Flos integer. *c* Genitalia aucta. *d* Capsula. *e* Eadem aucta valvulis divaricatis ut appareat Seminum columella. *f* Semen auctum.

*Obs.* Cum dubio Smithii plantam ad hanc meam reffero quia huius capsula est unilocularis, quod non convenit characteri ab ipso stabilito. Si loco definitionis qua contentus fuit, dedisset Smithius integram plantæ descriptionem, qualem de *Goodenia ovata* dedit, res tunc temporis nihil haberet dubitationis.

### GOODENIA HETEROPHYLLA. *Smith. Tab. 508.*

581. *GOODENIA* foliis integris, dentatis, lobatisque, pilosis: fructu subrotundo: corolla nudiuscula. *Smith loco citato pag. 348. Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 96.*

Caulis herbaceus, teres, pedalis, pilosus, ramis aliquot alternis.

Folia radicalia ovata, in petiolum tenuem ipsis longiorem attenuata, nunc integra nunc dentata; reliqua ut plurimum trilobata, lobo medio productiore et in superioribus linearilanceolato, dentata, pilosa, sessilia.

Flores axillares, pedunculis tenuissimis, solitariis, bibracteatis, uni-bifloris.

Calicis foliola quinque subulata villosa.

Corolla dilute rosea, laciniis lato-ovatis emarginatis.

Capsula subrotunda, calice coronata, bivalvis, valvulis concavis. Semina subquattuor ovato-oblonga, compressa, rima circulari notata, receptaculo centrali affixa.

Reliqua ut in præcedente, cum qua vivit, floret atque fructificat.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Corolla extus visa. *c* Genitalia aucta. *d* Capsula. *e* Eadem aucta valvulis divaricatis, et in centro semina. *f* Semen auctum.

### SCÆVOLA MICROCARPA. *Tab. 509.*

582. *SCÆVOLA* foliis alternis, obovatis, dentatis, glabris: fructu minimo. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 97.*

2 *Goodenia albida*, foliis obovatis, dentatis, corollisque glabris, stylo cauleque piloso? *Smith. Act. Soc. Lin. vol. 2. pag. 348.*

*Goodenia lævigata* foliis ovato-lanceolatis dentatis glabris. *Guil. Curtis Botanical Magazine an. 1795. pag. 287. cum Icone vivis coloribus expressa.*

Caulis obscure angulatus, pedalis et amplius, villosus, ramis alternis.

Folia glabra, alterna, obovata, dentata, superiora subsessilia, inferiora in petiolum attenuata.

Flores axillares, sessiles, solitarii, inter duas bracteeas oppositas lineares.

Calix adhærens, apice pentaphyllus, foliolis brevissimis, ovato-acutis, persistentibus.

Corolla dilute violacea irregularis; tubus, qui externa superficie est obscure viridis et 15 lineis notatus, interna subluteus, est longitudinaliter fissus usque ad basim, canalem semicircularem sistens, sensim versus faucem ampliorem, ubi limbus partitur in quinque lacinias ovatas, postice incrassatas costis totidem lanceolatis, basi in unum corpus coëuntibus, apicibus prominulis acutis villosis.

Staminum filamenta quinque, germi circum stylum imposita, æqualia, stylo duplo breviora, per fissuram tubi prodeuntia: antheræ ovatæ, bilobæ, lobis adpressis.

Germen adhærens, minimum: stylus corolla brevior, pilosus: stigma urceolatum, ore ciliatum, versus stamina inflexum.



Fructus minimus, ovatus, inter bracteas conniventes reconditus, estque nux monosperma, sicca, rugosa. Semen ovatum.

Habitat in portu Jackson; vidi siccam in dicto herbario. Smithius siccam pariter vidit ipsi communicatam a Ioanne Whit dicti portus Chirurgo; Curtis vero vivam florentem a Iulio ad Octobrim, absque fructu.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Genitalia aucta. *c* Anthera aucta lobis nonnihil divergentibus. *d* Nux magnitudine naturali. *e* Eadem aucta coronata caliculo. *f* Huius sectio. *g* Semen.

### SCÆVOLA HISPIDA. Tab. 510.

583. SCÆVOLA foliis lineari-lanceolatis hispidis, inferioribus dentatis: stylo apice hirsutissimo: corolla extus pilosa. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 99.*

Goodenia ramosissima foliis lineari-lanceolatis subdentatis, cauleque hispidis: stylo apice hirsutissimo: corolla extus pilosa. *Smith Act. Soc. Linn. vol. 2. pag. 349. Nova Hol. pag. 16. tab. V.*

Caulis subtetragonus, hispidus, ramosissimus, bipedalis.

Folia alterna, sessilia, lineari-lanceolata, inferiora dentata, reliqua fere semper integerrima, hispida.

Flores axillares, solitarii, pedunculis folio longioribus, prope florem bibracteatis, bracteis folio similibus, oppositis, semipollicem longis.

Calix adhærens, apice pentaphyllus, foliolis germine longioribus, acutis, angustissimis, hispidis, persistentibus.

Corolla dilute violacea, irregularis: tubus longitudinaliter usque ad basim fissus, externe striatus, pilosus, et subviridis, interne flavescens; limbus quinquepartitus, lacinia ovata, postice incrassata costis totidem lanceolatis, pilosis, basi in unum corpus coëuntibus, apicibus acutis prominulis.

Filamenta ut in præcedente: antherarum lobuli interne versus apicem villosi.

Germen striatum, oblongum, adhærens: stylus apice hirsutissimus: stigma urceolatum, cernuum, ore ciliatum.

Nux infera, coronata calice, ovata, villosa, sulcis decem, angulis acutis, bilocularis, disperma. Semina oblonga, altero latere fere plana, oposito obtusa.

Habitat in Nova-Hollandia inter Jackson et Paramata. Floret Aprili.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Pars corollæ postice visa. *c* Genitalia aucta. *d* Filamentum cum anthera aucta. *e* Fructus. *f* Eiusdem aucti sectio. *g* Semen.

### LOBELIA FILIFORMIS. Lamarck. Tab. 511. fig. 1.

584. LOBELIA caule filiformi: foliis dentatis, infimis ovatis, reliquis linearibus: pedunculis unifloris axillaribus.

Lobelia caule filiformi simpliciusculo; foliis linearibus angustis, dentatis: pedunculis unifloris axillaribus. *Lamarck Dict. vol. 3. pag. 588.*

Lobelia. *Née herbar.*

Radices capillares: caulis simplex, filiformis, glaber vix pedalis.

Folia sessilia, dentata, dentibus vix conspicuis oculo nudo, infima ovata, lineam fere longa; reliqua linearia vix semilineam lata, et semipollicem longa.

Flores axillares, solitarii, in superiore caulis parte, pedunculis folio longioribus.

Calix, quinquepartitus, laciniis germine longioribus, subulatis.

Corolla dilute cærulea, monopetala, irregularis; tubus tres lineas longus basi ampliatus: limbus quinquepartitus et quasi bilabiatus; labium inferius trifidum, laciniis cuneatis apice amplioribus, setulaque brevi terminatis: labium superius bifidum reflexum laciniis æqualibus, brevioribus, et similibus reliquis.



Stamina tubo paulo longiora: antheræ oblongæ fuscæ, connatæ, apice villosæ, stigma includentes.

Germen inferum: stylus tubi longitudine: stigma globosum villosum.

Fructus deest.

Habitat prope oppidum Santa Cruz de la Laguna in insula Luzón, floretque Maio et Junio: ibique Hibiscus suratensis, Waltheria elliptica, Melochia concatenata, Urena multifida et sinuata. Vidi siccas in memorato herbario.

*Explic.* tab. *a* Folium auctum ut appareant dentes.

### LOBELIA GRUINA. Tab. 511. fig. 2.

585. LOBELIA foliis alternis, lanceolato-linearibus, dentatis: caule superne nudo: racemo florum terminali.

*Lobelia. Née herb. cum Icone.*

Caulis herbaceus, pedalis, striatus, glaber, inferiore parte foliosus, superiore nudus.

Folia sessilia, lanceolato-linearia; dentata, sparsa.

Flores terminales in racemum dispositi, pedicellis brevibus ad totidem bracteas subulatas axillaribus.

Calix monophyllus, cum pericarpio usque ad laciniarum divisionem connatus: lacinia quinque, germine longiores, subulatæ persistentes.

Corolla cærulea, monopetala, irregularis: tubus dilutior superne usque ad basim fere fissus; tres quattuorve lineas longus: faux pervia dilutissima: limbus quasi bilabiatus; labio inferiore tripartito laciniis lanceolatis patulis; superiore bifido laciniis angustioribus reflexis.

Filamenta quinque, tubo paulo longiora, cærulea inferne libera, postea in tubum coalita, terminata antheris totidem in cylindrum connexis, vaginantibus stylum, cuius stigma globosum villosum nonnihil exertum. Hic itaque genitalium tubus a corollæ tubo per fissuram divergit, et incurvatur intra corollæ lacinias superiores versus huius faucem, gruinum caput et collum refferens.

Germen turbinatum, sulcatum, adhærens, quod in fructum conversum semiinferum apparet, prominente capsula usque ad eiusdem calicis laciniarum altitudinem.

Capsula est inferne cum calice coalita, ovata, utrimque sulco longitudinali inscripta, bicularis, bivalvis, apice dehiscens. Dissepimentum valvis contrarium. Receptaculum conicum, hinc convexum, inde medio dissepimento utrimque adnatum.

Semina numerosa, minuta, ovata, luteo-rufescentia.

Habitat passim in Nova-Hispania cum Chiococca racemosa præsertim prope oppida Huajuato, Real del monte et San Bartolomé. Floret Iulio et Augusto. Vidi siccam et Iconem apud D. Née.

*Explic.* tab. *b* Flos integer. *c* Genitalia. *d* Capsula dehiscens. *e* Capsulæ auctæ sectio. *f* Semina.

*Obs.* Affinis Lobeliæ urenti, a qua differt foliis omnibus lanceolato-linearibus.

### LOBELIA FENESTRALIS. Tab. 512. fig. 1.

586. LOBELIA caule herbaceo sulcato: foliis linearibus dentatis semiamplexicaulibus: spica terminali: genitalibus tubo brevioribus.

*Lobelia. Née herbar.*

Caulis herbaceus, sulcatus, pedalis et amplius.

Folia alterna, semiamplexicaulia, glauca, mollia, linearia, acuta, dentata, dentibus alternatim brevioribus acutis, duos pollices longa, duas lineas lata.

Flores spicati, spica terminali foliosa: pedunculi brevissimi.



Calicis laciniae subulatae, breves.

Corolla caerulea, monopetala, irregularis: tubus duas lineas longus prope basim fenestratus ubi genitalia apparent: limbus ut in praecedente.

Filamenta brevissima: antherae in cylindrum connexae: stigma globosum, villosum, antheris vix longius.

Fructum non vidi.

Habitat iuxta oppidum San Bartolome tribus leucis ab urbe Mexico. Floret Julio. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus. *b* Genitalia aucta et expansa.

### LOBELIA COMOSA. Tab. 512. fig. 2.

587. LOBELIA foliis lanceolatis, dentatis, breviter petiolatis: florum corymbo terminali, foliorum coma suffulto.

*Lobelia. Née herbarium.*

Caulis bipedalis, sulcatus, simplex.

Folia lanceolata, dentata, acutissima, duos pollices longa, duas tresve lineas lata, superiore pagina viridia et subrugosa, inferiore lutescentia et pulverulenta, alterna, si superiora excipias quae comam efformant sub floribus: petioli villosi, sesquilineam longi.

Flores in summitate caulis subcorymbosi, pedunculis sesquipollicaribus tenuissimis e foliorum axillis prodeuntibus, quae comam efformant.

Calicis laciniae subulatae, germine quadruplo longiores.

Corolla lutescens, tubulosa, curva, fere pollicem longa: cuius limbus brevis.

Filamenta longitudine corollae in tubum connexa, quemadmodum et antherae, quarum apex penicilliformis: stigma globosum villosum in antherarum cylindro reconditum.

Fructum non vidi.

Habitat haud procul a Queretaro in Nova-Hispania.

Floret Octobri. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *c* Calix auctus germen includens. *d* Idem cum genitalibus magnitudine naturali. *e* Genitalia, longitudinaliter fisso et expanso staminum tubo. *f* Anthera unica separata et aucta ut conspiciatur penicillus terminalis.

### LOBELIA GIGANTEA. Tab. 513.

588. LOBELIA caule fruticoso: foliis lanceolatis, dentatis, rugosis: pedunculis axillaribus, solitariis, longissimis. *Anales de historia natural vol. 2. pag. 104.*

*Lobelia. Née herbar.*

Caulis fruticosus, ramosus, 14 pedes et amplius altus.

Folia numerosa, sparsa, lanceolata, minute dentata, rugosa, octo pollices et ultra longa, unum lata, subtus subtomentosa, sustentata petiolis trium linearum.

Flores axillares, solitarii: pedunculi teretes, crassi, folio saepius longiores, uniflori.

Calix, qua germi adnatus, hemisphaericus striatus, postea quinquepartitus, laciniis lanceolato-acutissimis pollicem longis, persistentibus.

Corolla luteo-rubens, crassiuscula, extus subtomentosa, sesquipollicem longa, summo calici infra divisuras inserta: tubus integer, fere pollicaris: limbus quinquepartitus bilabiatus: labium inferius trifidum, laciniis ovatis, acumine subulato terminatis; superius longius, profundius bipartitum laciniis inclinatis versus labium inferius.

Staminum filamenta quinque, plana, summo calici infra corollam inserta, basi libera, postea in cylindrum corolla longiorem connata, terminatum cylindro ampliore, tres lineas longo, ex 5 antheris composito: antherae sunt intus biloculares, apice et suturis externis hispidae pilis rufis numerosis,



- Germen ovatum inferum : stylus ruber filamentis vaginatus : stigma globosum villosum et in antheris inclusum tempore fecundationis ; postea vero exertum et bilobo-peltatum.
- Capsula ovato-acuta, cicere maior, ad medium usque cum calice coalita, utrimque sulco longitudinali inscripta, apice dehiscens, bilocularis, bivalvis; dissepimento valvulis contrario. Receptaculum conicum, carnosum, albicans, hinc convexum, inde dissepimento utrimque adnatum. Semina numerosa, ovata, minuta, rubentia.
- Habitat inter Guarandam et montem Sancti Antonii, ibique *Lobelia columnea*, *Acrostichum calomelanos*, et *Jarava ichu*. Floret Octobri. ¶ Vidi siccam in memorato herbario.
- Explic.* tab. *a* Calix fructifer cum stylo et stigmate ante fecundationem. *b* Stigma fecundatum. *c* Staminum tubus expansus. *d* Anthera unica aucta. *e* Capsula dehiscens. *f* Huius sectio. *g* Semina aucta.
- Obs.* Species inter congeres notanda magnitudine et florum forma.

### LOBELIA BISERRATA. Tab. 514.

589. *LOBELIA* foliis ovato-lanceolatis, biserratis: floribus axillaribus solitariis: filamentis basi corollæ connatis.
- Lobelia.* *Née herbar. cum Icone.*
- Caulis fruticosus, tripedalis et amplius, ramis sulcatis.
- Folia alterna, breviter petiolata, ovato-lanceolata, biserrata, subtus subtomentosa, præsertim tenera; inferiora tres pollices longa, sesquipollicem lata, superiora sensim minora, quæ floribus breviora sunt.
- Flores axillares solitarii, racemum efformantes terminalem confertum: pedunculi inferne bibracteati, superne prope calicem incrassati.
- Calix, qua germine adnatus, hemisphæricus decemstriatus striis prominulis, subtomentosus, postea quinquepartitus, laciniis lanceolato-acutis, germine brevioribus.
- Corolla luteo-coccinea, glabra, sesquipollicem longa: tubus prope basim dumtaxat fissus, postea integer, ventricosus; limbus quinquepartitus laciniis lanceolatis carinatis, inferiore profundiore.
- Staminum filamenta quinque, plana, summo calici una cum corolla inserta, huiusque tubo adnata per duarum linearum longitudinem, mox libera, statimque in corpus cylindricum connexa, corollæ longitudine, sustentia antheras tubum ampliorem efformantes: antheræ interne biloculares.
- Germen ovato-acutum adhærens: stylus ruber filamentorum tubo vaginatus: stigma ut in præcedente.
- Capsula ovato-acuta, bilocularis, minor quam in præcedente.
- Habitat prope oppidum San Buenaventura regni Peruviani, ibique *Monnina salicifolia*, *macrostachya*, et *polystachya* Fl. Per. et inter alias stirpes *Polylepis racemosa*, *Llagu-noa nitida*, *Spermacoce assurgens*, et *Fuchsiae* species nova foliis ovatis subserratis tres pollices longis. Florent omnes Iunio et Iulio, easque vidi siccas in dicto herbario.
- Explic.* tab. *a* Corolla longitudinaliter secta et expansa ut appareat rima *r*, et filamentorum basis, tubo corollæ adnata. *b* Calix, germen, stylus et stigma. *c* Fructus. *d* Capsulæ sectio. *e* Valvulæ usque ad basim apertæ, ut conspiciatur receptaculum et semina.

### LOBELIA ANDROPOGON. Tab. 515.

590. *LOBELIA* caule fruticoso: foliis ovato-acutis glabris mollibus: floribus axillaribus, solitariis, coccineis. *Anales de hist. natural vol. 2. pag. 106.*
- Lobelia.* *Née herb.*



Caulis fruticosus, sulcatus, orgyalis: rami alterni consimiles.

Folia alterna, mollia, ovato-acuta, glabra, denticulis aliquot vix conspicuis, qui venularum extremitates sunt, tres pollices ut plurimum longa, sesquipollicem vix lata: petioli duarum linearum.

Flores solitarii, axillares: pedunculi folio breviores prope basim subvillosi, bibracteati, bracteolis subulatis.

Calix hemisphæricus, striatus, semiquinquepartitus, laciniis acutis, germine longioribus.

Corolla glabra, coccinea, sesquipollicem longa: tubus sensim versus faucem amplior, falcatus, integer: faux pervia: limbus bilabiatus; labium inferius rotundato-acutum reflexum, breviter tripartitum, laciniis acutis; superius bipartitum laciniis ovato-acutis.

Antheræ in cylindrum connexæ, intus biloculares, apice et suturis externe hispida pilis rufis numerosis.

Reliqua omnino ut in præcedente.

Habitat in silvis umbrosis regni Quitensis prope montem Sancti Antonii, una cum Hibisco mutabili et Ophioglosso pendulo, herba scilicet parasitica biulnaris, quæ passim pendet ex arboribus. Florent Octobri. Vidi siccas in dicto herbario.

*Explic.* tab. a Flos integer, corolla longitudinaliter secta et expansa.

### LOBELIA MUCRONATA. Tab. 516.

591. LOBELIA foliis sparsis, sessilibus, ovato-oblongis, serrulatis, apice mucronatis, glaucis, villosis.

Lobelia. *Née herbar.*

Caulis fere orgyalis, sulcatus, villosus.

Folia sparsa, adproximata, sessilia, glauca, villosa, ovato-oblonga, superiora (quæ vidi) semipollicem lata duos pollices longa, uninervia nervo ramoso ultra limbum in mucronem producto, serrata, serraturis minimis.

Flores axillares, solitarii, pedunculis folio brevioribus.

Calicis laciniæ lanceolatae.

Corolla coccinea subvillosa, tubulosa, sesquipollicem longa, ab apice ad basim usque fissa: tubus inferne ventricosus, postea angustior: limbus bilabiatus, labium superius bipartitum laciniis linearibus acutis; labium inferius brevius, trifidum laciniis brevibus, omnibus apice subconnexis, deorsum reflexis.

Staminum filamenta coccinea in cylindrum coalita, basi dumtaxat libera et ampliata, corolla breviora.

Antheræ quinque, connexæ, biloculares, extus decemsulcatae quarum superior longior arcuata et imberbis; inferiores barbatae pilis brevibus rufis.

Germen ovatum: stylus staminum longitudine, post fecundationem nonnihil exertus: stigma subbilobum.

Capsula bilocularis.

Habitat in regni Chilensis fundo Cucha-cucha, floretque Ianuario; Ibiq̄ Aristotelia macqui, Cyperus articulatus, Scirpus acicularis, tristachyos, hybridus et maritimus.

*Explic.* tab. a Genitalia. b Corolla expansa. c Antheræ auctæ.

### LOBELIA CAMPANULATA. Tab. 517.

592. LOBELIA foliis ovatis, petiolatis, superne glabris rugosis, subtus tomentosus albis; corollis campanulatis pulverulentis. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 107.*

Lobelia. *Née herbar.*

Caulis fruticosus, octo pedes altus, ramosus, tomentosus uti tota planta, foliorum pagina superiore excepta.



Folia sparsa, ovata, integerrima, petiolis brevibus sustentata, reticulato-venosa, rugosa, glabra, margine nonnihil revoluta, subtus tomento densissimo alba.  
 Flores axillares, solitarii, pedunculis folio triplo longioribus.  
 Calix tomentosus, semiquinquepartitus laciniis lanceolatis.  
 Corolla intus rubens, extus pulvere tomentoso obscure albicans, monopetala campanulata, apice quinquepartita, laciniis æqualibus, ovato-acutis.  
 Reliqua ut in præcedente.  
 Habitat ad viam quæ a Guaranda ducit in Chimborazo, ibique Eryngium fætidum. *h* Floret Octobri. Vidi siccam absque fructu.

*Explic.* tab. *a* Corolla expansa. *b* Genitalia et Calix. *c* Folium inferius.

*Obs.* Hæc species differt a *Lobelia columnæ* Smith Ic. tab. 22 corollæ forma, atque pedunculis folio multoties longioribus: tomentum huic est densum et candidum quale Linnaeus *Lobeliæ columnæ* tribuit, quod nihilominus rufescens video in ramis siccis quos e regno Quitensi adspertavit Ludovicus Née, quique ad memoratam *Lobeliam columnæ* pertinent.

### LOBELIA PERSICIFOLIA. Tab. 518.

593. *LOBELIA* caule herbaceo: foliis ovato-lanceolatis, serrulatis, subsessilibus: pedunculis axillaribus solitariis, folio longioribus.

*Lobelia. Née herb.*

Caulis striatus, tripedalis, ramosus, herbaceus.

Folia sparsa, subsessilia, ovato-lanceolata, serrulata, serraturis setaceis, glabra, quadruplo longiora quam lata.

Flores axillares, solitarii: pedunculi foliis longiores.

Calix hemisphæricus, decemstriatus, dentibus quinque brevibus acutis.

Corolla rubra, monopetala: tubus cylindricus fere pollicaris longitudinaliter paulo supra basim fissus, fissura excurrente usque ad limbum, labiumque superius in duas lacinias lineares dividente: labium inferius amplius, reflexum, apice trifidum laciniis acutis.

Staminum filamenta in tubum coalita, basi dumtaxat libera, ibique corollæ tubo adnata.

Capsula calice triplo longior, ovato-acuta, bilocularis, bivalvis, valvulis apice bifidis.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in Nova-Hispania prope Acámbaro, ubi frequens *Martinia* annua et *Bartramia* ovata; frequentiores vero *Helianthus giganteus*, multiflorus, tuberosus et angustifolius, qui agrorum margines occupant tanta copia, ut viatoribus segetes in illis crescentes occultent. Floret Octobri. Vidi siccas in dicto herb.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Genitalia. *c* Capsula. *d* Huius sectio.

### LOBELIA BARBATA. Tab. 519.

394. *LOBELIA* foliis lanceolatis, denticulatis, petiolis nervisque tomentoso-ferrugineis: tubo integro: staminibus barbatis.

*Lobelia. Née herbarium.*

Caulis tres, quattuorve pedes altus, ramosus, ramis tomento ferrugineo tectis, quod observatur in petiolis et nervis foliorum.

Folia sparsa, lanceolata, denticulata, subtomentosa: petioli foliis quadruplo breviores.

Flores axillares, solitarii: pedunculi foliis subæquales.

Calix tomentosus, hemisphæricus, laciniis quinque brevibus.

Corolla coccinea, externe villosa: tubus integerrimus, sensim versus faucem amplior, pollicem et amplius longus: limbus brevis, quinquepartitus, bilabiatus: labium inferius amplius reflexum, trifidum, laciniis acutis: labium superius paulo longius laciniis linearibus cernuis.



Staminum filamenta in cylindrum connexa, corolla longiora, barbata.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in regno Peruviano prope Guamantanga et Obragillo, ibique *Krameria triandra*, *Alonsoa linearis* et *procumbens*, *Heliotropium indicum* et *Peruvianum*, *Tillandsia aloefolia*, *Cestrum nocturnum*. Florent Julio. Vidi siccas in eodem herbario.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Corolla expansa.

### LOBELIA HIRTA. Tab. 520.

595. *LOBELIA* caule fruticoso: foliis lanceolatis, denticulatis hirtis: pedunculis axillaribus, solitariis, flore longioribus. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 108.*

*Lobelia. Née herb.*

Caulis striatus, fruticosus, fere orgyalis: rami consimiles tomentoso-hirti.

Folia sparsa, lanceolata, denticulata, utraque pagina pilis albis rigidis tecta, semipedem et amplius longa, sesquipollicem lata, utraque extremitate acuta, sustentata petiolis duas tresve lineas longis.

Flores axillares solitarii in ramulorum summitatibus: pedunculi hirti, erecti, bipollicares et amplius.

Calix hirtus, globosus, cuius quinque laciniaë germine longiores.

Corolla coccinea, externe villosa, omnino similis magnitudine et forma corollæ præcedentis.

Stamina imberbia. Reliqua ut in præcedente.

Habitat in umbrosis memorati montis Sancti Antonii regni Quitensis, ibique *Cinchona officinalis*, *Embothrium emarginatum*, *Alstroemeria ovata*, *Pteris arborea*, et mutilata, *Lycopodium linifolium*, *Polypodii* species plures, quarum quinque foliis lanceolatis integerrimis *Calahuala* vulgo, *Arundo bambos*, illaque etiam species de qua Cl. Georgius Juan commemorationem fecit, cuius internodi fistulosi aquam continent limpidam et saluberrimam, qua sitim extinguunt viatores. Florent Octobri. Vidi siccas in dicto herbario.

### LOBELIA DECURRENS. Tab. 521.

596. *LOBELIA* foliis sublanceolatis, biserratis, decurrentibus, glabris.

*Lobelia. Née herbar.*

Caulis 3-5 pedes altus, glaber.

Folia sparsa, adproximata, glabra, sublanceolata, biserrata, adeo ut inter duos dentes maiores duo alii minimi existant; uninervia nervo ramoso, infra quem limbi per caulem decurrunt.

Flores in spicam terminalem longissimam foliosam dispositi, ad folium sensim versus apicem minus axillares, solitarii; pedunculis folio brevioribus.

Calix hemisphæricus villosus: laciniaë lanceolatae dentatae, germine duplo longiores.

Corolla purpureo-violacea, fere sesquipollicaris, monopetala: tubus fere usque ad basim fissus inter lacinias labii superioris quæ lineares sunt, et versus apicem villosæ: labium inferius amplius et paulo brevius, tripartitum, laciniis acutis villosis: tubi basis interior, ubi filamenta ipsi adhærent, item villosa.

Filamenta corolla paulo breviora: antheræ in cylindrum connexæ, apice barbatae.

Germen ovatum: stylus filiformis: stigma post fecundationem exertum, bilobum.

Capsula semiinfera, ovato-acuta, sulco longitudinali utrimque exarata, bilocularis, bivalvis: receptaculum et semina ut in præcedentibus.

Habitat in regno Chilensi ad ripas fluminis vulgo *Claro*, et in eius viciniis *Nicotiana paniculata* et glutinosa, *Chenopodium ambrosioides*, *Cestrum nocturnum*, et *Hui-*



li-Patagua vulgo, genus examinandum. Florent Febuario. Vidi sic. in memorato herbario.

*Explic. tab. a* Calix et genitalia. *b* Corolla. *c* Calix fructifer. *d* Capsulæ sectio.

### LOBELIA DENTATA. *Tab. 522.*

597. LOBELIA caule herbaceo: foliis lanceolatis profunde dentatis: corollæ labio superiore brevi.

*Lobelia. Née herbar.*

Radix fusiformis, brevis, fibrosa, ex qua caulis adsurgit teres glaber, pedem et amplius altus.

Folia alterna, glabra, lanceolata, dentibus ut plurimum utrimque duobus profundis, acutis.

Flores in superiore caulis parte, distantes, solitarii, pedunculis semipollicaribus, basi bibracteatis.

Calix ovatus: lacinia subulatæ germine breviores.

Corolla cærulea, faucē excepta cuius color lacteus; tubus fere usque ad basim fissus ut in præcedente: limbus bilabiatus: labium superius breve, laciniis linearibus acutis, vix faucem superantibus; labium inferius magnum profunde tripartitum, laciniis linearibus, media productiore.

Semina fusco-rubentia, subrotundo-compressa, altera parte acuta.

Reliqua ut in præcedente; omnia minora.

Habitat in portu Jackson Novæ-Hollandiæ, ibique *Fabricia myrtifolia*, *Pimelea involucrata*, *Mimosa heterophylla* et *verticillata*, *Drosera ramosa*, *Acrostichum pectinatum*. Florent Aprili. Vidi in dicto herbario.

*Explic. tab. a* Flos labio inferiore erecto. *b* Stamina. *c* Calix fructifer. *d* Capsulæ sectio. *e* Semen auctum.

### LOBELIA CORDIGERA. *Tab. 523.*

598. LOBELIA caule herbaceo: foliis ovato-acutis semiamplexicaulibus villosis: pedunculis solitariis axillaribus.

*Lobelia. Née herb.*

Caulis herbaceus, sulcatus, villosus, tripedalis.

Folia alterna, semiamplexicaulia, mollia, villosa, ovato-acuta, obscure denticulata.

Flores axillares, solitarii: pedunculi villosi, folio breviores.

Calicis lacinia lanceolata villosa, germine duplo longiores.

Corolla pulchre coccinea, sesquipollicem longa, monopetala: tubus fere usque ad basim fissus inter lacinias labii superioris, quæ lineares sunt, et staminibus longiores: labium inferius amplum profunde tripartitum, laciniis ovato-acutis.

Reliqua omnino ut in *Lobelia decurrente* num. 596.

Habitat in regni Chilensis fundis Longavi et Cucha-cucha, hicque *Fabiana imbricata*, *Triptilion spinosum*, et *Chatanthera ciliata* Floræ Per. et Chil. Florent Ianuario. Vidi siccas in dicto herbario.

Ex dictis constat Lobeliam a ceteris generibus distingui 1.º Calice quinquefido parte ipsius integra cum pericarpio connata; 2.º Corolla monopetala quinquepartita cuius tubus calice longior; 3.º Antheris connexis; 4.º Capsula semisupera biloculari, bivalvi; 5.º Receptaculo conico, hinc convexo, inde medio dissepimenti utrimque adnato, in quo sunt semina numerosa minuta, ovata, inferne acuta.

Præter hæc, omnibus mihi notis speciebus communia, sequentia notavi.

1.º Pars calicis indivisa sulcis 7-10 parum profundis constat.



2.<sup>o</sup> Antheræ quinque connexæ sunt in tubum, externe fere semper decemsulcatum; illarum superior incurva apparet et paulo longior, omnesque interne biloculares apiceque plus minusve barbatae, ne pollen proculdubio defluat fecundationis tempore.

3.<sup>o</sup> Filamenta ab antheris versus germen connexa sunt in cylindrum, inferne quinquepartitum, laciniis ibi amplioribus, corollæ tubo adherentibus.

4.<sup>o</sup> Corolla monopetala: tubus sæpe integer, sæpius tamen profunde fissus: limbus fere semper bilabiatus, labii superioris laciniis angustioribus.

5.<sup>o</sup> Stigma fecundationis tempore in antherarum tubo inclusum; postea exertum, bilobum.

6.<sup>o</sup> Capsula ovato-acuta, utrimque sulco unico longitudinali inscripta, cuius valvulae apice sunt sæpe bifidae.

## SOLANUM BETACEUM. *Tab.* 524.

599. SOLANUM caule fruticoso inermi: foliis ovato-acutis, crassis, limbo crispo: florum racemis pendulis. *Anales de hist. nat. vol. I. pag. 44.*

Caulis (in Regio horto Matritensi) vix ulnaris, teres, crassus, glaber, superne ramosus, ramis succulentis, qui tempore indurantur.

Folia alterna, ovato-acuta, limbo crispa, crassiuscula, semipedem et amplius longa, basi bilobata, loborum alio alteri superimposito: petioli teretes crassi, succulenti quemadmodum et nervus longitudinalis.

Flores laterifolii, racemosi, racemis pendulis subvillosis ut plurimum bifidis: pedunculi partiales teretes, tres quattuorve lineas longi.

Calix monophyllus, campanulatus, semiquinquepartitus, laciniis ovatis apice maculatis.

Corolla alba; ante expansionem dilute rosea: tubus brevissimus: laciniæ quinque, ovato-oblongæ, apice revolutæ.

Staminum filamenta crassa, brevia, æqualia, fundo corollæ inserta: antheræ didymæ, biperforatæ, in tubum adproximatæ.

Germen ovato-acutum: stylus antheris paulo altior: stigma obtusum.

Bacca ovata, columbæ ovi magnitudine, glabra, luteo-viridis, zonis longitudinalibus fuscis notata, tandem rubens, bilocularis.

Receptaculum carnosum, utrimque convexum. Semina subrotunda, compressa.

Habitat..... *h.* Floret et fructificat in Regio horto Matritensi Julio et Augusto.

*Explic. tab. a* Corolla expansa cum antheris. *b* Anthera aucta. *c* Semen. *d* Baccae sectio. *e* Bacca.

## CONDALIA. <sup>(a)</sup>

### CHARACTER GENERICUS.

Calix liber, persistens, urceolatus, semiquinquepartitus, laciniis lanceolatis.

Corolla nulla.

Staminum filamenta quinque, calicis laciniis alterna, inter calicem et discum calicinum inserta: antheræ ovatae, basi emarginatae.

Germen ovatum, disco glanduloso calicino cinctum: stylus subulatus: stigma obscure emarginatum.

Drupa ovata, nucem unicam continens unilocularem duram. Semen ovatum.

(a) Floræ Peruvianæ auctores genus dicarunt in Prodomo Evulgato Matriti anno 1794 D. Antonio Condál, Petri Loefflingii itineris in Orinocum socio, quod postea recognitum Verum esse COCCOCIPSILUM

cognoverunt pag. 28. Systematis vegetabilium. Ne igitur dignissimum nomen expunctum maneat e plantarum catalogo hoc novum genus Condalio nuncupamus.



*Obs.* Genus e Rhamnorum familia Licania Aubletii affine, quod Hedycreæ nomine recedit Schreber. Frutex ramis numerosis ad angulum fere rectum divaricatis, spinis terminalibus et axillaribus.

### CONDALIA MICROPHYLLA. Tab. 525.

600. CONDALIA spinis terminalibus et axillaribus: foliis ovatis subsessilibus. *Anales de hist. natur. vol. 1. pag. 40.*

Caulis fruticosus, teres, tripedalis, ramosissimus, ramis sæpe dependentibus, qui iterum ramosi sunt, ramulis ad axem fere perpendicularibus, terminatis spina acutissima, dura rubra.

Folia minuta, ovata cum acumine, subsessilia, glabra, solitaria in ramulis teneris, postea tamen apparent ternata, quia ex axilla duo alia prodeunt priori similia: spinæ axillares subulatæ duriusculæ, folio paulo longiores, rubentes.

Flores axillares, fasciculati, pedicellis propriis.

Calicis lacinia interne dilute luteæ: discus calicinus dilutior, convexus.

Filamenta calice breviora: antheræ minutæ, luteæ.

Germen disco cinctum: stylus staminibus paulo brevior.

Fructus ovatus, glaber, drupaceus, carne pauperrimus.

Nux drupæ consimilis, cuius putamen-subosseum evalve: semen ovatum.

Habitat in regni Chilensis fundo Longaví, et iuxta viam quæ ab urbe Sancti Iacobi ducit ad Portillo in tractu præsertim *Manzano* nuncupato. Floruit et fructificavit mense Iulio et Augusto anni 1799. in R. h. Matritensi e seminibus adsportatis a D. Ludovico Née  $\mathcal{Z}$ .

*Explic. tab. a* Flos magnitudine naturali. *b* Idem auctus, postice visus. *c* Idem antice. *d* Stamen auctum. *e* Germen. *f* Drupa. *g* Eadem usque ad medium denudata carne. *h* Nux. *i* Eadem putamine secto ut appareat semen. *k* Folium auctum.

### RAUWOLFIA SPINOSA. Tab. 526.

601. RAUWOLFIA caule fruticoso tetragono; ramis spinisque oppositis: foliis lanceolato-ovatis, obtusis. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 43.*

Caulis fruticosus, tetragonus, tripedalis in Regio horto Matritensi: rami consimiles oppositi quemadmodum et spinæ.

Folia opposita, petiolata, integerrima, lanceolato-ovata et obtusa, subrugosa, postice villosa, præsertim tenera.

Flores racemosi, racemis brevibus terminalibus et axillaribus: pedunculi partiales breves.

Calix monophyllus, turbinatus, obscure quinqueidentatus, liber, persistens, notatus nervis quinque viridibus.

Corolla luteo-alba, monopetala, infundibuliformis: tubus calice paulo longior; limbus patens quinquepartitus villosus: lacinia subrotundæ.

Antheræ quinque, ovata, basi emarginata, intra faucem tubi subsessiles, nonnihil exerta.

Germen subglobosum: stylus brevis: stigma incrassatum quasi bilamellatum, lamellis adpressis.

Drupa globosa, initio viridis, tandem nigra, piperis grano paulo maior, unilocularis. Noces duæ adpressæ, apice obtusæ, externe convexæ, interne qua se tangunt plano-excavata, biloculares, disperma. Semina alba, ovato-oblonga.

Habitat prope Guanuco in regno Peruviano. Vidi vivam in memorato Regio horto, floridam Iunio et Iulio, fructiferam Augusto  $\mathcal{Z}$ .

*Explic. tab. a* Flos valde auctus. *b* Corolla expansa, et genitalia. *c* Germen. *d* Anthera.



*e* Drupa. *f* Nuces carne denudatæ. *g* Nucis sectio transversalis. *g* Nux aucta cui putamen sectum usque ad mediam altitudinem ut semina conspiciantur.

PHLOX LINEARIS. *Tab.* 527.

602. PHLOX foliis alternis linearibus: floribus terminalibus confertis.

Caulis herbaceus teres, pedalis et ultra, nunc simplex, nunc ramosus, ramis alternis, subvillosis.

Folia alterna, sessilia, lineari-acuta, integerrima, mollia, itemque subvillosa.

Flores terminales conferti, et subcapitati, sessiles.

Calix turbinatus, villosus, persistens, semiquinque-partitus laciniis lanceolato-acutis, venulis longitudinalibus.

Corolla dilute rosea ad album accedens in sicco, infundibuliformis: tubus longus, superne ampliatus: limbus quinquepartitus, patens, laciniis ovatis.

Staminum filamenta quinque, inæqualia, imo tubo inserta et eidem adnata, superne libera, quorum unum brevius, duo altiora, reliqua paulo istis breviora, omniaque intra tubum: antheræ ovatæ, albidæ.

Germen ovato-triquetrum: stylus simplex, filamentis longioribus brevius: stigmata tria.

Capsula intra calicem, ovato-trigona, umbilicata, trilocularis, trisperma, trivalvis, valvis medio intus septiferis seu costa prominente instructis: receptaculum centrale trigonum, valvularum septis angulatim applicitum.

Semina in loculentis solitaria, ferrugineo-fusca, elliptica, plano-convexa, in parte plana stria notata.

Habitat in urbis Chilensis Talcahuano viciniis, ibique Eryngium aquaticum, Nierembergia repens, Schizanthus pinnatus, et Alonsoa incisifolia Fl. Per. Hibiscus hastatus, Mimulus luteus, Fuchsia coccinea, Scirpus miliaceus. Florent Ianuario. Vidi siccas in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos integer auctus et expansus. *b* Calix fructifer. *c* Capsula. *d* Eadem aucta transversim secta. *e* Valvulæ expansæ in quarum centro receptaculi secti pars. *f* Semen. *g* Idem auctum. *h* Huius sectio.

PHLOX PINNATA. *Tab.* 528. *fig.* 1.

603. PHLOX foliis alternis pinnatis, pinnulis linearibus angustissimis: floribus axillaribus capitatis.

Caulis suffruticosus teres, prope terram ramosus, ramis virgatis pedem longis.

Folia alterna, pinnata cum impari, laciniis linearibus angustissimis terminali longiori, quatuor aut sex reliquis per paria oppositis.

Flores axillares capitati: pedunculus communis duas lineas longus, subquinqueflorus, floribus sessilibus bracteolis distinctis.

Calix ut in præcedente, laciniis acutis.

Corolla luteo-albicans (in sicco) præcedenti similis, et paulo minor.

Reliqua omnino ut in præcedente.

Habitat in Montevideo viciniis, ibique Margaricarpos setosus; Elymus caput-medusæ; Andropogon bicorne; Hypericum connatum; Pavonia hastata; Sida prostrata, flavescens et terminalis. Florent Septembri. Vidi siccas in dicto herbario. Phlox hæc pinnata crescit etiam passim in Nova-Hispania prope Real del Monte.

*Explic.* tab. *a* Calix sectus et germen. *b* Capsulæ sectio. *c* Semen. Omnia aucta.

*Obs.* Descriptæ species a Linnæanis differunt foliis alternis.



## HUANACA.

## CHARACTER GENERICUS.

Calix prærius adharrens, persistens: denticuli quinque vix conspicui.  
 Corollæ petala quinque, lanceolata, integra, patentia.  
 Staminum filamenta quinque petalis paulo breviora: antheræ ovatæ.  
 Germen ovatum: styli duo divaricati in umbella centrali, in lateralibus nulli.  
 Fructus inferus, ovato-acutus, bipartibilis per diametrum ampliorem: semina duo interne plana unisulcata; externe convexa, glabra, lineis tribus parum elevatis, dorso compressiuscula.

„Involucrum universale diphyllum, foliolis oppositis, profunde trifidis umbella centrali longioribus: partiale polyphyllum brevius, foliolis acutis reflexis basi amplioribus.”

*Obs.* Umbellatarum familia iterum ad incudem revocanda est, cuius generum characteres non ab involucris, sed a flore et præsertim a fructu petendi sunt, Crantzii aut Cussonii methodo. Interea tamen, dum experti botanici utile atque desideratum opus perficiunt, præcedentem plantulam novo nomine descripsi, quia eius semina ovato-acuta, dorso compressa et tristriata novum genus constituere videntur. Planta hæc si involucrorum formam excipias ad Sison Linnæi accedit, præsertim quia huius auctoris *Sison ammi* petalis gaudet ovato-acutis patentissimis teste Iacquino pag. 95. vol. 2. Horti Vindobonensis. Haud longe distat etiam a Crantzii genere *SESELI involucro utroque fere polyphyllo*.

HUANACA ACAULIS. *Tab. 528. fig. 2.*

604. HUANACA petiolis elongatis pentaphyllis, foliolis setaceis quadripartitis.

E radice crassa pedunculi umbelliferi prodeunt et petioli: isti sunt rigidi tenues pollicem aut sesquipollicem longi, basi ampliati limbo ciliati, et imbricati, apice terminati foliolis quinque inferne setiformibus, quæ postea dividuntur in quattuor lacinias capillares, quarum exteriores breviores.

Pedunculi umbelliferi sunt foliis longiores, teretes, filiformes, terminati umbellulis tribus quarum una centralis fertilis, et duæ laterales longius pedunculatæ, steriles, masculini ut videtur sexus.

Involucri universalis foliola sunt solitaria ad basim pedunculorum umbellarum sterilium, suntque semipollicem longa basi linearia, postea in tres lacinias partita, quarum interior longior. Involucra partialia sunt breviora radiis, qui capillares sunt, æquales, duas lineas longi et numero fere 20.

Petala sunt luteo-rubra, minuta.

Fructus minutus, in quo styli prominentes persistunt.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado*. Floret Decembri. Vidi siccam cum præcedentibus.

*Explic. tab. d* Flos multoties auctus. *e* Fructus auctus e commissuræ latere conspectus.

*f* Idem superficie dorsali visus. *g* Idem dehiscens. *h* Seminis sectio ubi notantur tres lineæ dorsales, et altera interior.

*Obs.* Umbellarum lateralium flores quamplures examinavi, in quibus stamina vidi; stylos numquam detexi. Numquid vere masculi erunt, et planta monoica?



## HYDROLEA TRIGYNA. Swartz. Tab. 529. fig. 1.

605. HYDROLEA foliis alternis, lanceolatis, subsessilibus: spinis et floribus axillaribus solitariis.

Hydrolea spinosa foliis oblongis, hirsutis, floribus trigynis axillaribus. Swartz prodr. pag. 54.

Hydrolea spinosa. Linn. sp. pl. vol. 1. pag. 633. Aublet pag. 281. tab. 110.

Caulis teres, sesquipedalis et amplius, villosus: rami consimiles pedales, iterum ramosi, ramulis brevibus floriferis.

Folia alternatim sparsa, lanceolata, integerrima, subsessilia, villosa, quorum maiora pollicem et amplius longa, tres lineas lata; superiora sensim breviora. Spinæ acutissimæ, axillares, solitariæ, folio breviores.

Flores axillares, solitarii, pedunculis longiores.

Calix liber, villosus, profunde partitus in quinque lacinias lanceolatas, acutas, persistentes.

Corolla calice paulo longior dilute cærulea, monopetala, campanulata, limbo quinquepartito, lacinis venosis rotundatis.

Staminum filamenta setacea, corollæ basi inserta, eaque paulo breviora: antheræ sagittatæ, incumbentes, luteæ.

Germen liberum, ovatum, styli tres (aliquando duo, et nonnumquam quattuor) setacei, longitudine staminum: stigmata globosa.

Capsula ovata, subtrigona, glabra, fragilis, trilocularis, trivalvis, valvis apice dehiscentibus. Dissepimenta valvis parallela.

Receptacula tria, carnosa, loculamenti cavitati fere æqualia, subcoalita. Semina numerosissima, valde minuta, subrotunda, compressa, receptaculi dorso affixa.

Habitat in Acapulco viciniis, ibique Hippocratea volubilis, Hibiscus tiliaceus, Malpighia glabra et armeniaca, Plumeria alba et rubra, Bombax pentandra, Cerbera thevetia, Guilandina bonduc, Scirpus caribæus, Passiflora peltata, Melochia tomentosa, Cerdana &c. Florent Aprili. Vidi siccas in dicto herbario.

Explic. tab. a Corolla expansa et germen. b Calix expansus. c Corolla revoluta ut stamina conspiciantur. d Stamen auctum. e Capsula. f Eadem secto cortice ut appareant receptacula. g Eadem secta cum dissepimentis. h Receptaculum auctum. i Semen multoties auctum.

Obs. In unum coniunxi Hydroleam spinosam et trigynam quia stylosum numerus in eadem planta variat a 2 ad 4. In reliquis omnino conveniunt.

## VIOLA PHILIPPICA. Tab. 529. fig. 2.

606. VIOLA ACAULIS foliis ovato-oblongis, obtusis, crenulatis, petiolo longioribus: scapis unifloris bibracteatis.

Viola. Née herbar.

Radix fusiformis barbata: caulis nullus.

Folia numerosa, petiolis longiora, ovato-oblonga, obtusa, crenulata, subvillosa præsertim inferiore pagina, sesquipollicem longa, quattuor lineas lata: stipulæ subulatæ petiolo adnatæ.

Scapi plures, foliis longiores, tenues, uniflori, prope medium bibracteati bracteis lanceolatis.

Calix pentaphyllus, foliolis ovato-lanceolatis persistentibus, quorum duo fulciunt petalum longius, duo par petalorum oppositorum huic proximorum, et quintum duo reliqua petala.

Corolla pentapetala irregularis violaceo-rubra: petala ovata, apice obtusa, versus basim an-



gusta, quorum unum ceteris longius, basi corniculatum, corniculo obtuso calicis foliis longiore.

Staminum filamenta quinque minima: antheræ subconnexæ, ovato-compressæ, membranis ad apicem auctæ.

Germen liberum, oblongiusculum: stylus exertus, basi setaceus, postea infundibuliformis, deflexus, ore sistens apiculum brevem.

Capsula oblonga, trigona, unilocularis, trivalvis, valvis medio seminiferis. Semina fusco-rubentia subglobosa.

Habitat in Insula Luzon tertio a Manila lapide, ibique Oxalis sensitiva; Morinda axillaris; Iusticia nasuta; Mogorium sambac; Scirpus dipsaceus, barbatus, miliaceus et dichotomus. Vidi siccas in eodem herbario.

*Explic.* tab. *k* Antheræ expansæ et auctæ. *l* Germen auctum. *m* Capsula dehiscens. *n* Semen.

### VIOLA MACULATA. Tab. 530.

607. VIOLA CAULESCENS foliis ovatis crenatis, subtus maculatis: pedunculis axillaribus solitariis: corollis luteis.

*Viola. Née herbar. cum Icone.*

Caulis semipedalis fusco-rubens teres, a basi foliosus.

Folia ovata cum acumine, crenata, superne nitida subtus maculata, maculis innumeris, minimis fuscis, quæ facile conspiciuntur si folia contra lucem intueantur: petioli folio longiores et prope ipsum ampliati. Stipulæ lanceolatæ pinnatifidæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculis folio longioribus, bibracteati, bracteis lanceolatis alternis.

Corolla lutea patens, cuius petalum maius obcordatum lineisque rubris variegatum.

Fructum non vidi. Reliqua omnino ut in præcedente attamen maiora.

Habitat in Portu Egmont in Maclovianis insulis. Floret Decembri, ibique Veronica decussata. Vidi siccas in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Genitalia aucta. *c* Anthera.

### VIOLA RUBELLA. Tab. 531. fig. 1.

608. VIOLA fruticosa foliis ovato-acutis, oblongis, punctatis, serratis: pedunculis solitariis axillaribus folio subæqualibus.

*Viola. Née herb. cum Icone.*

Caulis fruticosus pedalis et amplius.

Folia alterna, petiolis longiora, ovato-acuta, oblonga, serrata, punctis minutissimis fuscis utrimque variegata. Stipulæ lanceolatæ, serraturis setosis.

Pedunculi axillares, solitarii, bisquamati, sesquipollicares, uniflori.

Corolla calice duplo longior, rubella; petalum calcaratum paulo ceteris maius, ovatum dependens, calcare obtuso brevi: reliqua ascendentia angustiora.

Capsula ovata, trivalvis.

Reliqua omnino ut in præcedentibus.

Habitat in San Carlos de Chiloe, floretque Febuario, ibique Psydium pyriferum et Maytenus Molinæ.

*Explic.* tab. *a* Flos integer. *b* Stamina. *c* Germen. *d* Capsula dehiscens.



VIOLA STIPULARIS. *Tab. 531. fig. 2.*

609. VIOLA fruticosa foliis ovato-acutis, serratis, basi inæquali: pedunculis solitariis folio longioribus.

*Viola. Née herbar. cum Icone.*

Caulis fruticosus, pedalis, ramosissimus, ramis alternis flexuosis.

Folia alterna, petiolis triplo longiora, ovato-acuta, serrata, basi inæquali: stipulæ lanceolatæ serraturis capillaribus, internodis sæpe longiores.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, bisquamati, folio duplo longiores.

Corolla calice duplo longior, dilute cærulea, petalis et calcare ut in præcedente.

Stylus filiformis: stigma incrassatum. Reliqua ut in præcedente.

Habitat in Talcahuano viciniis, ibique Eupatorium melissæfolium, Solanum laurifolium, et racemosum, Scirpus palustris, Cyperus compressus, Budleia globosa, et Araucaria imbricata. Vidi siccas in memorato herbario.

*Obs.* Præter huiusmodi species, alias reperiit laudatus peregrinator inter quas Violam parvifloram Linn. suppl. cuius descriptioni addendum est. „Folia, inferiora præsertim, „opposita. Stipulæ lanceolatæ breves. Flores lacteo-albicantes, cuius quattuor petala superioriora vix calice maiora; quintum dependens calice duplo longius. Stigma infundibuliforme.” Hanc speciem invenit prope Montevideo; varietatem vero passim prope Guarandam in regno Quitensi, et in Chilense iuxta Talcahuano, et Concepcion. Huic sunt etiam folia opposita, inferiora præsertim, pedunculi vero folio longiores.

BONPLANDIA. <sup>(a)</sup>

## CHARACTER GENERICUS.

Calix liber, persistens, tubulosus, ore quinquedentato.

Corolla monopetala subbilabiata: tubus calice longior, inferne angustior: limbus quinquepartitus, laciniis emarginatis, quarum duæ superiores erectæ, longiores; reliquæ fere æquales, lateralibus patulis, infima dependente.

Staminum filamenta quinque, capillaria, declinata, corollæ æqualia, paulo infra faucem tubo inserta: antheræ rotundatæ compressæ.

Germen ovatum, obscure trigonum: stylus capillaris staminum longitudine: stigma trifidum.

Capsula ovato-trigona, trilocularis, trisperma, trivalvis, valvis medio intus septiferis. Receptaculum centrale, trigonum. Semina elliptica.

*Obs.* Si a fructibus dumtaxat desumenda essent genera, hoc nostrum ad Phlox reduceretur; attamen filamentorum insertio, situs, et ipsorum ad corollam ratio; tum etiam huius forma fere bilabiata, calixque ore quinquedentatus, novum genus videntur postulare.

BONPLANDIA GEMINIFLORA. *Tab. 532.*

610. BONPLANDIA caule herbaceo: foliis alternis, lanceolatis, serratis: floribus axillaribus geminis. *Anales de hist. natur. vol. 2. pag. 132.*

Caulis herbaceus, erectus, pedalis et amplius, teres, ramis alternis villosis.

Folia alterna, glabra, lanceolata utrimque acutissima, inferne in petiolum attenuata, serrata.

(a) Genus dicatum optimæ spei iuvi Amato Goujou Desfontaines Parisiis audivit, una cum Cl. Humboldtio profectus est, universam Americam exploraturus.



Flores axillares et terminales, gemini, pedicellis propriis.

Calix tubulosus, venosus, dentibus quinque brevibus.

Corolla fere pollicem longa, tenerima, violaceo-rubra: laciniæ sublineares inferne angustiores.

Filamenta rubella: antheræ lutescentes, minutæ.

Capsula piperis grano minor, in fundo calicis, glabra.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat propè diversorium vulgo *Venta de la Negra* in Nova-Hispania septem fere leucis a *Pueblo-nuevo*. ☉ Floret Novembri. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Corolla cum staminibus. *b* Calix cum germine. *c* Capsula. *d* Huius auctæ sectio. *e* Semen. *f* Filamentum.

#### IN HAKEAM ET BANKSIAM OBSERVATIONES.

Novæ-Hollandiæ solum feracissimum esse, eiusque stirpes Botanicorum studio dignas tum numero et formis, tum maxime nova ipsarum fructificatione, recentiorum scripta passim prædicant. Nilhominus si descriptorum hucusque numerus cum illo (exiguo quidem habita ad totius insulæ Floram ratione) comparetur, quem herbaria inde in Europam adportata complectuntur, divitiarum specimen dumtaxat dici debet, quo inspecto Botanicorum desideria crescant reliquas cognoscendi. Hunc ad finem Smithius opuscula edidit, ubi plurimorum generum characteres essentielles, et sexdecim specierum descriptiones dedit, nitidissimis ornatas tabulis. Idem propositum fuit Schraderio et Curtisio; idemque nobis in hoc opere. Et quoniam in omnibus illius insulæ plantis summa utilitas est, et plures, si erit otium, persequi cogitamus, ab illis quæ ad Protearum familiam pertinent ordiemur, et præsertim a Banksia.

Percrebuerat Iosephi Banksii fama ob præclara eiusdem in rem herbariam merita, quum Forsterius sua nova genera evulgabat anno 1776; ideoque alterum ex 71 suo dicavit nomini, tribus constans speciebus in Nova-Zeelandia lectis, quas examini proculdubio subiciendas ad Linnæum missit. Sero istæ Upsalim pervenerunt, nihilque ille de ipsis pronuntiavit; utpote qui infirma iam erat valetudine et morti proximus, quam Botanicis luctuosam obiit die 10 Ianuarii anni 1778, filio suo relinquens herbarium, libros, observationes et nomen. His adiumentis, non tamen sui partis acumine atque peritia *Supplementum plantarum* evulgavit anno 1781, ibique, errore ductus, Forsterii Banksias Passerinis consociavit. Ne vero dignissimum Banksii nomen e Botaniciæ fastis sustulisse videretur, illud reposuit, ut novum certe genus a ceteris distingueret, quattuor tunc constans speciebus in Nova-Hollandia lectis quas *serratam*, *integrifoliam*, *ericæfoliam* et *dentatam* nominavit. Linnæi filium errasse in determinandis Forsterii plantis, hasque novum verum genus constituere vidit postea oculatissimus Gärtner qui propterea eas dixit Pimeleas, a nomine in schedulis Solandri invento; Retinuit illud Banksiæ quo Linnæus descriptas a se plantas decoravit, idque fecit in scientiæ commodum et confussionis vitandæ causa; quæ proculdubio orta fuisset si Banksiæ nomen iterum reposuisset Forsterii plantis. Recognovit denuo in Banksii herbario quas huic Linnæus Banksias nuncupavit, et castigandum esse eius characterem genericum ex novo examine perspexit. Non enim est Banksiæ corolla tetrapetala, neque semen solitariam in capsulis et bipartibile: sed capsula disperma bilocularis, interiecto seminibus dissepimento bifido; et corolla monopetala. Confudit Linnæi filius semen cum dissepimento movili quia fortasse ad eius manus fructus pervenerunt informes aut vetustate corrugati, quos felicior Gärtner recentes atque perfectos videtur accepisse. Neque hos tantummodo, sed et alios congenères, ut ipse putavit, quosque anno 1788 descripsit quasi novas species, *piriformem*, *dactyloidem* et *musculiformem* nominans. Probamus equidem novis nominibus designari plantas quæ vere novæ sunt; minime vero in receptorum locum alia excogitata suffici, idque nulla causa ut ipse fecit, *conchiferam* et *spicatam* dicens illas, quas Linnæi filius *serratam* et *integrifoliam* nominaverat.



Prodiit postea anno 1790 Doct. White opus, et in eius additamento (quod mea sententia Smithius ordinavit) trium specierum descriptiones, *piriformis* scilicet, *serrata* et *gibbosa*, quibus alteram adiunxit idem Smithius in Novæ-Hollandiæ Specimine *spinulosam* nomine. Tandem anno 1797 eo usque cognitas recensuit Willdenow (a) *serratam* nempe *integrifoliam*, *dentatam*, *ericæfoliam* *piriformem*, *gibbosam* et *spinulosam*, octavam addens, *grandem* ab ipso nominatam, cuius flores non vidit.

Hæc est ergo pulcherrimi huius generis historia, in qua tempora notavimus, quibus auctores indicarunt species, quæ ulterius perpoliendæ sunt iconibus atque descriptionibus. Utrumque fecit Smithius de *spinulosa* tractans; cuius tamen fructum ignorans, neque representare in tabula ipsum potuit, neque numeris omnibus absolutum describere. Gärtner, qui totus erat in plantarum fructuum investigatione, parum de ipsarum absolutis descriptionibus curans, difficilem sæpe redidit quarumdæ cognitionem. De Banksia enim *piriformi*, et *dactyloide* tractans, quædam silentio pressit scitu digna; neque ex eius scriptis constat num corollæ lacinia sint ipsis apice libera aut in foveam adglutinata, qua stigma veluti in carcere contineatur fecundationis tempore; num earum germen pedunculatum sit et Embothrii germi conforme. Ad hæc, *fructum musculiformem* Rhumphii ad Banksiam referens, plus æquo sibi, suæque methodo videtur indulsisse. Et quamquam diffiteri nequeat eiusmodi methodum esse ut plurimum perspicuam, atque naturæ legibus consonam; tamen ex sola fructuum et seminum inspectione genera semper tuto determinari posse, ut ipse arbitratus est, non omnes illi dabunt. Etenim Rhumphii planta fructum dare potest qui capsula sit unilocularis et disperma, seminibus alatis, quin Banksia sit, ut in Hakea patet, cuius fructus est capsula lignosa bivalvis et unilocularis, feta seminibus duobus alatis. Quod equidem in hanc potissimum nos sententiam inducit ut Gärtnerii Banksiam *piriformem*, et *dactyloidem*, quemadmodum et White *gibbosam*, Hakeæ species existimemus. Si exemplaria a Ludovico Née ex Nova-Hollandia huc adsportata perfecta fuissent, dictas stirpes debitis generibus tute possemus attribuere: nihilominus in illorum accurata inspectione quædam vidimus, quæ ad Hakeam potius quam ad Banksiam pertinent. Et primo quidem in Hakeæ glabræ axillis gemmæ observantur solitariae, sessiles, ovatae, quæ squamulis constant concavis alternatim oppositis; quæ etiam existunt axillares et omnino conformes in Banksia *dactyloide*, et *gibbosa*; minime vero in veris Banksiis, illis scilicet quæ flores in amento proferunt, et fructum in strobilo. Deinde quando Hakeæ glabræ flores explicantur, tunc gemmæ intumescunt et tubulosam formam induunt ut corollis additum expeditum præbeant, tuncque earum squamulæ sensim divergunt et fecundato germine cadunt, cicatrices relinquentes in brevi pedunculo; quod etiam nullatenus observatur in veris Banksiis. Fatemur equidem numquam nos observasse modum, quo *dactyloides*, et *gibbosæ* gemmæ amplientur inflorescentiæ tempore: verumtamen in fructuum pedunculis cicatrices vidimus. His ergo momentis, et illo potissimum ab inflorescentia desumpto, quæ in Linnæi Banksiis toto cælo distat ab illa recentiarum Gärtnerii et White, Hakeæ nunc consociabimus memoratas species *gibbosam*, *dactyloidem* et *piriformem* quousque novis curis demonstrent Botanici, harum fructificationem esse omnino eandem cum illa Banksiæ a Linneo exposita et a Gärtnero castigata.

## HAKEA. (b) Schrader.

### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis ovatus polyphyllus, ex squamulis concavis imbricatis deciduis: partialis nullus.

Corolla tetrapetala, petalis linearibus, apice ampliatis, concavis.

(a) Caroli a Linné Species Plantarum. Bero-  
lini 1797.

(b) Generoso Lib. Bar. Christ. Ludovico Hake  
hoc genus dicavit Schrader.



Staminum filamenta quattuor brevissima, petalorum foveis inserta et immersa: antheræ ovatæ, basi emarginatæ.

Germen pedicellatum, oblongum, stylo terminatum tereti, corolla longiore, apice curvo: stigma turbinatum, mucronatum. Ad germinis basim glandula.

Capsula lignosa, unilocularis, bivalvis, valvis usque ad basim dehiscentibus. Semina duo alata, qua sese mutuo tangunt plana; convexa vero qua capsulæ cavitati respondent.

*Obs.* Genus hoc ad Embothrium accedit germine pedicellato; ad Banksiam capsula lignosa bivalvi disperma. Videtur omnino idem cum Conchio Smithii; cuius sequentem dedit characterem essentialem anno 1798 in 4. vol. Trans. Soc. Linneana.

„Calix nullus (a). Petala quattuor staminifera. Stigma turbinatum, mucronatum. Capsula unilocularis, disperma. Semina alata.” Quia vero Schrader primus fuit in evulgando hoc genere, anno scilicet 1797, Conchium suppressimus et Hakeam retinemus secundum recepta Botanica principia.

### HAKEA PUGIONIFORMIS (b). Tab. 533.

611. HAKEA caule fruticoso: foliis alternis, teretibus, mucronatis: capsulis pugioniformibus. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 213.*

Hakea ramis cernuis, foliisque glabris. *Schrader Sert. Hannov. vol. 1. tab. 17.*

Caulis fruticosus, orgyalis et amplius, ramosus, cuius cortex fuscus et lignum albicans: rami alterni, teretes, patuli et aliquando dependentes.

Folia sempervirentia, alterna, sessilia, teretia, mucrone brevi rubro terminata.

Flores axillares: ex centro gemmæ ovatæ pedunculus exurgit brevis villosus, in tres plus minusve pedicellos unifloros partitus, qui umbellulam referunt.

Corollæ petala alba villosa, vix tres lineas longa.

Antheræ aurantiaco-flavæ. Glandula ad basim germinis flavescens.

Capsula pugioniformis, apice acutissima, inferne ovata, medio cristata, rugosa, pollicem longa, sesquilineam vix lata. Semina nigricantia, superficie convexa prominentiis exasperata; quorum alæ membranacæ, translucidæ, reticulatæ, nervo unico longitudinali inæqualiter superficiem dividente.

Habitat prope Jackson in Nova-Hollandia, ubi Aprili floret et fructificat. Vidi siccam in herbario Ludovici Née, quemadmodum et sequentes Hakeas, Banksias et Proteas.

*Explic. tab. A* Gemma et flores valde aucti, quorum alter corolla expoliatus ut appareat glandula circa germinis basim. *a* Flores mag. naturali. *b* Capsula dehiscens. *c* Seminis superficies convexa. *d* Eiusdem plana superficies.

### HAKEA GIBBOSA. Tab. 534.

612. HAKEA caule fruticoso: foliis sparsis, numerosis, teretibus: capsulis ovatis, gibbosis, rugosis. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 214.*

Banksia gibbosa *White pagina 225.*

; Hakea pubescens, ramis cernuis, foliisque pubescentibus, Schrader loco citato?

Caulis, rami, cortex et lignum ut in præcedente.

Folia sparsa, numerosa, teretia, mucrone brevi rubro terminata, villosa præsertim tenera, glauca, sesquipollicem longa, vix semilineam lata, in quorum axillis gemmæ sessiles, ovato-oblongæ.

Capsula subovata, apice angustior et obtusa, et paulo infra gibbosa, parvæ nucis magni-

(a) Nihil de gemmis Schrader neque Smithius, carunt.  
quia fortasse calicis nomine indignas eas esse iudi-

(b) Nomen specificum mutavi claritatis gratia.



tudine, cuius cortex rugosus et vetustate deciduus. Valvulae lignosae ad basim usque dehiscentes, quarum superficies interna glabra est et tricolor; fusco-rubens scilicet et Swieteniae ligno similis ubi semina earumque alae iacuerunt; obscurior deinde in centrali fascia seminibus contigua; et tandem albicans ab ista usque ad periferiam. Capsulae loculamentum valde excentricum est, surcis interruptis excavatum.

Semina nigricantia, basi acuta, hinc plana ubi sese tangunt, inde convexa et prominentiis exasperata: alae sunt ovatae, fere nigrae, a fabre venosae, octo aut decem lineas longae, tres latae, semina nedum terminantes sed cingentes usque ad basim uno dumtaxat latere.

Habitat inter tegularia et oppidum Jackson. Fructificat Aprili. Vidi floribus orbatam.

*Obs.* Maturi fructus, quamquam solitarii appareant, haud probant flores extitisse solitarios, quod speciei praecedentis exemplo confirmatur.

*Explic.* tab. a Capsula. b Valvula separata. c Semen. d Folium auctum.

### HAKEA DACTYLOIDES. Tab. 535.

613. HAKEA foliis alternis, lanceolato-ovatis cum acumine, integerrimis, rigidis, trinerviis: floribus axillaribus: capsulis globoso-ovatis. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 215.*

*Banksia dactyloides. Gærtner vol. 1. pag. 221. tab. 47. fig. 2.*

Caulis fruticosus, orgyalis et ultra, valde ramosus, ramis alternis: lignum albicans, zonis dilute rubris: cortex glaber virido-rubens.

Folia alterna, sparsa, lanceolato-ovata, superne ampliora et acumine brevi terminata, inferne angustiora, breviterque petiolata, quattuor pollices saepe longa, vix pollicem lata, coriacea, glabra ut plurimum trinervia. Gemmae axillares, sessiles, ovato-oblongae.

Capsulae frequenter binae in singulis axillis, quae praemagnitudine aggregatae in mediis ramis apparent, et sustentantur crassis et brevissimis pedunculis quorum bini in unum coeunt.

Illae sunt globoso-ovatae, pollicem longae, earumque exterior superficies aspera et inaequalis: dehiscent usque ad basim in duas valvulas lignosas, tuncque apparet loculamentum excentricum et semina plano-convexa, alata, ala terminali spadiceo-fusca, venulis minutissimis notata. Valvularum superficies interior glabra est et bicolor; fusco-rubra scilicet ubi semina et alae iacuerunt, in reliquo luteo-alba.

Habitat cum praecedente. Vidi siccam absque floribus.

*Explic.* tab. a Valvula. b Semen.

*Obs.* Calicem quadrifidum et inferum dedit Gærtner (a) Banksiae floribus, quem nunquam vidi. In fructibus immaturis notatur margo circularis prope pedunculi apicem, quae tandem evanescit.

### HAKEA PIRIFORMIS. Tab. 536.

614. HAKEA caule arboreo: foliis oppositis, lanceolatis: florum spicis axillaribus; verticillis adproximatis. *Anales de hist. natur. vol. 1. pag. 217.*

*Banksia piriformis. Gært. pag. 220. Tab. 47. fig. 1.*

*Banksia floribus solitariis: capsulis ovatis pubescentibus: foliis lanceolatis, integerrimis, glabris. White pag. 224.*

Arbor humilis quattuordecim fere pedes alta, ramis oppositis, et cortice fusco.

Folia opposita, lanceolata, acutissima, integerrima, superne viridia, subtus fusca, tres pollices longa, pollicem lata, uninervia, nervo ramoso. Petioli pollicares, compressi, basi ampliores, tumidi et fere amplexicaules.

Flores spicati, spicis axillaribus, oppositis, quarum verticilli adproximati: fere omnes abortum patiuntur si aliquos verticilli inferioris excipias.

(a) De fructibus et seminibus plantarum. Vol. 1. pag. 220.



Capsula inverse piriformis, tres pollices aliquando longa, sesquipollicem lata, tomentosa, tomento brevi denso ferrugineo cinerascete, lignosa, unilocularis, bivalvis; valvis altera parte usque ad pedunculum crassum brevem dehiscentibus, altera vero ultra mediam longitudinem.

Semina duo, hinc convexa, inde plana, ala terminata e cinnamomeo-rufescentia, nervo unico absque venulis.

Habitat in viciniis Botanici sinus ibique Arundo australis: fructum præbet Aprili. Vidi siccam absque floribus.

*Explic.* tab. *a* Capsula dehiscens. *b* Semen.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Foliis oppositis, floribusque spicatis recedit hæc species a præcedentibus; at multo magis a veris Banksiis amentorum et strobilorum defectu.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> White auctoritate credebantur huius plantæ flores solitarii, quod falsum esse demonstrant specimina a Ludovico Née huc inde adsportata, in quibus spicarum rachides persistunt fructibus teneris: in aliis vero, quorum fructus perfecti sunt, pedunculique mirum in modum incrassati periit rachis, quæ tenuissima fuit habita ad fructus magnitudinem ratione.

## BANKSIA. *Linnæi.*

### CHARACTER GENERICUS.

Calix: amentum commune undique squamis tectum. Squamæ stuposo-coriaceæ, transversaliter compressæ, ad receptaculum perpendiculares et circum istud duplici ordine dispositæ: unius ordinis minores sunt et obtusæ per paria adproximatæ; alterius maiores, acutæ, minoribus alternæ, flosculorum paria distinguentes.

Corolla monopetala, basi pilosa, profunde quadrifida; laciniis longis, linearibus, apice ampliatas et concavis, quæ diu in tubum coherent, diutius vero earum apices, sacculum efformantes quo stigma continetur fecundationis tempore.

Filamenta quattuor brevissima (*a*), cavitati laciniarum inserta: antheræ oblongæ biloculares, cavitatibus adpressæ.

Germen minutum villosum, receptaculo inter squamas affixum: Stylus filiformis, rigidus, corolla longior, superne incurvus: Stigma stylo crassius, pyramidaliter acutum.

Fructus: Strobilus inter squamas, continens capsulas lineas ovatas, plus minusve compressas, bivalves, biloculares, dispermas, interiecto seminibus dissepimento mobili. Dissepimentum est coriaceum, semibifidum, laminis per maturitatem reflexis, figura et magnitudine cavitatis loculamenti.

Semen in singulo loculamento unicum, obovatum hinc planum, inde convexum, terminatum ala ipso longiore.

*Obs.* In omnibus speciebus florum amenta solitaria sunt.

## BANKSIA SPINULOSA. *Smith. Tab. 537.*

615. BANKSIA caule arborescente: foliis sparsis, linearibus, truncato-trispinosis; versus apicem serrato-spinosis, subtus pubescentibus. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 219.*

*Banksia spinulosa. Smith Now-Holland. pag. 13. Tab. 4.*

Caulis arborescens, decem pedes altus, cuius cortex fuscus, et lignum solidum, dilute rubrum. Rami teretes, bifariam aut quadrifariam multoties partiti.

Folia sparsa, numerosa, breviter petiolata, linearia, apice truncato-trispinosa, spinula media longiore, superne nitida, subtus subtomentosa albicantia, limbis revolutis et versus

(a) Linnæi filius et Gärtner antheras dixerunt sessiles, quas filamentis sustentas vidi.



apicem dentato-spinosis, sesquipollicem aut tres pollices longa, sesquilineam lata. Florum amenta cylindrica quattuor pollices longa, stipata basi squamulis subulatis in formam involucri, in ramulorum bifurcationibus posita. Squamæ crassæ, ferrugineæ, tomentosæ.

Corolla lutescens villosa, pollicem longa, stipata basi pilis ferrugineis.

Stylus sesquipollicaris ruber. Reliqua ut in caractere generico.

Habitat inter Jackson et Paramatta, ibique Casuarina equisetifolia, Leptospermum stellatum, porophyllum et multiflorum. Floret Aprili. Vidi siccam floridam absque fructu. Nominatur vulgo ab incolis *Wattangre*.

*Explic.* tab. *a* Flos fecundationis tempore. *b* Idem laciniis divergentibus. *c* Lacinia aucta cum stamine. *d* Germen et stylus auctus.

### BANKSIA ERICÆFOLIA. *Linnæi. Tab. 538.*

616. BANKSIA foliis approximatis, acerosis, truncato-emarginatis glabris. *Linn. suppl. pag. 127. Anales de hist. natur. vol. 1. pag. 221.*

Frutex orgyalis ramis teretibus erectis, multoties trifidis.

Folia copiosa et veluti imbricata, ramos omnino tegentia, quattuor lineas longa, semilineam lata, superne viridia et nonnihil lucida, subtus cinerea et subvillosa, apice truncato-emarginata, limbis integerrimis revolutis, petiolisque brevissimis.

Florum amenta semipedem sæpe longa, sexcentis et amplius floribus ornata, binatim inter squamulas receptaculo affixis: squamulæ inferiores, aut si mavis involucrium, setosæ, tres lineas longæ.

Corollæ paulo breviores quam in præcedente, lutescentes et villosæ.

Germinis atque corollarum basis pili numerosi ferrugineo-rubri: stylus ruber et rigidus peracta fecundatione.

Strobilus ovato-oblongus, sesquipollicem crassus, quinque pollices longus, 40 fere capsulis constans, quia flores reliqui abortum passi sunt remanentibus eorum stylis circum strobilum varie contortis.

Capsulæ ligneæ, superne orbiculato-compressæ, inferne in rostrum conicum truncatum similiter compressum productæ, tomento brevi ferrugineo tectæ: dehiscunt apice, fissura earum diametro ampliori et horizonti parallela, in duas valvulas cochleariformes, interne glabras et nigras, inter quas iacet dissepimentum movile: semina solitaria in singulo loculamento, quorum alæ aveniæ sunt et apice ampliores.

Habitat passim in viciniis Botanici sinus, Jackson et Paramattæ, ibique Xanthorrhoea Smithii. Floridam et fructiferam vidi in laudato herbario.

Tabularum explicatio. Tab. 538 ramum sistit floridum. *a* Flos fecundationis tempore, cui subiecta est squamula. *b* Flos auctus laciniis divergentibus. *c* Folium auctum. Tab. 539 fructum sistit. *a* Capsula antice spectata. *b* Eadem longitudinali situ. *c* Huius sectio, cum dissepimenti et seminum sectione. *d* Semen.

### BANKSIA SERRATA. *Linnæi. Tab. 540.*

617. BANKSIA foliis linearibus in petiolum attenuatis, æqualiter serratis, apice truncatis cum mucrone. *Linn. suppl. pag. 126. White pag. 223. cum Icone. Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 222.*

*Banksia conchifera. Gærtner vol. 1. pag. 221. tab. 48. fig. 1.*

Huius arboris truncus crassus est et cortice aspero tectus, eiusque altitudo 20 pedum: rami plures tomentosi, præsertim teneri.

Folia sublinearia, sparsa, tres quattuorve pollices longa, semipollicem lata, serrata, versus



basim angustiora, apice truncata ubi nervus longitudinalis prominet in spinulæ formam, rigidula, superne glabra, subtus subtomentosa, tenera præsertim: petioli breves.

Florum amenta terminalia, quattuor pollices longa, duos et amplius lata innumeris ornata floribus.

Corolla lutea, villosa, pollicaris, ad basim usque fere partita in quattuor lacinias, quarum inferiores apices liberi.

Germen, stylus, stigma et stamina ut in præcedente.

Strobilus spherioideus, octo, aut decem constans capsulis, castaneæ magnitudine, stylisque innumeris varie tortis, et intertextis.

Capsulæ ovatæ, nonnihil compressæ, conice pedunculatæ, ligneæ, fulvo vellere pubescentes: dehiscunt apice gibbo, fissura earum diametro ampliori et horizonti parallela, in duas valvulas interne glabras et albicantes, inter quas iacet dissepimentum coriaceo-lig-næum, semibifidum, laminis elasticis per maturitatem reflexis.

Semina solitaria in quolibet loculamento, ovato-compressa, basi angusta et obtusa, apice alata, ala ipsis duplo longiore et ampliore.

Habitat prope Jackson. Floridam et fructiferam vidi in eodem herbario.

*Explic.* Tabularum. Tab. 540. *a* Flos fecundationis tempore. *b* Corolla aucta laciniis divergentibus. *c* Germen, stylus, stigma, omnia aucta. Tab. 539 fructum sistit *A* Valvula cum Semine. *B* Dissepimentum movile laminis reflexis.

*Obs.* Huius speciei capsulas variare magnitudine videtur, si Gærtneri et White icones, quas ipsi observarunt capsulas magnitudine naturali representant. Nostræ maiores sunt ceteris, White vero omnium minimæ.

### BANKSIA MICROSTACHYA. Tab. 541.

618. BANKSIA foliis lanceolato-linearibus, serrato-spinosis, apice truncatis, subtus tomentosis albis. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 224.*

Bankisia dentata, foliis oblongis, in petiolum attenuatis, curvis, flexuosis, dentatis; dentibus spinula terminatis; subtus albis? *Linnaei suppl. pag. 127.*

Caulis fruticosus, orgyalis, valde ramosus, cuius lignum solidum albido-fuscum, et cortex subruber, rimosus. Rami teretes multoties bi-tripartiti.

Folia sparsa, numerosa, breviter petiolata, lanceolato-lineararia, serrata, serraturis spinosis, apice truncata quemadmodum in præcedente, superne glabra et viridia, subtus tomento albo tecta, uninervia, duos fere pollices longa, duas lineas ampla.

Florum amenta ovata, glandis magnitudine in ramulorum bi-trifurcatione posita, quorum squamulæ tomentosæ; involucri vero subulatæ et longiores.

Corolla tomentosa luteo-crocea, tres lineas longa, ad basim fere partita in quattuor lacinias capillares.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat prope Jackson. Vidi floridam in herbario, absque fructu.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus fecundationis tempore. *b* Corollæ lacinia divergentes.

### BANKSIA OBLONGIFOLIA. Tab. 542.

619. BANKSIA caule arboreo; foliis oblongis, serratis, superne glabris, subtus tomentosis. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 225.*

Huius arboris truncus est biorgyalis; lignum compactum albido-rubrum, cortex cineris, et in ramis teneris tomentosus, ferrugineus; rami denique teretes trifariam multoties partiti.

Folia coriacea, oblonga, tres pollices longa, octo lineas ampla, serrata serraturis acutis,



uninervia nervo protuberante, et in apice prominulo, venosa, venulis parallelis, ad nervum fere perpendicularibus et versus serraturas excurrentibus, superne glabra, subtus tomentosa, tomento initio ferrugineo, vetustate fere albo: petioli breves teretes.

Florum amenta ovata, tres pollices longa, in ramulorum divisionibus posita, sexcentis fere floribus ornata, quorum squamulæ tomentosæ, involucriformes vero subulatæ triplo longiores.

Corollæ luteo-aureæ, villosæ, semipollicem et amplius longæ.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat haud longe a Jackson. Vidi siccam floridam absque fructu.

*Explic.* tab. *a* Flos fecundationis tempore. *b* Idem laciniis divergentibus. *c* Lacinia pars cum filamentis et anthera auctis.

### BANKSIA ROBUR. Tab. 543.

620. BANKSIA caule arboreo: foliis ovato-oblongis, serrato-spinosis, sparsis, subtus ferrugineo-tomentosis. *Anales de hist. natur. vol. 1. pag. 226.*

Arbor congeneribus excelsior, et quercui robori similis habitu et magnitudine, triginta pedes alta, eiusque truncus basi saltem sesquipedalis diametri; cuius lignum compactum est et subrubrum, cortex cinereus, rami teretes tomento ferrugineo tecti, præsertim teneri.

Folia sparsa ovato-oblonga, coriacea, profunde serrata, superne viridia et glabra, subtus tomentosa tomento dilute ferrugineo; sex-duodecim pollices longa, tres quattuorve ampla. Petioli interne plani, externe convexi, tres quattuorve lineas longi, crassi, excurrentes per folii longitudinem nervumque primarium efformantes, ex quo alii oriuntur fere paralleli, qui terminantur in singulis limbi dentibus, apice prominentes in spinulæ formam.

Florum amenta solitaria, in ramulorum divisionibus locata, tres pollices longa, sexcentis et amplius ornata floribus, fusco-luteis, villosis.

Styli rubri, peracta fecundatione recti, rigidi, quorum acervus corpus echinatum refferunt, dipsaci fullonum capitulis quodammodo simile.

Crescit abunde in Sinu-Botanico, et prope Jackson. Vidi floridam in herbario sine fructu.

*Explic.* tab. *a* Corolla peracta fecundatione. *b* Huius lacinia aucta.

### BANKSIA MARGINATA. Tab. 544.

621. BANKSIA caule fruticoso: foliis linearibus, truncatis, margine revoluto: capsulis compressis. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 227.*

Caulis fruticosus 4-5 pedes altus, cuius lignum cinereum venulis cinnamomeis variegatum, et cortex fuscus vetustate glaber, initio tomentosus ut patet in ramis teneris: isti congenerum more in duos tresve angustiores iterum iterumque dividuntur, et ex eorum centro florum spicæ aut amenta exsurgunt.

Folia numerosa nullo ordine sparsa, breviter petiolata, linearia, bipollicaria, duas lineas ampla, apice truncata ubi spinula brevis prominet e nervo longitudinali orta, superne viridia et glabra, subtus tomentosa, alba, limbo revoluto.

Amenta duorum pollicum longitudine, quorum squamæ tomentosæ, inferiores vero, involucri scilicet, subulatæ.

Corollæ villosæ quattuor aut quinque lineas longæ.

Strobilus conicus stylorum remanentium multitudine crinitus, plurimis capsulis onustus, quæ sunt compressæ, antice orbiculares, postice angustiores et tomento rufo tectæ: receptaculo affixæ sunt ita ut amplior earum superficies horizonti maneat parallela: dehis-



cunt apice in duas valvulas ligneas, tuncque apparet dissepimentum mobile et dua semina alata.

Habitat inter Jackson et Paramatta. Siccam vidi.

*Explic.* tab. *a* Flos peracta fecundatione. *b* Corollæ lacinia aucta. *c* Capsula. *d* Eadem dehiscens. *e* Huius sectio transversalis. *f* Sectio perpendicularis quæ valvulam alteram relinquit cum semine. *g* Dissepimentum.

### BANKSIA OLEÆFOLIA. *Tab.* 545.

622. BANKSIA caule arboreo: foliis verticillatis, sublanceolatis, integerrimis, subtus tomentosis, albis. *Anales de hist. natur. vol. 1. pag. 228.*

Caulis arboreus 12 pedes altus, cuius lignum et cortex ut in præcedente. Rami teretes, terni ut plurimum, multoties trifariam partiti, et in eorum trifurcatione florum spicæ solitariae, tripollicares, squamulis tomentosis, quarum inferiores, involucri videlicet, longiores et subulatae.

Folia quaterna, verticillatim posita, verticillis longiora, lanceolata, integerrima, superne glabra et viridia, subtus alba tomento brevissimo, uninervia nervo ramoso, ramulis fere parallelis. Petioli breves.

Corollæ luteæ, villosæ: stylus ruber. Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in Jackson viciniis, floretque Aprili. Vidi siccam absque frutu.

*Explic.* tab. *a* Flos fecundationis tempore. *b* Idem peracta fecundatione. *c* Corollæ lacinia aucta. *d* Stylus.

### BANKSIA INTEGRIFOLIA. *Linnaei. Tab.* 546.

623. BANKSIA foliis cuneiformibus, integerrimis, subtus tomentosis, albis. *Lin. suppl. pag. 127. Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 229.*

*Banksia spicata. Gærtner vol. 1. pag. 221. tab. 48.*

Arbor præcedenti adeo similis ut ab ipsa dumtaxat distinguatur foliorum forma, quæ in hac specie cuneata sunt, et apice nunc in semicirculum terminata, nunc truncata. Si ergo præcedentis speciei folia ampliora essent, et pollice ante eorum apices aut ad nervum perpendiculariter, aut obtuse secta; cum huius speciei foliis confunderentur. In utraque quaterna et verticillata sunt, verticillis longiora: in utraque etiam rami teretes, terni ut plurimum, in tres iterum iterumque divisi, et in ipsorum centro florum amenta solitaria eiusdem magnitudinis et coloris. Floridam vidi: quæ autem ad integram fructificationem pertinent ex Gærtneri laudato opere mutuabo.

„Flores et fructus ante maturitatem tomento niveo pubescentes, in amentum cylindricum  
 „ digesti. Capsula coriacea, superne orbiculata, turgide lenticularis, inferne in rostrum  
 „ conicum compressum producta, intus nigra, bilocularis, apice dehiscens. Dissepimen-  
 „ tum liberum, rigidum, bifidum, laminis reflexis, elasticis. Semen in singulo locula-  
 „ mento unicum, alatum, nigro-fuscum. Embryo semini conformis, obovatus, deorsum  
 „ acuminatus.”

Habitat inter Jackson et Botanicum sinum. Floret Aprili.

*Obs.* In eodem ramulo variam vidi foliorum formam: omnia ut plurimum cuneiformia sunt et integra; quædam tantisper dentata apice nunc truncato ut diximus, nunc obtuso, spinula prominente. An rectius *polymorpha* dicenda erit hæc species quam *integrifolia*, ut Linnaeus eam nominavit?

Præter memoratas species, alias in laudato herbario vidi novas mea sententia, incompletas tamen; quas nihilominus hic indigitabo ut Botanici possint aliquando de ipsis pronunciare, inspecta integra earum fructificatione.



## BANKSIA GLAUCA.

624. BANKSIA foliis verticillatis, cuneiformibus, dentatis, apice truncato. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 230.*

Frutex orgyalis, ramis præcedenti speciei consimilibus.

Folia quaterna in verticillos digesta, breviter petiolata, cuneiformia, limbo acuta dentata et sinuata, apice tridentata, dente medio productiore, superne glauco-viridia, subtus alba, duos pollices longa, plus quam semipollicem ampla.

Habitat in Sinu Botanico iuxta Hakeam piriformem.

## BANKSIA SALICIFOLIA.

625. BANKSIA foliis sparsis, oblongis, integerrimis, apice breviter mucronatis. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 231.*

Frutex orgyalis et ultra, ramis teretibus tomentosis præcipue teneris, tomento ferrugineo.

Folia sparsa, numerosa, sustentata petiolis brevibus tomentosis qui per folii longitudinem postea excurrunt, nervum longitudinalem efformantes, in spinulam tandem prominulam terminati. Folia hæc sunt tres pollices longa, semipollicem ampla, superne viridia et glabra, subtus ferruginea quando tenera, vetustate tamen alba, innumeris notata venulis inter se parallelis, ad nervum vero fere perpendicularibus.

Habitat cum præcedente.

LAMBERTIA. *Smith. (a)*

## CHARACTER GENERICUS.

Calix communis multiflorus (6-7), deciduus, imbricatus, polyphyllus, squamulis linearibus, externis brevioribus: partialis minimus, monophyllus, tubulosus, inter corollam et germen positus.

Corolla tubulosa, in medio ventricosa, utrimque quadrifida, laciniis linearibus inferne et superne liberis, hicque apicibus in foveam excavatis.

Filamenta quattuor minima, foveolis laciniarum inserta: antheræ oblongæ, lineares.

Germen ovatum, villosum, calici partiali inmersum: stylus tetragonus, subulatus, corollæ longitudine: stigma acutum.

Capsula coriacea, inferne ovata, superne tricornis, cornubus duobus longioribus adproximatis, unilocularis, bivalvis, rima inter cornua adproximata usque ad basim producta dehiscens.

Semina duo, lentiformia, marginata.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Genus Proteæ affine, a quo differt calicibus deciduis, stigmate acuto, et capsula tricorni bivalvi.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Ubi primum plantam hanc examinavi in sæpius laudato herbario, genus novum efformare cognovi, eamque dixeram *Rizoam trifoliatam* in honorem D. Salvatoris Rizo, delineatoris peritissimi, qui Bogotanam Floram a Mutisio numeris omnibus absolutam vivis coloribus pinxit. Descripta itaque atque incissa erat huic operi inserenda et alii, *Historiæ naturalis Annales* <sup>(b)</sup> scilicet, quando Societatis Linneanæ Transactionum volumen IV accepi, et in eo nitidissimam huius plantæ Iconem <sup>(c)</sup> Lambertiaë nomine. Smithius, qui

(a) Genus hoc nuncupavit Smithius D. Aylmero Bourke Lambert S. S. Reg. et Linn. socio, libelli de Cinchona auctori.

(b) Consulatur núm. 3. pag. 232. *Anales de Historia natural. Mat. 1800.*

(c) Tab. 20. pag. 223.



nominis et characteris essentialis auctor est, neque speciem, neque characterem genericum descripsit; quod ego statim faciam, recepto Lambertia nomine, utpote antiquiore, et in mei Rizoæ locum suffecto. Ut vero constet quid quisque nostrum fecerit in hac re, ex laudato Transactionum opere transcribam quæ de Lambertia Smithius dixit. Ecce illa.

## TETRANDRIA MONOGYNIA.

Ord. nat. PROTEÆ, Juss. Gen. 79.

CHAR. ESSENT. *Calyx* communis polyphyllus, imbricatus, septemflorus. *Petala* quattuor, stamnifera. *Stigma* subulatum, sulcatum. *Capsula* unilocularis disperma. *Semina* marginata.

*Frutex* ramis virgatis, foliis ternis, apice mucronato-pungentibus. *Flores Proteæ melliferæ* quodammodo similes, saturate rosei, formosi. *Capsula* cristatæ tricornes. Locus *Australasia*.

Obs. 3.<sup>a</sup> Schrader, qui in Serto Hannoverano de eadem nostra planta egit PROTEÆ NECTARINÆ nomine, ex germinis examine capsulam monospermam fore putavit, qualem ego aliquando reperi perfecte maturam. Si hoc sæpius evenit, quod iteratis observationibus probandum est, tunc in characterem generico ubi de seminibus quæstio, reponendum erit *Semina in capsulis duo aut solitaria*.

## LAMBERTIA FORMOSA. Smith. Tab. 547.

626. LAMBERTIA fruticosa foliis ternis, sublinearibus, rigidis, apice mucronato-pungentibus. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 233.*

Lambertia formosa. *Smith Transactions of the Linnean Society vol. 4. tab. 20. pag. 223.*

Protea nectarina. *Schrader Sert. Hannov. fasc. 4. pag. 5. tab. 21.*

Proteæ species? *Née herbar.*

Frutex pulcherrimus quattuor aut quinque pedes altus, ramis erectis, alternis, teretibus, nonnihil surcatis, villosis teneris præsertim.

Folia verticillatim terna, verticillis longiora, pollicaria, plusquam lineam ampla, subsessilia, rigida, superne viridia et glabra, subtus fusco-cinerea et subtomentosa, uninervia nervo in mucronem brevem producto, ex quo venulæ versus periferiam oblique excurrunt.

Flores sessiles, terminales, solitarii.

Calix communis semipollicaris, squamulis rubicundo-virentibus concavis, duris.

Corolla coccinea, calicis longitudine, ventre interne villosa, cuius lacinia stamniferæ fecundationis tempore stylo adpressæ sunt; fecundato vero germine in spiram revolutæ, prominente tunc styli parte superiore, rigida, semipollicari.

Germinis villi fulvi, calice partiali longiores; stylus ruber: stigma saturatius.

Antheræ luteæ.

Capsula tomentosa; tomento fere evanescente quum perfecte matura.

Habitat prope oppidum Jackson et alibi in Nova-Hollandia, ibique Mimosa hispidula, et Acrostichum bifurcatum. Floret Aprili. Vidi siccam.

Explic. tab. a Floris capitulum. b Flos aggregatus. c Idem absque calice. d Flos solitarius. e Corolla longitudinaliter secta, expansa et intus spectata. f Germen intra calicem partialem. g Germen auctum, ubi calix sectus et expansus, stylusque etiam transversim sectus. h Lacinia pars antherifera valde aucta. i Capsula. k Eadem dehiscens. l Eadem aperta. m Semen.

Obs. Quamquam omnes flores fecundi sint, non omnium fructus persistunt, quia plures pereunt a reliquorum magnitudine pulsi.



PROTEA TRIDACTYLIDES. *Tab. 548.*

627. PROTEA foliis bipinnatis; pinnulis lineari-cuneiformibus, ultima trifida: strobilis sphaericis, solitariis, terminalibus. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 235.*

Frutex fere orgyalis, ramis alternis, erectis, teretibus, cortice glabro, fusco rubente.

Folia alterna, glabra, bipinnata, pinnulis lineari-cuneiformibus, terminali trifida. Petioli pollicem aut sesquipollicem longi, glabri basi ampliores, superne sulco longitudinali excavati.

Flores aggregati: receptacula globosa, squamulis flores distinguuntibus imbricata, terminalia, solitaria, sessilia, basi cincta pluribus foliis.

Calix nullus nisi squamulas dixeris.

Corolla villosa lutea, tres lineas longa, tetrapetala, petalis linearibus apice nonnihil ampliatas ubi fovea stamifera, initio in tubum adpressis, postea divergentibus.

Filamenta quattuor minima, foveolis inserta: antheræ lineares, luteæ.

Germen minimum ovato-acutum, pilis rigidis ipso longioribus tectum: stylus filiformis corolla paulo longior: stigma clavatum, utrimque acuminatum.

Strobilus sphaericus octo linearum diametri, ex squamulis induratis arcte adpressis compositum: istæ sunt internæ glabræ et concavæ, externe convexæ et tomentosæ, basi angustiores, apice rotundatæ, spinula brevi e centro prominente.

Nux minima, triangularis, basi angusta, apice acuta, pilis undique tecta, amygdalo feta albo, cuius cotyledones plano-convexi oblongi.

Habitat prope Tegularia Jackson: Floretque Aprili.

*Explic. tab. a* Squamulæ superficies interior. *b* Squamula extus spectata. *c* Flos clausus. *d* Petala aucta. *e* Germen et stylus auctus. *f* Nux magnitudine naturali. *g* Eadem aucta, pilis denudata. *h* Huius sectio. *i* Amygdalum. *k* Cotyledones.

PROTEA ACUFERA. *Tab. 549.*

628. PROTEA foliis pinnatis, pinnulis oppositis teretibus: strobilis sphaeroideis: corollis monopetalis. *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 236.*

Caulis fruticosus præcedenti omnino similis magnitudine, cortice, et ramulorum forma.

Folia alterna, pinnata, pinnulis oppositis teretibus, interne sulco excavatis, apice brevissimo mucrone instructis, sesquipollicem longis, semilineam vix amplis, glauco colore virente tinctis.

Flores et receptaculi squamulæ ut in præcedente; receptaculum tamen maius est, breviter pedunculatum, pedunculo stipato squamulis subulatis rubris.

Corolla lutea, villosa, monopetala, ad medium usque partita in quattuor lacinias lineares.

Nux ovato-acuta, unilocularis, monosperma.

Reliqua omnino ut in præcedente cum qua habitat et floret.

*Explic. tab. a* Squamulæ superficies interior. *b* Squamula extus visa. *c* Flos clausus. *d* Idem apertus. *e* Idem auctus. *f* Nux. *g* Eadem aucta. *h* Huius sectio. *i* Amygdalum. *k* Pinnulæ auctæ sectio.

PROTEA PULCHELLA *Schrader. Tab. 550.*

629. PROTEA foliis bipinnatis, filiformibus, glabris: strobilis conicis terminalibus, aggregatis: squamis fructiferis reflexis. *Anales de hist. natur. vol. 1. pag. 237.*

Protea foliis bipinnatis, filiformibus, glabris: strobilis ovato-oblongis, terminalibus, verticillatis: squamis calicinis sericeis apicula reflexa terminatis. *Schrader. Sert. Hann. vol. 1. fasc. 2. pag. 15. tab. 7. Willden. vol. 1. pag. 507.*



- Caulis fruticosus, fere orgyalis, ramis alternis, teretibus, erectis, cortice fusco-rubente.  
 Folia sparsa, petiolata, bipinnata, pinnulis cylindræis, viridibus, rigidis, mucrone brevi flavescente terminatis.  
 Flores aggregati: receptacula conica, squamulis flores distinguentibus imbricata, in ramulorum summitatibus posita, sex aut septem ita digesta, ut centrum occupet receptaculum longius, reliqua circum istud in orbem et ab ipso declinata, pedunculis brevibus, squamulis subulatis rubris stipatis.  
 Corolla albido-pallida, externe villosa, tetrapetala, petalis linearibus, in tubum adproximationis fecundationis tempore, postea divergentibus.  
 Filamenta albido-pallida, minima: antheræ uniloculares, flavæ.  
 Germen ovato-acuminatum, viride, pilis tectum: stylus flavo-virens: stigma clavatum, utrimque attenuatum, pubescens.  
 Nux trigona, minima, apice acutissima, unilocularis, monosperma.  
 Strobili squamulæ fructiferæ revolutæ et deorsum imbricatæ, situ scilicet opposito illi quem floridæ tenuerunt.  
 Reliqua ut in præcedentibus.  
*Explic.* tab. *a* Squama extus visa. *b* Eadem superficie interna revoluta, florem sustinens. *c* Flos. *d* Petalum auctum. *e* Germen. *f* Nux magnitudine naturali. *g* Eadem aucta. *h* Huius sectio. *i* Amygdalum.  
*Obs.* Schrader plantam dedit floridam, ego fructiferam delineavi.

### PROTEA DICHOTOMA. Tab. 551.

630. PROTEA ramis dichotomis: foliis bipinnatis, filiformibus, glabris: strobilis in dichotomia solitariis, conicis, subsessilibus *Anales de hist. nat. vol. 1. pag. 259.*  
 Caulis tortuosus, fruticosus, ut plurimum orgyalis, cuius lignum subfuscum, cortex glaber, ramique alterni, teretes, striis interruptis notati.  
 Folia, flores, stamina et germina ut in præcedente, a qua potissimum differt strobilis solitariis, in ramulorum dichotomiis subsessilibus, et squamis etiam fructiferis sursum imbricatis quæ dum florem fovent ovato acutæ sunt, dum fructum vero superne ampliantur, induranturque, lignum quodammodo æmulantes. Illæ vero quæ pedunculum ornant subulatæ et rubentes sunt, gemmamque formant antequam florum receptaculum prodeat, quæ tandem decidunt fructu maturo.  
 Nux est ovata, basi obcordata, apice acuminata, extus convexa, interne sulco prominente notata.  
 Reliqua ut in præcedentibus.  
 Habitat in Botanico sinu, Jackson, Paramatta et alibi. Floret Aprili. Vidi siccam.  
*Explic.* tab. *a* Squama florem sustinens. *b* Eadem fructifera. *c* Corolla. *d* Petalum auctum. *e* Germen, stylus, stigma auctum. *f* Nux. *g* Eadem aucta externe visa. *h* Eadem superficie opposita. *i* Huius sectio. *h* Amygdalum. *l* Pinnulæ auctæ.

### ERYNGIUM ROSTRATUM. Tab. 552.

631. ERYNGIUM foliis caulinis pinnatis; radicalibus polymorphis: involucris inæqualibus: capitulis apice rostratis. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 118.*  
 Caulis 4-pedalis, teres, striatus, superiore parte parce ramosus, glaber, luteo-albidus ut et tota planta.  
 Folia radicalia petiolata, petiolo plano, angusto, versus basim ampliore: horum exteriora oblonga, serrata, dentibus acutis, ultimis longioribus, inter quos prominet lacinia linearis: suntque semipollicem ampla, quattuor et amplius pollices longa, petioloque sub-



æqualia: interiora ampliora profunde pinnatifida, laciniis subulatis: caulina et floralia pinnata; hæc opposita, amplexicaulia; illa alterna sessilia.

Flores capitati, capitulis terminalibus, ternis; quorum intermedium pedunculo bipollicari nudo: lateralia pedunculis longioribus sustentantur in quibus foliola duo opposita amplexicaulia.

Involucrum decaphyllum, foliolis subulato-compressis alternis brevioribus, semipollicem longis.

Florum receptacula ovato-conica, pollicem longa: paleæ flores distinguentes lanceolatæ, quarum loco et versus receptaculi apicem rostra sex aut octo prodeunt fere pollicem longa, spinæformia.

Calix adhærens, persistens, apice quinquepartitus, laciniis lanceolato-acutis.

Petala quinque, alba, lineari-acuta, apicibus ad basim inflexis.

Staminum filamenta quinque, alba, calice longiora: antheræ ovato-oblongæ.

Germen adhærens, hispidum, et veluti squamosum: styli duo filiformes.

Fructus ovatus, basi angustior et compressus, bifariam partibilis: semina oblonga, teretia, fusca.

Habitat in maris Chilensis litore iuxta Talcahuano urbem, ibique Eryngium aquaticum, Cestrum palqui, Lobelia tupa &c. Florentque Novembri. Vidi in laudato herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos valde auctus. *b* Petalum. *c* Idem expansum. *d* Germen calici adhærens. *e* Stamen. *f* Fructus magnitudine naturali. *g* Semina.

### ERYNGIUM MONOCEPHALUM. Tab. 553.

632. ERYNGIUM foliis amplexicaulibus, canaliculatis, laxè pinnatis: involucro patentissimo rigido. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 116.*

Eryngium. *Née herb. cum Icone.*

Caulis quattuor pedes altus, teres, profunde sulcatus, cuius fragmentum vidi siccum bipedale, plumæ anserinæ crassitie, quod num plantæ pars superior fuerit num ramus, ignoro. Eius color est viridis, at prope florem violaceus.

Folia sessilia, pinnata; floralia opposita, amplexicaulia, tres pollices longa; caulina alterna, pedem et amplius longa, tres lineas, ubi ampliora sunt, lata, a base ad apicem acutissimum sensim angustiora, canaliculata; horum pinnulæ inferiores adproximatæ spiniformes, 2-4 lineas longæ; superiores brevissimæ, sesquipollicari intervallo distantes; reliquæ pollicem et amplius longæ, vix semilineam latæ, acutissimæ; singulis pinnulis spinulæ duæ respondent inæquales, divergentes et quasi axillares.

Florum receptaculum unicum, terminale, pollicare, ubi flores sedent, paleis lanceolatis distincti.

Involucrum patens, amplum, ex 30 fere foliolis compositum, exterioribus longioribus, pollicaribus: omnia sunt lanceolato-subulata, angusta, et in longioribus notantur spinæ rigidæ alternæ.

Calicis laciniæ, corolla breviores, acutæ, basi amplæ.

Corolla saturate violacea. Reliqua ut in præcedente.

Habitat prope Huanajuato et Chilpancingo, oppida Mexicana, ibique Nissolia fruticosa, Parkinsonia aculeata, Salvia (mihi) phlomoides, Bignonia stans &c. Floret Augusto et Sept.

*Explic.* tab. *a* Flos auctus absque corolla. *b* Petalum.



ERYNGIUM SERRATUM. *Tab. 554.*

633. ERYNGIUM foliis oblongis, serratis; floralibus pinnatis brevibus: capitulis globosis, involucrio longioribus. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 132.*

*Eryngium. Née herb.*

Caulis teres, substriatus, glaber ut et tota planta, bipedalis.

Folia radicalia, oblonga, serrata, dentibus acutis profundis unidentatis, duos pollices longa, quattuor lineas lata, subæqualia petiolis, qui sunt lineares plani, basi ampliores et sese tegentes: caulina sessilia, distantia, sensim breviora: floralia tandem brevia, pinnata, opposita, inter quæ caulis erigitur nudus sesquipollicem longus capitulo terminatus, et in axillis duo ramuli breves, foliis duobus brevissimis oppositis ornati, capitulo utique terminati.

Florum receptaculum est fere globosum, vix ciceris magnitudine ubi flores sedent, paleis acutis distincti.

Involucrum capitulo brevius, ex decem foliolis acutis compositum, quorum aliqua denticulis duobus oppositis.

Calicis laciniæ subulatæ basi ampliores, vix semilineam longæ.

Germen hispidum et veluti squamosum. Semina fusca oblonga teretia.

Habitat, floretque cum præcedente. Vidi sic. absque flore.

*Explic. tab. a* Fructus magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Semina semitecta calice bifariam partito.

ERYNGIUM LONGIFOLIUM. *Tab. 555.*

634. ERYNGIUM foliis gladiatis, ciliato-spinosis; floralibus brevissimis 3-5 fidis: caulis summitate dichotoma. *Anales de hist. natur. vol. 2. pag. 133.*

*Eryngium. Née herb.*

Caulis tripedalis, superne ramosus, ramis dichotomis.

Folia gladiata, limbo ciliato-spinoso: radicalia duos fere pedes longa, pollicem vix lata, apice acutissima, inferne carinata, rigidula, glabra, lineis protuberantibus longitudinalibus notata: caulina sensim breviora: floralia, ea scilicet quæ dichotomiis subiacent, concava, tres lineas longa, amplexicaulia, tri-quinquefida, laciniis subulato-spinosis.

Florum receptacula globosa, cicere minora; paleæ flores distinguentes integræ lanceolatæ.

Involucrum decaphyllum; foliolis acutis, basi amplioribus, capitulo brevioribus.

Ex unaquaque dichotomia pedunculus exsurgit sesquipollicem longus, capitulo terminatus.

Calicis laciniæ acutissimæ, basi amplæ. In reliquis cum præcedente convenit.

Habitat passim in Pachuca et Real-del-Monte, oppidis Mexicanis. Floret Augusto. Vidi sic. absque flore.

*Explic. tab. a* Fructus calice coronatus magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Semina.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Hæc species affinis videtur *Eryngio Virginiano* Dict. Enciclop. pag. 759, diversa tamen ut ex descriptionum collatione patet.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* In sæpius memorato herbario *Eryngium fatidum* Linnæi vidi quod Sloane dedit tabula 156, quodque D. Lamarck in dictionario descripsit pag. 758. Verumtamen eius florum capitula non lateralibus, sed in dichotomiis observavi, sustentata pedunculis duas lineas longis: eorumque receptacula cylindræ lineæ aut sesquilineæ diametri; et trium linearum altitudinis. Hæc species offenditur passim in America, observata a Ludovico Née prope Coquimbo, Guayaquil, et Guaranda.



ERYNGIUM HUMILE. *Tab. 556. fig. 1.*

635. ERYNGIUM foliis radicalibus ovatis, petiolo brevioribus; caulinis sessilibus, oblongis serratis: involucris decaphyllis, tricuspидatis. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 115.*

Eryngium. *Née herb.*

Ex eadem radice caules exsurgunt tres plus minusve, striati, quattuor pollices alti, monocephali, duobus foliis oppositis, sessilibus ornati.

Folia rigida, serrata, serraturis in setulam desinentibus, glabra uti tota planta: radicalia ovata, sesquipollicem longa, octo fere lineas lata, uninervia, nervo ramoso, petiolo breviora, qui planus est, basique amplior: caulina sunt oblonga et sublanceolata, amplexicaulia.

Florum receptacula globosa, vix ciceris magnitudine: paleæ lanceolato-acutæ.

Involucrum capitulo longius, decaphyllum, foliolis ovato-oblongis nervosis, apice tridentatis, dentibus spinosis, intermedio maiore: involucris color superiore pagina est saturate luteus, inferiore luteo-viridis.

Fructus ut in præcedente. Florem non vidi.

Habitat in montibus Chimborazo et Sancti Antonii in regno Quitense, floretque Octobri.

ERYNGIUM SUBACAULE. *Tab. 556. fig. 2.*

636. ERYNGIUM foliis radicalibus ovatis, subcrenatis, inermibus, longe pedunculatis. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 116.*

Eryngium. *Née herb.*

Folia radicalia exteriora ovata, subintegra, obscure crenata, duas lineas lata, quattuor longa, sustentata petiolis sesquipollicaribus, basi ampliatis; interiora subsessilia et lanceolata, e quorum centro pedunculi exsurgunt 2-4 pollices alti, nudi, monocephali.

In reliquis cum præcedente convenit, involucris foliolis exceptis, quæ lanceolata sunt et infra apicem acutissimum utrimque unidentata, denticulis setosis.

Habitat in Chalmæ ditione, Novæ-Hispaniæ oppidi, ibique Bocconia frutescens, Sisyrinchium micranthum, Stachys coccinea. Floret Augusto.

*Explic. tab. a* Fructus magnitudine naturali. *b* Idem auctus.

TRAGIA NEPETÆFOLIA. *Tab. 557. fig. 1.*

637. TRAGIA caule humili ramis alternis: foliis petiolatis, cordato-oblongis, dentatis.

Radix descendens fibrosa, ex qua caulis exsurgit teres, pilosus, valde ramosus, pedalis: rami alterni parum divergentes, cauli similes.

Folia alterna, cordata, oblonga, dentata, pilosa, uninervia, nervo ramoso, supra saturate viridia, subtus glauca; inferiora pollicem et amplius longa, 4-5 lineas lata; reliqua versus apicem ramulorum sensim breviora. Petioli teretes, tenuissimi, foliis duplo et amplius breviores. Stipulæ binæ, lanceolatæ.

Flores racemosi, racemis capillaribus, brevibus, solitariis, axillaribus, in quibus squamulæ observantur lanceolatæ, alternæ, flores distinguentes: horum superiores masculi; inferior femina, quorum pedunculi capillares brevissimi.

Calix in mare profunde tripartitus, laciniis ovato-acutis, patentibus, viride-lutescentibus: in femina maior, profunde quinquepartitus, foliolis ovatis, acutis, persistentibus.

Corolla nulla.

Staminum filamenta tria, calice paulo breviora, lutescentia: antheræ subrotundæ.

Germen subrotundum, profunde trisulcatum, hispidulum. Styli tres patentes, basi subcoaliti: stigmata simplicia.



Capsula hispida, subrotunda, trisulca, tricocca: cocculis globosis monospermis, unilocularibus, apice versus centrum dehiscentibus.

Semina globosa, ferruginea, scabra.

Habitat inter Ixmiquilpan et Cimapan Novæ-Hispaniæ oppida, ibique Arrachis hypogæa. Floret Augusto. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Florum racemus valde auctus. *b* Calix floris feminei. *c* Flos femineus, omnia aucta. *d* Fructus magnitudine naturali. *e* Coccula dehiscens. *f* Semen.

### CROTON LANCEOLATUM. Tab. 557. fig. 2.

638. CROTON foliis ovato-lanceolatis, acumine producto, trinerviis, integris, subsessilibus: florum racemis inferne nudis.

Caulis glaber, bipedalis, angulatus, valde ramosus: rami alterni, cauli similes.

Folia alterna, internodis multo longiora, basi obtusa, apice acuta, duos tresve pollices longa, quattuor aut sex lineas, ubi ampliora sunt, lata; superiore pagina saturate viridia, inferiore glauca integerrima, nuda quando adulta, tenera ciliata; sustentata petiolo semilineam longo, ex cuius apice nervi tres oriuntur, quorum intermedius recta excurrit, laterales arcuati. Stipulæ brevissimæ, acutæ.

Flores racemosi; racemis axillaribus, solitariis, tenuissimis, sesquipollicem et amplius longis, versus apicem floriferis: in quibus observantur 9-13 squamulæ brevissimæ, lanceolatæ, flores distinguentes: horum superiores masculi, duo, plerumque inferiores, feminae.

Calix in mare minimus, turbinatus, semiquinquepartitus, laciniis lanceolatis: glandulæ quinque circum filamentorum columnam. In femina triplo maior, ad basim usque quinquepartitus, laciniis lanceolatis persistentibus, inter quas sæpe observatur una, alterave minor setosa: glandulæ circa germen, calicis laciniis respondentes, luteæ, orbiculatæ.

Corolla in mare lutescens, pentapetala, petalis ovatis, apice amplioribus, 3-4 crenatis, calice demidio brevioribus. In femina corolla?

Staminum filamenta lutea, quinque, calici subæqualia, inferne in unicum corpus coalita: antheræ subrotundæ.

Germen subrotundum, trisulcatum, villosum. Styli tres reflexo-patentes, semibifidi: stigmata reflexa.

Capsula subrotunda, trisulcata, tricocca; cocculis globosis, monospermis, unilocularibus, apice versus centrum dehiscentibus.

Semina globosa.

Habitat in Talcahuano ditone regni Chilensis, ibique Tricuspidaria dependens Floræ Per. et Chil. vulgo *Patagua*, et Embothrium obliquum. Floret Novembri. Vidi sic. in eodem herbario.

*Explic.* tabulæ quæ ramulum sistit. *g* Flos masculus magnitudine naturali. *h* Idem auctus. *i* Idem expansus. *l* Idem auctior absque petalis ut conspiciantur glandulæ et stamina. *k* Petalum. *m* Flos femineus postice spectatus. *n* Idem auctus. *o* Germen. *p* Fructus. *q* Coccula dehiscens. *r* Semen.

*Obs.* De floris feminei corolla nihil dixi, quia omnes fecundatos observavi. Nihilominus videre mihi visum fuit petalorum rudimenta exsiccata.

### SALVIA EXASPERATA. Tab. 558.

639. SALVIA foliis rugosis exasperatis; radicalibus bipinnatis petiolatis; superioribus pinnatis sessilibus, connatis: caule paniculato ramosissimo. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 113.*

Caulis tetragonus, sulcis quattuor oppositis excavatus; tener lana candida obductus, pilis-



- que brevibus ad axem perpendicularibus; atro-sanguineus, vix pedalis, panicula excepta ramosissima, cuius rami cauli consimiles, pedales, iterum iterumque ramosi, et viscosi.
- Folia radicalia et inferiora fere pedalia, bipinnata, pinnulis linearibus obtusis, sustentata petiolis rubentibus tomentosis, basi se invicem amplexantibus; ramea sessilia, simpliciter pinnata, pinnula terminali longiore, connata, sensimque ascendendo breviora: omnium pagina superior saturate viridis, innumeris eminentiis exasperata, non tamen rigida; inferior glauca foveolis percusa quæ eminentiis respondent.
- Flores paniculati, verticillati, verticillis 4-6 floris: bracteæ cordatæ, acutæ, integerrimæ, cymbæformes, calicibus ut plurimum breviores.
- Calix viridis, bilabiatus, villosus: labium superius trifidum laciniis brevibus acutis; inferius fere semper bifidum laciniis profundioribus lanceolatis acutissimis. Aliquando tertia lacinia inter duas offenditur.
- Corolla monopetala, ringens, fere pollicem longa, albido-pallescens: tubus superne gibbus, subcompressus: labium superius fornicatum, emarginatum interne aliquando dilutissime roseum, externe subvillosum: inferius trifidum, laciniis lateralibus brevibus angustis erectis, media concava, lata, emarginata.
- Staminum filamenta duo albicantia, corolla paulo breviora, parieti labii inferioris prope gibbam inserta, basi bipartita: antheræ oblongæ, fuscæ: polen flavum.
- Germina quattuor ovata, implantata receptaculo quadrato: stylus simplex, curvus, imberbis: stigmata duo, divergentia, superiore breviora.
- Fructus in fundo calicis. Semina quattuor obovata.
- Floret et fructificat in R. h. Matrit. Aprili et Maio, ibi enata ex seminibus missis a D. Thouin, quæ Ægyptiaca credimus.
- Explíc.* tab. a Calix. b Corolla. c Eadem expansa cum staminibus. d Calix longitudinaliter sectus, semina immatura continens. e Germen, stylus, stigmata.

## LARREA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

- Calix liber, deciduus, pentaphyllus, foliolis ovatis, concavis.
- Corolla pentapetala; petalis ovatis, unguiculatis.
- Staminum filamenta decem, hypogyna, subulata, basi intus unisquamosa, squamulis circa germen conniventibus, apice bifidis: antheræ ovato-acutæ, basi, ubi filamentis adhærent, subcordatæ.
- Germen globosum, profunde quinesulcatum: stylus subulatus pentagonus: stigma simplex.
- Nuces quinque, monospermæ, externe convexæ, interne angulatæ.
- Semina ovato-oblonga, cavitati nucis respondentia. Perispermum carnosum: cotyledones oblongæ, plano-convexæ.
- Obs.* 1.<sup>a</sup> Pericarpium dixi *nucem*, quia durum est et evalve.
- Obs.* 2.<sup>a</sup> Nuces, quas Ludovicus Née adsportavit, semper vidi monospermas; quas vero tenerrimas adhuc sustinent Regii Horti frutices, polyspermas. Abortum proculdubio patientur semina, uno excepto quod nucis cavitatem occupabit.
- Obs.* 3.<sup>a</sup> Nuces in prima specie imberbes: in reliquis pilis elongatis tectæ.

(a) Genus dicatum D. D. Ioanni Antonio Hernandez de Larrea, Cæsaraugustanæ Ecclesiæ Decano, Chemiæ, Botanices, rei que agrariæ liberalissimo promotori. Quod minime confundendum cum illo HOFFMANSEGGIA quarti huius operis voluminis, quia

alteram eius speciem LARREAM dixerit D. Ortega in secunda decade. Consulantur momenta ibi exposita quibus tunc nomen suppressi, quod nunc libenter renovo in tanti hominis honorem.



*Obs. 4.<sup>a</sup>* Larrea medium tenet inter Zygophyllum et Quassiam. Species mihi notæ fruticosæ sunt, quibus rami alterni, fere distichi; folia opposita, bistipulata; et flores axillares, solitarii, alterni.

### LARREA NITIDA. *Tab. 559.*

640. LARREA caule fruticoso: foliis oppositis, ovatis, pinnatis, nitidis: nucibus imberbibus. *Anales de hist. natur. vol. 2. pag. 120.*

Caulis fruticosus, in patria sesquiorgyalis, in Regio Matritensi horto quattuor et amplius pedes altus, teres, nodis adproximatis ex foliorum et ramulorum lapsu notatus. Lignum durum est; cortex cinereus; rami alterni, fere distichi, iterum alternatim ramosi, patuli, et quandoque decumbentes, villis brevissimis viscosi.

Folia opposita, sessilia, duplo longiora quam lata, quorum maiora vix semipollicem longa, pinnata, pinnulis linearibus, nervo longitudinali antice oblique adnatis: eorum pagina superior nitida, et veluti gummi illinita; inferior nonnihil viscosa: stipulæ utrimque binæ, breves, rubentes, lineari-acutæ.

Flores axillares, solitarii, alterni, pedunculo foliis brevior.

Calicis foliola luteo-virentia, concava, apice acuta.

Petala calice duplo longiora, unguiculata, superne ampliora apice acuta, saturate lutea.

Squamulæ, germen tegentes, corollæ similes: filamenta saturatius lutea: antheræ saturatiores.

Germen villosum: stylus pentagonus quasi ex quinque stylis adglutinatis compositus, corolla brevior: stigma ante anthesim simplex, fortasse ex quinque postea sponte dehiscentibus.

Nuces quinque in globum, piperis grano paulo maiorem, initio adpressæ, receptaculo et columellæ affixæ; postea dehiscentes ab invicem. Unicuique integumentum duplex: exterius tenue, rugosum, subvillosum: interius membranaceum durum. Perispermum albicans: cotyledones subvirentes.

Habitat passim in tractu qui a Mendoza urbe in planitiem vulgo Pampas de Buenos-Ayres protenditur. Floret Aprili in patria et in Regio horto Matritensi, hic enata e seminibus a Ludovico Née adsportatis.

*Explic. tab. a* Calix. *b* Flos integer. *c* Petalum auctum. *d* Calicis folium. *e* Stamen cum squamula, auctum. *f* Germen auctum. *g* Idem peracta fecundatione apice 5-partitum. *h* Fructus. *i* Nux. *k* Nucis auctæ sectio. *l* Semen. *m* Huius sectio. *n* Albumen longitudinaliter sectum cum situ et figura embryonis. *o* Fructus aucti sectio. *p* Nucis tenerimæ sectio. *F* Folium auctum.

### LARREA DIVARICATA. *Tab. 560. fig. 1.*

641. LARREA foliis oppositis, sessilibus, bilobis; lobis profundis lanceolatis divaricatis. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 122.*

¿Zygophyllum? *Née herb.*

Caulis fruticosus, orgyalis, valde ramosus, ramis alternis, teneris subtetragonis: cortex est cinereus et lignum compactum. Caulis, ramique apparent nodosi, nodis adproximatis, incrassatis ex foliorum lapsu, squamularumque cicatricibus.

Folia opposita, villosa, sessilia, biloba, lobis lato-lanceolatis, acutis, divaricatis, quorum longitudo, latitudine duplo maior, est duarum fere linearum: in singulis nervi 3-5. Stipulæ parvæ in tuberculum incrassatæ rubentes et subvillosæ, hinc inde binæ.

Flores axillares, alterni, solitarii, pedunculis folio brevioribus.

Calicis foliola extus subtomentosa, obscure lutea, obtusa, inæqualia; quorum duo exteriora breviora subrotunda, tria reliqua inferne angustata.



Corolla lutea, petalis obtusis, venosis, longioribus quam in præcedente.

Germina pilosa.

Nuces pilis tectæ confertis, longis.

Reliqua ut in præcedente cum qua floret, fructificat et habitat, ibiquè Mimosa circinalis, Dodonæa viscosa, Sarmienta repens, Tropœolum peregrinum et pentaphyllum.

*Explic.* tab. *a* Flos integer postice spectatus. *b* Petalum. *c* Genitalia aucta. *d* Stamen. *e* Ger-  
men. *f* Fructus. *g* Nux. *h* Semen. *i* Nucis auctæ sectio. *k* Semen auctum. *l* Huius sec-  
tio ut appareat Embryo. *m* Albumen longitudinaliter sectum cum situ et figura Embryo-  
nis. *n* Folium auctum.

*Obs.* Decem huius fruticis folia, ramulusque cui adhærebant cum duabus aquæ libris  
cocta totam aquam croceo colore saturate tinxerunt.

### LARREA CUNEIFOLIA. Tab. 560. fig. 2.

642. LARREA foliis oppositis, subsessilibus, cuneatis, apice bilobis, setula inter lobulos  
prominente. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 123.*

?Zygophyllum? *Née herb.*

Frutex præcedenti similis habitu et magnitudine; a quo potissimum differt foliorum forma,  
ut patet ex descriptione, scilicet.

Ramuli alterni, triquetri, subvillosi.

Folia sunt opposita, subsessilia, crassiuscula, obscure villosa, cuneata, apice biloba, nervo  
unico longitudinali, apice inter lobos prominente in setæ formam: duas lineas longa;  
unam ampla. Stipulæ utrimque binæ, breves, crassæ, rubentes, basi latæ, apice acutæ.

Petala paulo breviora quam in præcedente specie cum qua in reliquis omnino convenit.

Habitat cum præcedentibus. Vidi siccam in sæpius memorato herbario.

*Explic.* tab. *F* Folium auctum.

### CASSIA APHYLLA. Tab. 561.

643. CASSIA caule fruticoso, ramis dichotomis, aphyllis: leguminibus linearibus.

Cassia. *Née herbar.*

Caulis fruticosus tripedalis: rami alterni, erecti, dichotomi, teretes, glabri.

Folia nulla.

Flores subracemosi racemis terminalibus, alternatim gemini, pedunculis propriis, prope  
basim in unum coalitis.

Calicis foliola quinque, ovata, quorum tria exteriora pilosa.

Corolla luteo-crocea, calice duplo longior, petalis ovatis, venulis saturatoribus.

Staminum filamenta decem, quorum tria superiora tenuia, sterilia, terminata globulis toti-  
dem infecundis, reliqua crassiora, sensimque versus inferiora longiora: antheræ arcuatæ  
oblongæ, biloculares, apice biperforatæ.

Germen oblongum, compressum, pedicellatum, stylo brevi incurvo terminatum: stigma  
simplex.

Legumen compressum, lineare, quattuor pollices longum, sesquilineam latum. Semina  
ovato-compressa, minuta, numerosa: funiculi capillares suturæ superiori affixi.

Habitat in tractu qui a Mendoza urbe in planitiem vulgo *Pampas de Buenos-Ayres* pro-  
tenditur. Floret Aprili. Vidi siccam.

*Explic.* tab. *a* Flos postice spectatus. *b* Stamina. *c* Stamen inferius auctum. *d* Legumen de-  
hiscens. *e* Semen auctum.



ANDROMEDA BRACTEATA. *Tab. 562. fig. 1.*

644. ANDROMEDA foliis ovato-acutis: racemis terminalibus: corollis, calicibusque hirsutis.

*Andromeda. Née herb.*

Caulis lignosus, sesquipedalis, ramis alternis, teretibus, hirsutis, pilis ferrugineis, qui vetustate decidunt.

Folia ovato-acuta, obscure denticulata, denticulis vix nudo oculo conspicuis, coriacea, superne nitida, viridia; subtus ferruginea, hirsuta præsertim tenera, pilis e totidem punctis protuberantibus ortis, sesquipollicem longa, pollicem ampla, sustentata petiolis vix lineam longis hirsutis.

Flores racemosi, racemis terminalibus, sæpe bipollicaribus, in quibus flores solitarii, pedunculis propriis hirsutis ad bracteam axillaribus. Bracteæ ovato-acutæ, concavæ, limbo scarioso, longitudinaliter lineatæ, glabræ, a foliis valde diversæ, pedunculo bibracteato breviores.

Calix campanulatus, tomento ferrugineo hirtus, semiquinquepartitus, persistens.

Corolla monopetala, tubulosa, hirsuta, dilute rosea duas aut tres lineas longa, ore quinquepartito, laciniis ovato-acutis erectis.

Staminum filamenta decem, brevia, prope basim corollæ adfixa, subulato-compressa, lateribus villosa: antheræ ovato-acutæ, biloculares, aristis duabus brevibus, ad basim usque iterum biaristatis.

Germen liberum, subrotundum, quinesulcatum, apice villosum: stylus cylindraceus, staminibus paulo longior: stigma obtusum.

Capsula subglobosa quinesulcata, quinelocularis, quinquevalvis: dissepimenta valvis contraria: receptaculum axi affixum quinelobum, lobis fungosis basi attenuatis, intra loculamenta propendentibus, quibus adhærent innumera semina glabra, ferruginea, ovata, compressa, basi acuminata, minutissima.

Habitat prope Tunguraguæ craterem, et in Chimborazo monte. Floret Octobri. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic. tab. a* Flos. *b* Corolla expansa cum staminibus. *c* Stamen auctum. *d* Germen. *e* Fructus. *f* Idem calice orbatum. *g* Fructus aucti sectio transversalis. *h* Eiusdem sectio perpendicularis ut appareat receptaculum. *i* Semina aucta.

*Obs.* Bracteis floralibus, a veris foliis longe diversis differt hæc species ab *Andromeda anastomosante* Linnæi filii, cum qua in reliquis fere convenit.

## ANDROMEDA GLOMERATA.

645. ANDROMEDA foliis ovato-acutis; racemis axillaribus glomeratis: corollis glabris: bracteis pedunculo longioribus.

*Andromeda. Née herb.*

Andromeda anastomosans foliis ovatis, subserratis, subtus anastomosibus punctatis? *Lin. suppl. pag. 237.*

Frutex præcedenti magnitudine similis, quemadmodum et foliorum forma, hirsutie, colore et consistentia.

Flores sunt racemosi, racemis brevibus axillaribus, in quibus glomerati apparent, distincti bracteis ovato-acutis, glabris, lineatis, pedunculo bibracteato longioribus.

Calix ut in præcedente.

Corolla monopetala, glabra, tubuloso-ovata, dilutissime rosea, ore patulo, quinquepartito, laciniis brevibus ovatis.

Reliqua ut in præcedente cum qua habitat et floret. Vidi siccam in dicto herbario.



*Obs.* D. Franciscus Zea qui Mutisio magistro diligenter in patria examinavit Linnæi Andromedam anastomosantem, inspectis apud me descriptarum specierum ramis, valde affines eas illi Linnæi reputavit, præsertim vero hanc ultimam *glomeratam*.

### ANDROMEDA PROSTRATA. *Tab.* 562. *fig.* 2.

646. ANDROMEDA caule fruticoso humifuso: foliis ovato-acutis, glabris, obscure serratis: pedunculis axillaribus solitariis.

*Andromeda. Née herb.*

Caulis fruticosus, teres, gracilis, valde ramosus, supra terram expansus ut in Arbusto uva-ursi observatur, vix pedalis.

Folia glabra, crassiuscula, sparsa, adeo numerosa ut ramulos omnino tegant, ovato-acuta, semilineam ampla vix duas lineas longa, superne viridia, subtus ferruginea et venosa, serrulata, serraturis vix conspicuis nudo oculo, sustentata petiolis brevissimis.

Flores axillares, solitarii, pedunculis unifloris, folio brevioribus, basi bisquamatis.

Calix nudus, semiquinquepartitus, laciniis ovatis.

Reliqua ut in præcedente, attamen minora, cum qua habitat et floret. Vidi siccam.

*Explic.* tab. *k* Fructus. *l* Idem auctus.

*Obs.* Species affinis Andromedæ myrsinites Dict. Enciclop. pag. 155. a qua differt caule et ramis humifusis, præcipue tamen squamularum circa calicem defectu, quæ laciniarum calicis numerum in A. myrsinite duplicare videntur.

### GALPHIMIA GLANDULOSA. *Tab.* 563.

647. GALPHIMIA caule fruticoso: foliis lanceolatis: petiolis biglandulosis. *Anales de hist. nat. vol. I. pag. 57.*

Malpighia? *Née herb. cum Icone.*

Caulis fruticosus, orgyalis, ramis teretibus glabris ut et tota planta, ad foliorum oppositiones quasi articulatis.

Folia opposita, integerrima, lanceolata, pollicem ampla, vix tres pollices longa, sustentata petiolis pollice brevioribus, inter folium et caulem biglandulosis, glandulis oppositis sessilibus.

Flores racemosi, racemis terminalibus et axillaribus, semipedem longis. Flos quilibet pedunculatus, pedunculis medio bisquamosis, ad squamulam lanceolatam axillaribus.

Calix liber, persistens, quinquepartitus, laciniis ovatis.

Corollæ petala quinque, ovata, lutea, quorum superius paulo longius, maculaque oblonga, centrali, rubente notatum.

Staminum filamenta decem, lutea, brevia, alternis brevioribus: antheræ erectæ, oblongæ, basi subemarginatæ.

Germen ovatum, subtrigonum: styli tres subulati: stigmata acuta.

Fructus est capsula nonnihil carnosa, unilocularis, trivalvis, cocculas tres in globum adproximatas includens. Cocculæ sunt externe convexæ, apice in centrum deflexo-acutæ, interne planæ, transversim sulcatæ, quæ dorso longitudinaliter dehiscunt, suntque monosperma.

Semina nitida, nigra, globulosa. Albumen (nullum vidi). Cotyledones foliaceæ: radícula inflexa.

Habitat in Acambaro, Pachuca, Real del monte, et Acapulco, hicque Oxalis fruticosa, Tribulus cytisoides, Tamarindus indica, Buttneria hastata, Cocos nucifera &c. Floret Octob. Vidi siccam et Iconem.

*Explic.* tab. *a* Flos postice spectatus. *b* Stamina. *c* Stamen auctum. *d* Germen. *e* Fructus. *f* Capsula dehiscens. *g* Coccula. *h* Eadem dehiscens. *i* Semen.



SILENE LACINIATA. *Tab. 564.*

648. *SILENE* foliis lanceolatis sessilibus: petalis quadrifidis: capsulis unilocularibus.

*Metatera vulgo. Née herb. cum Icone.*

Caulis herbaceus, teres, subvillosus, tres quattuorve pedes altus: rami oppositi, dichotomi, cauli consimiles, articulis incrassatis.

Folia opposita, lanceolata, integerrima, subvillosa, sessilia, basi connata, duos, tresve pollices longa, quinque octove lineas lata; superiora sensim minor.

Flores terminales solitarii.

Calix tubuloso-ventricosus, decemstriatus, villosus, apice quinque-dentatus, pollicem longus.

Corolla speciosa, pentapetala; petalorum ungues angusti, virido-albicantes, longitudine calicis: limbus patens, coccineus, profunde laciniatus, laciniis quattuor lineari-acutis, quarum laterales breviores: corona candida, cuius decem laciniæ ovatæ, vix lineam longæ petalorum collo binatim adnatæ.

Staminum filamenta decem, subulata, basi ampliora; antheræ oblongæ, subcæruleæ.

Germen cylindricum: styli tres, staminibus longiores: stigmata globulosa.

Capsula cylindrica, calicis longitudine, unilocularis, apice quinquefariam dehiscens.

Receptaculum centrale, cylindricum, capsula brevius: semina numerosa, compressa, fusca, subreniformia.

Habitat in Pachuca, Real del monte et Acapulco. Floret Octobri. Vidi siccam et Iconem.

*Explic. tab. a* Petalum postice visum. *b* Idem limbo revoluto ut appareant squamulæ.

*c* Genitalia. *d* Capsula. *e* Eadem antice secta ut appareat receptaculum. *f* Receptaculum. *g* Semen auctum.

*Obs.* Coronæ defectu Cucubalus a *Silene* distinguitur. An rectius loculamentorum diversitate *Silene* species in duo genera ordinandæ, quorum aliud illas complectetur quibus capsula trilocularis, aliud illas quæ capsula uniloculari gaudent?

WEINMANNIA PANICULATA. *Tab. 565.*

649. *WEINMANNIA* foliis simplicibus, lanceolatis, serratis: floribus paniculatis.

*Triaca vulgo. Née herbar.*

Caulis arboreus, biorgyalis et ultra: rami oppositi, sulcati, subnodosi.

Folia opposita, lanceolata, serrata, glabra, subtus glauca, duos tresve pollices longa, vix pollicem ampla: petioli 2-3 lineares: stipulæ lanceolatæ, deciduæ.

Flores paniculati, paniculis axillaribus, solitariis, quarum ramuli oppositi, apice floriferi.

Pedicelli breves, basi stipulati, stipulis ovato-acutis, deciduis.

Calix deciduus, tetraphyllus, foliolis ovatis patulis.

Corolla luteo rubens, calice paulo maior: petala quattuor, calici inserta, ovata, basi in unguem attenuata.

Staminum filamenta octo, petalis paulo longiora, germinis glandulis inserta, quorum quattuor alterna interiora: antheræ subrotundæ luteæ.

Germen ovatum, liberum, villosum, auctum basi disco octo-glanduloso: styli duo albicantes, initio reflexi, postea erecti, indurati et persistentes: stigmata simplicia.

Capsula ovato-oblonga, villosa, birostrata, bilocularis, bivalvis; valvis margine introflexo dissepimentum constituentibus, iisdemque maturatione divergentibus, intusque dehiscentibus quasi bicapsularis. Semina plura, oblongiuscula et veluti caudata, compressa, receptaculo centrali brevi affixa.

Habitat ad littora maritima prope urbem Talcahuano in regno Chilense, floretque Februario. Vidi siccam in dicto herbario.



*Obs. 1.<sup>a</sup>* In eiusdem urbis ditione crescit *Quadria heterophylla* Floræ Per. et Chil. quæ vulgo nominatur *Avellano de Chile*, quamque *Gevuina avellana* nomine descripsit Molina Hist. Chil. pag. 184. Genus hoc valde simile videtur *Roupalæ Aubletii* (a). Crescit etiam *Embothrium obliquum*, et *Herreria stellata*.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Flores nonnulli sunt pentapetali trigyni, quibus calix pentaphyllus, quorum fructus est capsula trilocularis.

*Explic. tab. a* Flos. *b* Idem auctus. *c* Calicis folium. *d* Petalum. *e* Stamen. *f* Idem auctum. *g* Germen cum disco glanduloso auctum. *h* Capsula. *i* Eadem in valvulas separata, filis duobus capillaribus receptaculo affixas. *k* Valvula aucta intus, qua dehiscit, spectata. *l* Eiusdem sectio. *m* Semina aucta.

### WEINMANNIA OVATA. Tab. 566.

650. *WEINMANNIA* foliis simplicibus ovatis, crenato-dentatis; floribus racemosis.

Arbor 18 pedes alta, cuius rami oppositi, sulcati, subnodosi, ad foliorum oppositiones incrassati.

Folia opposita, ovato-oblonga, crenata, crenulis sæpe dentatis, glabra, rigida, uninervia, nervo utrimque ramoso, venulisque innumeris reticulata, duos pollices longa, pollicem et amplius lata: petioli lineam longi, fusci, basi incrassati. Stipulæ interfoliaceæ, ovatæ, deciduæ, breves.

Flores minuti, racemosi, racemis axillaribus solitariis, ultima foliorum paria terminantibus, ideoque terminales et gemini apparent, in quibus florum fasciculi existunt approximati, quattuor plerumque ex eodem puncto uni-squamulato constantes pedicellis rubris, subvillosis, semilineam longis.

Calicis foliola quattuor, ovato-acuta.

Corolla in sicco ferruginea, cuius petala ovata, calice longiora.

Staminum filamenta octo, petalorum longitudine: antheræ subrotundæ, biloculares?

Germen ovatum, auctum basi disco octoglanduloso, adeo minuto ut oculis nudis vix conspiciatur. Styli duo reflexi.

Fructum non vidi.

Habitat haud longe ab oppido Peruviano San Buenaventura in ampla fossa alluvionibus excavata, ibique *Eupatorium urticæfolium*, et aromaticum, *Solanum racemosum*, *Duranta mutisii*, *Cantua flexuosa*, *Haenkea multiflora* et *Columellia oblonga*. Florent Iunio et Iulio. Vidi sic. in eodem herbario.

*Explic. tab. a* Flos. *b* Idem auctus. *c* Idem apertus. *d* Stamen. *e* Germen cinctum glandulis.

### WEINMANNIA TRICHOSPERMA. Tab. 567.

651. *WEINMANNIA* foliis impari-pinnatis, petiolo communi alato, articulis quadrangularibus: racemis axillaribus.

*Weinmannia. Née herbar. cum Icone.*

Caulis arborescens decem pedes altus; quasi articulatus ad ramorum ortum. Rami oppositi, villis ferrugineis.

Folia opposita, pinnata cum impari: foliola 9-11, ovata, duas tresve lineas ampla, semipollicem longa, latere inferiore versus basim angustiore, serrata, superiore facie nitida et viridia, inferiore ferruginea, sessilia, utrimque bistipulata, stipulis ovatis.

Petiolus communis basi nudus, inter pinnulas alatus, articulis quadrangularibus, quorum angulus inferior acutus, superior obtusus, laterales recti. Stipulæ ovatæ utrimque binæ deciduæ.

(a) Consulatur Lamarck II. gen. vol. 1. tab. 9.



Flores racemosi, racemis axillaribus, solitariis, oppositis, foliorum fere longitudinis.  
Capsula ovata, glabra, birostrata, bilocularis ut in prima specie. Semina ovato-reniformia,  
villis ferrugineis tecta.

Florem non vidi.

Habitat in San Carlos de Chiloe; fructificat Februario. Vidi siccam et Iconem.

*Explic.* tab. *a* Capsula. *b* Eadem dehiscens. *c* Capsulæ loculamentum auctum dehiscens.  
*d* Semen valde auctum.

*Obs.* Difert a *Weinmannia pinnata* Linnæi articulis quadrangularibus, non ovatis; et racemis axillaribus.

### MINUARTIA MONTANA Linnæi. Tab. 568. fig. 1.

652. MINUARTIA ramulis lateralibus alternis brevissimis: floribus interfoliaceis solitariis.  
*Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 135.*

Minuartia floribus lateralibus alternis, bractea brevioribus. *Linn. sp. pl. vol. 1. pag. 249.*  
*Loeffl. iter pag. 122. tab. 1. fig. 4. mala.*

Ex eadem radice obliqua, alba, fibrillis stipata caules prodeunt numero et altitudine varii pro soli ariditate; maiores vix tripollicares idque raro, suntque erecti, striati, fusco-rubentes, et veluti articulati. Rami alterni, brevissimi.

Folia opposita, erecta, subulato-setacea, rigida, striata, basi latiora, connata, internodis longiora, duas aut tres lineas longa.

Flores interfoliacei, solitarii, subsessiles, attamen adeo adproximati ut conglomerati appareant, foliolis semper stipati.

Calix pentaphyllus erectus, pyramidalis persistens; foliolis lanceolatis acutissimis, duobus exterioribus paulo longioribus, omnibus carinatis et fere semper adpressis.

Petala quinque, albicantia, ovata, brevissima, calice quadruplo minora.

Margo germen cingens, 6-7, crenata.

Staminum filamenta 3-7, subulata, luteo-albicantia, corolla longiora, inter crenulas marginis inserta: antheræ tot quot filamenta, globosæ, didymæ, lutescentes.

Germen ovato-acutum, subtrigonum: styli tres albicantes: stigmata simplicia.

Capsula ovato-acuta, trigona, unilocularis, trivalvis.

Semina 8-10, rotundato-reniformia, fusca.

Habitat passim in collibus prope Matritum, et Chamartin, ubi frequens est etiam *Minuartia dichotoma*, *Queria hispanica*, *Cotyledon hispanica*. Florent Maio et Iunio.

*Obs.* Nullibi robustiorem reperi hanc speciem quam in tractu pingui, qui inter Manzanares rivulum et viam regiam iacet quæ a Toletano ponte ducit in Aranjuez.

*Explic.* tab. *a* Flos. *b* Idem auctus et apertus. *c* Calicis folium. *d* Petalum. *e* et *f* Stamina cum margine crenato. *g* Germen. *h* Capsula magnitudine naturali. *i* Eadem aucta. *k* Eadem dehiscens. *l* Semina. *m* Semen auctum.

### ACALYPHA PILOSA. Tab. 568. fig. 2.

653. ACALYPHA caule herbaceo: foliis ovato-acutis, serratis, pilosis: spicis geminis, axillaribus, pedunculatis, quarum una femina, altera mascula. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 156.*

Caulis filiformis simplex gracilis vix palmaris, pilis albis ornatus ad ipsum perpendiculis.

Folia alterna, petiolo longiora, ovato-acuta, serrata, pilosa 6-8 lineas longa. Stipulæ subulatae brevissimæ, deciduæ.

Flores spicati, spicis pedunculatis, axillaribus, geminis, folio brevioribus, quarum longior



- mascula, brevior femina: in hac sedent 8-10 flores involucris distincti; in illa plures masculi, oculum nudum fere fugientes, pedicelati, utriusque corolla destituti.
- Calix in masculis 3-4 phyllus, foliolis ovato-acutis villosis, e quorum centro manipulus erigitur duodecim filamentorum: isti sunt translucidi, calice longiores, terminati antheris globosis.
- Calix in femina: Involucrum cucullatum, vix semilineam longum, ore septemdentato, interne usque ad basim fissum, in cuius centro sedet flos solitarius.
- Huius germen est globosum, villosum, minimum: styli tres capillares involucro multo longiores, usque ad medium trifidi, capillaceis lacinis albicantibus.
- Capsula sessilis, villosa, subrotunda, trisulca, tricocca, cocculis ovatis, chartaceis, bivalvibus, monospermis. Semina nigra, glabra, globosa, apice acuta, minutissima.
- Habitat in Panamá cum Hibisco tiliaceo, Melochia pyramidata, Heteranthera reniformi, et Melastomis lævi, ciliari, serrulata, olosericea, macrophylla et levigata: crescit etiam in Nova-Hispania prope oppidum Dos-Caminos; et in Insula Luzon duodecimo lapide a Manila prope Calávan. Vidi siccam in eodem herbario.
- Explic.* tab. *n* Flos masculus auctus. *o* Flos femineus. *p* Idem auctus et involucrum expansum. *q* Fructus. *r* Coccula aucta. *s* Semen.
- Obs.* Quæ in America crescit habet folia magis rotunda; quæ in Calávan magis acuminata.

#### ACALYPHA MONOSTACHYA. Tab. 568. fig. 3.

654. ACALYPHA caule herbaceo: foliis subrotundis, crenatis: spica mascula terminali solitaria; floribus femineis axillaribus sessilibus. *Anales de hist. natur. vol. 2. pag. 158.*
- Caulis herbaceus, teres, villosus, sex pollices altus, terminatus spica mascula fere bipollicari, pedunculo incluso, sex-octo lineas longo.
- Folia alterna, adproximata, petiolis longiora, subrotunda, crenata, villosa, quorum diametri trium linearum. Stipulæ subulatæ, minutæ, deciduæ.
- Spica mascula compacta ut in Lycopodio clavato, innumeris ornata floribus brevissime pedunculatis: flores feminei sedent in axillis duo aut tres, involucris distincti, corolla destituti.
- Calix in masculis triphyllus, foliolis ovato-acutis villosis, in quorum centro stamina præcedenti similia.
- Involucrum paulo maius quam in præcedente, eiusque limbus superior dentibus septem ovato-acutis. In centro sedet flos solitarius, cuius calix tetraphyllus foliolis ovato-acutis ciliatis, altero brevior: germen globosum villosum: styli tres involucro multoties longiores ramosissimi laciniis capillaribus, inferioribus brevioribus.
- Fructus.
- Habitat inter oppida Mexicana Cimapán et Tecozotla, Floretque Septembri. Vidi siccam in eodem herbario.
- Explic.* tab. *t* Flos masculus. *u* Flos femineus. *x* Huius calix. *y* Idem flos intra involucrum. *z* Involucrum magnitudine naturali. *ò* Germen et styli.

#### ACALYPHA VAGANS. Tab. 569. fig. 1.

655. ACALYPHA caule virgato: foliis ovato-lanceolatis, crenatis: spicis axillaribus, solitariis, interruptis. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 139.*
- Caulis teres, virgatus, bi-tripedalis, gracilis.
- Folia alterna, petiolis longiora, ovato-lanceolata, crenulis pilo terminatis, sesquipollicem longa, vix octo lineas lata, superiora sensim angustiora: stipulæ brevissimæ, lanceolatae.



Flores spicati, spicis axillaribus, solitariis; femineis sessilibus, tres pollices aliquando longis; masculis, et androgynis pedunculatis, brevioribus. In illis flores sedent vagi; in masculis bracteola subulata distincti et pedunculati; in androgynis superiorem partem mares occupant, inferiorem feminæ.

Calix in masculis minimus ex tribus foliolis ovato-acutis, concavis, e quorum centro erigitur staminum manipulus octo aut pluribus constans filamentis capillaribus, calice longioribus, totidem antheras globosas sustentibus.

Calix in femina triphyllus, foliolis ovato-acutis ciliatis.

Involucrum subcordatum, striatum, latitudine longitudinem superante, plicatum, limbo dentato, dentibus pilo terminatis, biflorum, floribus sessilibus, quorum alter ut plurimum abortit.

Unicuique germen est globosum, villosum: styli tres fusco-rubentes involucro longiores, usque ad medium trifidi, laciniis sæpe iterum bipartitis.

Capsula sessilis villosa, subrotunda trisulca, tricocca, ut in *Acalypha pilosa*.

Habitat in Acapulco, floretque Octobri. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Flos masculus. *b* Involucrum. *c* Idem auctum cum duobus floribus. *d* Germen cui subiectus calix. *e* Capsula aucta. *f* Coccula aucta. *g* Semen.

### ACALYPHA PHLEOIDES. Tab. 569. fig. 2.

656. ACALYPHA foliis ovatis, serratis, subsessilibus: spicis androgynis terminalibus: involucro cuneiformi, cucullato, trifido. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 139.*

¿An *Urtica minor iners* spicata, folio subrotundo serrato, fructu tricocco? *Sloan. Iamai. 1. pag. 125. tab. 82. fig. 3.*

Caulis vix pedalis, teres, ramosus, ramis alternis.

Folia alterna, subsessilia, ovata, serrulata, pilosa, vix pollicem longa. Stipulæ subulatæ, breves, deciduæ.

Flores spicati, spica sessili, terminali, solitaria, androgyna, sesquipollicem longa, cuius superiorem partem occupant masculi, minuti, bracteolis subulatis distincti.

Horum calix est tetraphyllus, foliolis ovato-acutis, concavis, e quorum centro exsurgit staminum manipulus octo pluribusve filamentis constans, quorum antheræ globosæ.

Calix in femina fere semper triphyllus, quandoque tetraphyllus.

Involucrum cuneiforme, cucullatum apice trifidum, uniflorum. Styli ramosi rubentes. Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat iuxta oppidum Tixtala in Nova-Hispania, floretque Septembri. Vidi siccam in eodem herbario.

*Explic.* tab. *h* Flos masculus auctus. *i* Involucrum. *k* Flos femineus.

*Obs.* Sloani planta certo certius differt ab *Acalypha Indica* Linnæi delineata tab. 81. vol. 10. horti Malavar. Rheed. ut ex tabularum collatione constat. Nostra pilosa est, Sloani glabra. ¿An forte varietas?

### ACALYPHA HIRTA. Tab. 569. fig. 3.

657. ACALYPHA foliis subrotundo-acutis, serrulatis, hirtis: spicis androgynis terminalibus: involucro subrotundo quinque-dentato. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 141.*

Planta præcedenti affinis, diversa tamen ut ex descriptionibus patet. Radix teres, flexuosa, descendens, fibris stipata, ex qua caulis prodit pedalis, ramis alternis, hirtis.

Folia præsertim superiora sunt sessilia, alterna, subrotunda cum acumine, vix pollicem longa, subserrata, pilis albicantibus hirta: stipulæ patentés, subulatæ, brevissimæ deciduæ.



Spica florum solitaria, terminalis, pedunculata, cuius superiorem partem masculi occupant, bracteolis distincti.

Involucrum subrotundum, plicatum limbo quinque-dentato.

Capsula pilosa, minuta. Reliqua ut in præcedente.

Habitat in Huanajuato oppido Novæ-Hispaniæ, floretque Septembri. Vidi in dicto herbario.

*Explic.* tab. l Flos femineus auctus cum Involucro expanso. m Calix.

## ACALYPHA GLANDULOSA. Tab. 570.

658. ACALYPHA foliis subcordatis, ovato-acutis, crenatis; subtus tomentosus: spicis petiolo subæqualibus. *Anales de hist. natur. vol. 2. pag. 141.*

Caulis duos tresve pedes altus, teres, subtomentosus, pilis glanduliferis tectus adeo minimis, ut non nisi lente vitrea conspiciantur.

Huiusmodi pili et glandulæ observantur in omnibus plantæ partibus, foliorum utraque pagina excepta, non limbo.

Folia alterna, basi nonnihil excavata, ovato-acuta, crenata, duos pollices longa, sesquipollicem fere ampla, supra viridia, subtus brevi tomento cana, sustentata petiolis pollicaribus: stipulæ subulatæ deciduæ.

Flores spicati, spicis axillaribus fere semper geminis, petiolo paulo longioribus, quandoque æqualibus, ut plurimum femineis: paucissimæ observantur spicæ androgynæ, quarum pars superior clavata apparet, bracteolis flores distinguentibus exertis.

Calix femineus tetraphyllus: germen globosum, villosum: styli tres rubentes, ramosi, involucro longiores. Involucrum subrotundum plicatum limbo septemcrenato.

Fructum non vidi.

Habitat in Nova-Hispania prope Salvatierra, ubi frequens est Arrachis hypogæa. Floret Octobri. Vidi siccam.

*Explic.* tab. a Flos femineus valde auctus.

*Obs.* Linnæus, Schreber aliique benemulti in plantarum generibus Acalyphæ dederunt *Semina maxima*: quod minus recte factum fuisse probant recentissimæ observationes. Plures enim ut vidimus sunt Acalyphæ species, quorum semina minutissima sunt. Quare supprimendum videtur in Acalyphæ caractere generico verbum illud *maxima*, quia naturæ minime consentaneum est.

## BUENA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix adhærens, persistens, dentibus quattuor.

Corolla monopetala, infundibuliformis; tubus cylindricus prope faucem incrassatus: limbus quadrifidus patens.

Staminum filamenta quattuor brevissima, ampliori tubi parti affixa: antheræ oblongæ, utrimque liberæ, e centro filamentis adfixæ; non exertæ.

Germen globosum, tetragonum: stylus filiformis corollâ brevior: stigmata quadrifidum.

(a) Floræ Peruvianæ et Chilensis auctores in Prodomo plantam evulgarunt COSMIBUENA nomine in honorem D. Cosimi Bueno summi Peruviæ Cosmographi, præclari medici, qui illarum regionum historiam topographicam et naturalem edidit (Prod.

pag. 10). Quia vero in primo eiusdem Floræ volumine genus suppresserunt, netantum nomen e Catalogo expunctum maneat, novum hoc genus ipsi nuncupamus. *Consulatur huius operis vol. 3. præfatio pag. 4.*



Drupa globoso-compressa, quattuor notata sulcis, quattuor feta nucibus in globum approximatis. Nux interne angulata, externe convexa, unilocularis, polysperma. Semina ovata, exasperata, minuta, affixa receptaculo iuxta angulum acutum nucis.

*Obs.* Genus post Gonzalaguniam Floræ Peruvianæ et Chilensis collocandum, cui adeo simile mihi videtur ut nullatenus ab ipso separassem nisi prædictæ Floræ auctores pericarpium *baccatum*, *cocculas quattuor continens* suo tribuissent. Si ulteriori examine aliquando constet (quod minime desperandum) eius fructum esse Drupam nucibus fetam, tunc alterum ex duobus nominibus erit suppressendum. *Cocculas* ipsi dixerunt *osseas et polyspermas*; quapropter pericarpium illud non semina nuda sed tecta continet, quod *Bacca* essentiæ adversatur iuxta Linnæi legem, scilicet, *Bacca est pericarpium farctum evalve, semina ceteroquin nuda continens*. Quam legem proculdubio probabunt memorati auctores qui pagina XXI præfationis Prodromi scripserunt: „In his omnibus Linnæi systema sexuale mor-  
dicus retinimus.”

### BUENA PANAMENSIS. Tab. 571.

659. BUENA foliis ovato-lanceolatis integerrimis: racemis terminalibus elongatis. *Anales de hist. natur. vol. 2. pag. 279.*

Caulis fruticosus, 5-7 pedes altus, ramis oppositis, obscure tetragonis, subtomentosis, ad foliorum oppositiones nonnihil incrassatis.

Folia ovato-lanceolata, acumine producto, integerrima, quattuor pollices longa, sesquipollicem ampla; supra viridia, pilisque sparsis brevissimis hirta, subtus glauca, brevique tomento vix nudis oculis conspicuo tecta, uninervia, nervo ramoso, sustentata petiolo fere semipollicari: stipulæ interfoliaceæ, subulatæ, basi amplæ et cordatæ, oppositæ.

Flores racemosi, racemis terminalibus, pedem aliquando longis in quibus fasciculi 2-5 flori fere, sedent sparsi, bracteolis subulatis suffulti: pedicelli proprii brevissimi.

Calix adhærens brevis, denticulis erectis.

Corolla villosa, luteo-rubens (in sicco): tubus gracilis, quattuor lineas fere longus: limbus dense villosus, laciniis ovatis.

Antheræ luteæ.

Drupa parva, lineæ fere diametri. Nuces apice acutæ: semina fusco-rubra, numerosa, minutissima.

Habitat iuxta Panamá in colle Lancón; in urbisque ditone *Iatropa gossypifolia*, *Scoparia dulcis*, *Duranta plumerii*, *Sauvagesia erecta*, *Epidendrum baynilla*, *Acrostichum aureum*, *Capraria biflora*, *Sida periplocifolia*, et *linifolia*, *Dalecampa scandens* &c. Florent Novembri. Vidi siccas in memorato herbario.

*Explic. tab. a* Flos. *b* Corolla aucta secta et expansa ut appareat staminum situs. *c* Germen.

*d* Drupa. *e* Drupa aucta. *f* Drupa usque ad medium excorticata ut appareant nuces.

*g* Drupæ, nucumque sectio. *h* Nux. *i* Huius sectio. *k* Semina.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Dum Parisiis agerem exemplar Americanum accepi a Domino Dupuy hac schedula notatum „*Planta rubiacea: ? an Ixora?* quæ quidem a descripta *Buena* nullatenus differt nisi copiosiori tomento, et hirsutie.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> His scriptis, quæ hispano Sermone iam antea evulgaveram in opere inscripto *Anales de Historia natural vol. 2. pag. 279* venerunt ad me Floræ Peruvianæ atque Chilensis Auctores, ut quæ secum adsportabant Gonzalaguniæ specimina cum mea *Buena* compararent, utque dubitationem omnem, in quam meum illud opus adduxisse eos videbatur, penitus sibimetipsis tollerent. Gratissimus equidem mihi fuit adsportatorum speciminum conspectus, quia eandem omnino in ipsis, ut prædixeram, fructificationem reperi, quam in *Buena* videram, quamque supra descripsi. Neque iniucundum memoratis auctoribus plantarum examen et comparatio fuit, quoniam perspicue conspexerunt Gonzalaguniam et *Buenam* specie differre, genere convenire. Ergo alterum ex his nominibus suppri-



mendum. ? Quodnam? Botanici dicent scientiæ canoñum iusti æstimatores. Consulatur huius operis vol. 3. præfatio; et meum opusculum cui titulus *Coleccion de papeles pag. 106, 196, 197.*

## ÆGINETIA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

Calix adhærens superne laciniis quattuor liberis persistentibus.

Corolla monopetala infundibuliformis: tubus cylindræus elongatus tenuis: limbus quadripartitus, laciniis ovatis, altera paulo maiore.

Staminum filamenta quattuor brevissima: antheræ oblongæ intra fauces corollæ ampliatas.

Germen ovatum subtetragonum: stylus filiformis non exertus: ? stigma?

Capsula infera, calicis laciniis coronata, ovato-compressa, sulcis duobus oppositis notata, umbilicata, bilocularis, apice rima transversali dehiscens. Dissepimentum rimæ contrarium. Receptacula ovata, solitaria in singulo loculamento. Semina imbricata minuta membrana circulari interne concava cincta, nigra.

Obs. 1.<sup>a</sup> Genus quasi medium inter *Ixoram* et *Hedyotidem*, a quibus differt seminibus imbricatis membrana cinctis.

Obs. 2.<sup>a</sup> *Hedyotidis* et *Oldenlandiæ* species corolla monopetala, a Linnæo et ab aliis botanicis descriptas, in unum coniunxit genus D. de Lamarck (b) *Hedyotidis* nomine. Innuerat id Schreber (c), nauci ducens characterem illum, a receptaculis desumptum, quo potissimo Gærtner (d) *Oldenlandiam* ab *Hedyotide* seiunxit. Auctoris ergo *Encyclopedici* vestigia premens *Hedyotidis* nomine sequentes plantas describam.

## ÆGINETIA LONGIFLORA. Tab. 572. fig. 1.

660. ÆGINETIA foliis lanceolatis oppositis: floribus subsolitariis terminalibus: stipulis ciliatis. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 130.*

Caulis fruticosus, tres pedes altus: rami oppositi subtetragoni, articulati, iterum iterumque ramosi.

Folia opposita, lanceolata, uninervia nervo utrimque ramoso, supra viridia, subtus glauca, pollicem et amplius aliquando longa, tres quattuorve lineas lata. Petioli breves tenues, basi iuncti vagina, inter ipsos utrimque in acumen ciliatum producta.

Flores subsolitarii terminales.

Calicis laciniæ lineares, 4-6 lineas longæ, vix semilineam latæ.

Corolla rubra (in sicco) ? an coccinea ut in *Ixora ternifolia*? Tubus gracilis duos pollices et amplius longus, versus faucem, ubi stamina recondita, incrassatus: limbus patens, profunde partitus in quattuor lacinias, octo fere lineas longas, tresque latas, quarum altera paulo maior, reliquis basi angustissimis.

Filamenta quattuor vix conspicua: antheræ sesquilineam longæ, media ipsarum parte veluti e centro filamentis affixæ.

Stylus longitudine tubi non exertus: ? stigma?

Capsula quinque lineas alta, umbilico prominente, vix tres lata: receptacula grani tritici magnitudine, undique tecta seminibus imbricatis, numerosis, lenticulam concavam reflectentibus, quarum membrana obscure crenata.

(a) Paulo *Ægineta* a patria sic dicto genus olim dicavit Linnæus, quod postea ad *Orobanche* retulit: in memoriam ergo illius antiquissimi scriptoris *Materiae medicæ*, novum hoc genus *Æginetiam* dicimus.

(b) *Illustration des Genres*. vol. 1. pag. 270-272.

(c) *Genera plantarum*: addenda et emendanda

„*Oldenlandia* vix differt ab *Hedyotide*; alterutra itaque excludi potest.”

(d) *De fructibus et seminibus plantarum* vol. 1. pag. 148. „Receptacula in *Oldenlandia libera*, ba- „si tantum dissepimento adnata: in *Hedyotide* vero, „receptacula dissepimento undique adnata.”



Habitat prope Queretaro et Huajuapam in Nova-Hispania, ibique Geranium incanum.  
Floret Octobri. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic. tab. a* Corolla longitudinaliter secta et expansa ut appareant stamina. *b* Capsula.  
*c* Capsulae sectio. *d* Receptaculum cum seminibus auctum. *e* Semina aucta, quorum aliud parte concava spectatum, aliud convexa seu externa.

### ÆGINETIA MULTIFLORA. *Tab. 572. fig. 2.*

661. ÆGINETIA foliis ovato-lanceolatis oppositis: stipulis acutis: capsulis transverse ovatis. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 131.*

Caulis suffruticosus, sesquipedalis, ramis oppositis.

Folia opposita, ovato-lanceolata acumine producto, uninervia, nervo ramoso, inferne subvillosa, octo fere lineas longa, duas tresve lata, sustentata petiolis brevibus, basi iunctis stipula interfoliacea acuta.

Flores terminales duo tresve, pedunculis propriis brevibus.

Capsula transverse ovata, grano piperis paulo maior, sulco profundo quasi didyma, umbilicata, coronata quattuor calicis laciniis acutis vix lineam longis, apice rima transversali dehiscens, bilocularis. Dissepimentum rimae contrarium. Receptacula ovata, solitaria in singulo loculamento. Semina imbricata omnino ut in praecedente cum qua habitat et fructificat.

Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic. tab. f* Capsula. *g* Dimidiata capsula cum receptaculis, quorum aliud nudum, aliud seminibus tectum. *h* Semen.

### HEDYOTIS OVATIFOLIA. *Tab. 573. fig. 1.*

662. HEDYOTIS subaculis: foliis ovatis, ciliatis, oppositis: florum paniculis dichotomis.

Radix teres sensim angustior, fibrosa.

Caulis vix trium linearum, tomentosus; quattuor aux sex foliis ornatus, quae sunt opposita, eorum alterum brevius, ovata, sesquipollicem longa, pollicem saepe lata, uninervia, nervo ramoso, superiore pagina viridia pilisque aliquot, inferiore albicantia, villosa, limbo ciliata. Petioli breves, tomentosi, basi subconnexi: stipulae oppositae, interfoliaceae, ovato-acutae.

Ex centro foliorum superiorum, quae semper sunt ceteris ampliora tres quattuorve pedunculi communes exsurgunt, tenuissimi, subvillosi duos saepe pollices longi, ibique incipit panicula sesquipollicaris, diffusa, ramulis dichotomis capillaribus. In dichotomiis stipulae 2-3 observantur, minimae, ovato-acutae.

Calix adhærens, turbinatus, apice denticulis quattuor liberis persistentibus.

Corolla dilute rosea (in sicco) vix lineam longa, calice multo maior, monopetala, cuius tubus cylindricus, et limbus partitus in quattuor lacinias lineari-acutas: faux imberbis.

Staminum filamenta quattuor corolla breviora, tubo infra divisuras inserta: antherae ovatae minimae, stantes.

Germen subrotundum adhærens: stylus simplex: stigma.....

Capsula parva, calicis denticulis dissitis coronata, subglobosa, glabra, didyma, bilocularis, apice rima transversali dehiscens. Dissepimentum rimae contrarium. Receptacula duo, in singulo loculamento, solitaria, libera, basi excepta qua dissepimenti parti inferiori inserta sunt. Semina numerosissima, vix oculis nudis conspicua, ferruginea punctis elevatis scabra.

Habitat in fundo Calávan undecimo a Manila lapide, ibique Hedyotis corymbosa (Oldenlandia Linnæi) Asplenium monanthemum, Achiranthos obtusifolia, Scoparia dulcis,



Melastoma agrestis et inæqualifolia, et Laurus cinnamomum, culta ibi magna copia. Floret Augusto. Vidi siccas in dicto herbario.

*Explic.* tab. *a* Corolla longitudinaliter secta et expansa. *b* Eadem aucta cum staminibus. *c* Capsula. *d* Eadem aucta. *e* Eiusdem sectio. *f* Semina. *g* Semen auctum.

*Obs.* Hedyotis corymbosa Indiæ orientalis foliis gaudet amplioribus; quæ vero in America venit, a Plumierio delineata, angustioribus. Hanc accepi a Domino Richard.

### HEDYOTIS DICHOTOMA. Tab. 573. fig. 2.

663. HEDYOTIS caule dichotomo: foliis oblongo-ovatis, subtus glaucis: pedunculis 1-3 floris.

Radix tenuis fibris capillaribus stipata, ex qua cauliculus herbaceus assurgit tenuis, ramis oppositis.

Folia ut plurimum ovata, inferiora sublanceolata, opposita, altero breviora, glabra, integerrima, uninervia nervo ramoso, subtus glauca, maiora vix pollice longiora, duas tresve lineas lata, sustentata petiolis brevibus, basi subconnatis, interposita utrimque stipula brevi acuta.

Flores in dichotomiis aut terminales: pedunculi dichotomiarum solitarii, trifidi, triflores, stipulis brevissimis ad trifurcationes; terminales vero bini, et aliquando tres, uniflori.

Calix ut in præcedente.

Staminum filamenta brevissima in tubo recondita: antheræ et reliqua omnino ut in præcedente.

Habitat in prædicto fundo Calavan ibique Hedyotis tenuifolia; in viciniis autem Canna indica, Malva angustifolia, Acrostichum spicatum, Pisonia aculeata, et Hibiscus populneus.

*Explic.* tab. *h* Corolla longitudinaliter secta et expansa. *i* Calix florifer auctus. *k* Capsula.

*Obs.* Hedyotis mea tenuifolia, pedunculis gaudet solitariis unifloris, attamen brevioribus quam in illa a Burmanno depicta fig. 1. tab. 14. Floræ Indiæ.

### HEDYOTIS MEDIA. Tab. 574. fig. 1.

664. HEDYOTIS herbacea foliis ovatis, mollibus: pedunculis axillaribus bi-trifloris.

Radices tenuissimæ, angulosæ, fibrillis stipatæ ex quibus caulis exsurgit gracillis vix semipedem altus; inferne ramostus ramis cauli similibus et subæqualibus.

Folia opposita, breviter petiolata, ovata, subtus glauca, inæqualia, 5-8 lineas longa, tres lata. Stipulæ interfoliaceæ, breves, acutæ.

Flores axillares, pedunculis capillaribus solitariis aut geminatis, tuncque altero breviora, apice bi-trifidis, bi-trifloris.

Calix adhærens parvus, apice dentibus quattuor acutis, liberis.

Corolla lineam longa, calice maior.

Reliqua ut in præcedente, capsula excepta quæ paulo maior est.

Habitat etiam in dicto fundo Calavan ibique Illecebrum lanatum; in fundi vero viciniis Bixa orellana, et Guazuma polybotra.

### HEDYOTIS MULTIFLORA. Tab. 574. fig. 2.

665. HEDYOTIS caule herbaceo sulcato ramoso: foliis ovato-oblongis: floribus paniculatis.

Caulis herbaceus, glaber, sulcatus, sesquipedem longus, declinatus, dichotomus.



Folia subsessilia, ovato-oblonga, apice breviter cuspidata, uninervia nervo ramoso, sesquipollicem sæpe longa tuncque quattuor lineas lata. Stipulæ interfoliaceæ, petiolos connectentes, acutæ.

Flores paniculati panicula ampla terminali, aliisque brevioribus axillaribus: panicularum ramuli oppositi, versus apicem ut plurimum trifidi, triflores, basi foliolis duobus brevissimis ornati.

Calicis dentes acuti, capsulam coronantes.

Capsulæ glabræ, lineæ diametri, ideoque maiores quam in præcedentibus. Flores non vidi.

Habitat in Amicorum insula Babao, ibique Urtica nivea, Urena sinuata, Mussanda frondosa, Athrodactylis spinosa vel Pandanus, Morusque papirifera. Fructiferam ibi reperit Ludovicus Nee Iunio et Iulio.

### HEDYOTIS LARICIFOLIA. Tab. 575. fig. 1.

666. HEDYOTIS caule suffruticoso: foliis linearibus acutis: floribus in dichotomiis, subpaniculatis.

Caulis suffruticosus vix pedalis, cinereus, valde ramosus, ramis tenuibus iterum ramosis nunc oppositis, nunc dichotomis.

Folia opposita, sessilia, linearia, acuta, limbo nonnihil revoluta, 3-4 lineas longa,  $\frac{1}{3}$  lineæ lata, e quorum axillis alia prodeunt breviora fasciculata. Stipulæ interfoliaceæ acutæ.

Flores in dichotomiis: pedunculus communis brevissimus, partiales 4-5, inæquales, uniflori.

Calix adhærens, turbinatus, dentibus quattuor liberis terminatus.

Corolla infundibuliformis, monopetala (rubro-fusca in sicco): tubus calice duplo longior: limbus quadripartitus, laciniis linearibus obtusis.

Staminum filamenta exerta corolla breviora, tubo infra divisuras inserta: antheræ ovato-oblongæ.

Germen adhærens, globosus: stylus corolla brevior: stigmata duo, lamellata stylo crassiora.

Capsula ovato-truncata, coronata calicis denticulis, glabra, didyma, bilocularis, apice rimâ transversali dehiscens, valvulis breviter bifidis. Dissepimentum rimæ contrarium. Receptacula oblonga, dissepimento adnata: semina fusca ovato-acuta, minuta.

Habitat in altissimis montibus Regni Chilensis vulgo *Cordillera*, floretque Ianuario. Vidi in dicto herbario.

*Explic. tab. a* Flos. *b* Idem corolla aucta, et longitudinaliter secta ut appareant genitalia. *c* Capsula. *d* Eadem aucta. *e* Huius sectio. *f* Semina.

### HEDYOTIS HYSSOPIFOLIA. Tab. 575. fig. 2.

667. HEDYOTIS caule suffruticoso: foliis linearibus: corymbis terminalibus.

‡ An Hedyotis thymifolia. *Floræ Peruv. et Chil. vol. 1. pag. 56. tab. 88. fig. a?*

Caulis suffruticosus, pedalis et ultra, inferne nudus, postea ramosus ramis erectis, obtuse tetragonis, villis aliquot brevissimis.

Folia opposita, sessilia, linearia, acuta, marginibus revolutis, glabra, pollicem longa, semilineam lata, e quorum axillis alia prodeunt fasciculata, breviora. Stipulæ interfoliaceæ ovatæ acutæ apice setulis duabus brevissimis terminatæ.

Flores corymbosi, terminales: ramuli brevissimi dichotomi; in dichotomia flos semper solitarius, in ramulis terminalibus ut plurimum bini.

Corolla paulo maior quam in præcedente; filamenta vero breviora: stylus longitudine tu-



bi: stigmata duo lamellata crassiuscula. Semina glabra, nigra, ovato-acuta, maiora quam in congeneribus mihi notis. Reliqua ut in præcedente.

Habitat propo Coquimbo in Regno Chilense, et in ditionibus Guamantangæ et San Buenaventura in Regno Peruviano, hinc Geranium moschatum, Waltheria ovata, Weimannia pinnata, Passiflora cærulea, minima, normalis et foetida. Florent Iulio. Vidi siccas in eodem herbario.

*Explic.* tab. g Flores duo. h Flos auctus sectus et expansus ut genitalia appareant. i Capsula. k Semina. l Semen auctum.

### NEPETA MARIFOLIA. Tab. 576.

668. NEPETA foliis ovato-oblongis, subtus albicantibus, subintegris: pedunculis axillaribus, dichotomis, in racemos breves digestis. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 192.*

Melissa cretica. *Lamarck dict. vol. 4. pag. 79.*

Melissa fruticosa. *Observ. sobre el Reyno de Valencia vol. 1. pag. 79.*

Radix fusciformis, fibris stipata, perennis.

Caulis sesquipedalis, tetragonus, pulvere albicante adpersus: rami oppositi, cauli similes, annui.

Folia opposita, breviter petiolata, ovato-oblonga, 3-5 lineas longa, integra, aliquando etiam utrimque dentata, superiore pagina glauco-viridia, inferiore albicantia, punctisque fuscis excavata.

Flores axillares, pedunculis brevibus, solitariis, oppositis, apice bibracteatis, ibique in duos racemos capillares partitis: in dichotomia flos solitarius; in unoquoque racemo fere quattuor, unilaterales, pedunculis brevissimis sustentati, ad quorum basim bracteola existit.

Calix cylindricus, vix semilineam longus, decemstriatus, apice quinquedentatus denticulis æqualibus, cuius faux villis clausa quando fructus existit.

Corolla calice triplo maior, lactea, punctis violaceis circa faucem variegata, ibique subvillosa: tubus curvus, versus apicem ampliatus: limbus bilabiatus: labium superius concavum erectum emarginatum; inferius dependens, tripartitum, lacinia media maiore, subrotunda, crenata.

Staminum filamenta quattuor, alba, subulata, sub labio superiore; duo ceteris breviora: antheræ subreniformes.

Germen liberum quadripartitum: stylus staminum longitudine: stigma arcuatum inæqualiter bifidum.

Semina ovata, glabra.

Habitat in montibus et collibus regni Valentini, floretque Iulio et Augusto. Vernacule *Poliól blanc*; quo nomine ab alia planta huic simillima distinguitur, *Poliól negre* ibi nominata a fusco foliorum colore.

*Explic.* tab. a Flos. b Idem auctus. c Corolla aucta antice spectata. d Calix auctus longitudinaliter sectus. e Stamen. f Calix semina fovens. g Semina aucta. h Folium auctum.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Hæc est altera ex quattuor plantis, quæ exsiccata et in subtilissimum pulverem redacta præstantissimum remedium prophylacticum præbent contra morsum a rabido cane inflictum. Consulantur. *Anales de hist. nat. vol. 2. pag. 178.*

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Huic plantæ, ut vidimus, calicis faux est villis clausa; attamen non ideo ad Thymum reducenda: alioquin Cunila, Scordium spinosum, aliæque stirpes quibus calicis faux impervia est villorum copia, ad Thymum forent revocandæ.



TEUCRIUM HETEROPHYLLUM. *Tab. 577.*

669. TEUCRIUM fruticosum foliis ovato-oblongis integris, vel trilobatis: floribus axillaribus solitariis.

Teucrium. *Née herbar. cum Icone.*

Caulis fruticosus, tetragonus, fere orgyalis: rami oppositi, cauli similes, subvillosi.

Folia opposita, sessilia, ovato-oblonga, obtusa; nunc integerrima, nunc trilobata, lobis lateralibus brevioribus: hæc sunt paulo latiora, et in eorum axillis existunt flores: maiora vix pollice longiora.

Flores axillares, solitarii, oppositi, pedunculis calice brevioribus.

Calix monophyllus, turbinatus, semiquinquepartitus, laciniis acutis æqualibus.

Corolla monopetala ringens, subtus villosa: tubus cylindricus, brevis, in faucem incurvatam desinens: labium superius erectum, ultra basin partitum in duas lacinias divergentes lineares obtusas albas; labium inferius triplo longius, dependens, rubro-violaceum limbo albo, trifidum, laciniis lateralibus figura labii superioris; media maxima, ovata, utrimque unicrenata.

Staminum filamenta virido-violacea, didyma, arcuata, labio superiore duplo et amplius longiora: antheræ ovatæ, flavæ.

Germen liberum quadripartitum: stylus filiformis situ et magnitudine staminum: stigmata duo divergentia tenuia.

Semina quattuor subrotunda, in fundo calicis.

Habitat in Talcahuano urbis Chilensis ditione, ibique Mimulus luteus, Hedyotis filiformis, Convolvulus hermanniæ, Buttneria cordata, Colletia. Florent Novembri et Decembri. Vidi siccas.

*Explic. tab. a* Calix longitudinaliter sectus et expansus, in cuius fundo germen. *b* Corolla cum staminibus. *c* Semina.

## RIZOA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

Calix liber, tubulosus, striatus, quinquedentatus, persistens.

Corolla tubulosa, bilabiata: tubus elongatus sensim amplior: labia brevia, æqualia; superius elongato-erectum, trifidum; inferius dependens bifidum.

Staminum filamenta tubo breviora, basi ipsius inserta, quorum duo longiora: antheræ ovatæ.

Germen quadrifidum: stylus tubo longior: stigmata duo setacea divergentia.

Semina quattuor nuda, ovata, in fundo calicis.

*Obs.* Huius generis character differentialis erit: calix tubulosus quinquedentatus dentibus æqualibus: tubus corollæ elongatus labiis æqualibus superiore trifido, inferiore bifido: et stamina non exerta.

RIZOA OVATIFOLIA. *Tab. 578.*

670. RIZOA herbacea foliis ovatis serratis: floribus paniculatis axillaribus. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 133.*

Caulis herbaceus, tetragonus, glaber, sesquipedalis: rami oppositi, cauli similes.

Folia opposita, ovata, serrata, serraturis sæpe obtusis et aliquando oblitteratis, superiore

(a) Genus dicatum Salvatori Rizo, qui Bogotanam Mutisii Floram, pinxit.



pagina viridia , inferiore glauca , octo-quattuordecim lineas longa ; sustentata petiolis duarum linearum.

Flores paniculati , paniculis brevibus , dichotomis , axillaribus , oppositis , solitariis aut geminis : ad dichotomias bractearum duarum subulatarum breves.

Calix viridis duas lineas longus , apice quinque-dentatus , denticulis acutis æqualibus.

Corolla dilute rosea , fere pollicem longa : labia vix sesquilineam longa ; dentibus labii inferioris obtusis , omnibus brevibus.

Filamenta dilute rosea : antherarum roseo-fuscarum.

Germen minimum : stylus capillaris : semina ovata.

Habitat in San Carlos de Chiloe , floret et fructificat Februario. Vidi siccam et accuratissimam Iconem apud D. Ludovicum Née.

*Explic.* tab. a Corolla. b Calix. c Idem longitudinaliter sectus et expansus. d Corolla cum staminibus. e Semina.

## MITRARIA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix duplex , uterque monophyllus et persistens : exterior mitriformis , altera parte usque ad basim fissus , opposita vero usque ad mediam ipsius longitudinem , prominentibus duabus laciniis ovatis concavis : interior exteriori fere æqualis , profunde partitus in quinque lacinias inæquales , lineari-acutas.

Corolla monopetala tubuloso-ventricosa : tubus teres calice longior , postea amplior ventricosus ; faux tubo angustior , pervia : limbus brevis , patens , bilabiatus : labium superius bifidum laciniis obtusis ; inferius profundissime trifidum , laciniis ovatis obtusis.

Staminum filamenta quattuor subulata , didyma , corolla longiora , tubi basi inserta , et rudimentum quinti : antherarum ovatarum , didymarum.

Germen liberum ovatum : stylus subulatus staminibus paulo longior : stigma crassiusculum.

Pericarpium : bacca succulenta , unilocularis. Semina numerosa , oblonga , nitida , nidulantia.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Huius generis character differentialis consistit in calice duplici , et in corolla tubuloso-ventricosa , staminibus brevioribus.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Quæ de pericarpio dixi , ex Ludovici Née manuscriptis mutuavi.

## MITRARIA COCCINEA. Tab. 579.

671. MITRARIA caule fruticoso : foliis ovato-acutis , serratis : floribus axillaribus sub-solitariis. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 231.*

Caulis fruticosus , scandens : rami oppositi , obscure tetragoni , subvillosi , debiles , et veluti articulati.

Folia opposita , aliquando terna , ovato-acuta , et plerumque ovato-oblonga , serrata , superiore pagina viridia , pilisque aliquot ; inferiore glauca , pollicem et amplius longa : petioli sesquilineares.

Flores axillares ut plurimum solitarii , aliquando bini , raro terni , pedunculis incurvatis , sæpe pendulis , pollicem fere longis , versus florem incrassatis , et exasperatis.

Calix exterior viridis villosus , duas lineas altus : interior glaber.

Corolla saturate coccinea sesquipollicem longa ; cuius venter tubo duplo longior et amplior : labia æqualia , laciniis sesquilineam longis.

(a) A calicis exterioris figura MITRARIAM nuncupavi.



Filamenta dilute coccinea subulata, recta, exerta, quinto excepto, quod rudimentum est, sterile: antheræ luteæ.

Germen viride: stylus coccineus.

Fructum perfectum non vidi: attamen ex Ludovici Née descriptione est bacca succulenta, seminibus feta numerosis oblongis nitidis, nidulantibus.

Habitat floretque cum præcedente. Vidi siccam, Iconem, et descriptionem apud laudatum Née.

*Explic.* tab. *a* Calix exterior, et super ipsum corolla. *b* Idem calix expansus. *c* Calix interior. *d* Idem expansus. *e* Genitalia. *f* Germen fecundatum auctum.

### BIGNONIA FULVA. Tab. 580.

672. BIGNONIA fruticosa foliis impari-pinnatis, pinnulis cuneato-ovatis, serratis: florum racemis axillaribus.

*Bignonia. Née herbar. cum Icone. vulgo Chuvé.*

Caulis orgyalis et ultra, cuius cortex glaber et fusco-violaceus: rami tetragoni, villosi, præsertim teneri.

Folia ut plurimum sparsa, aliquando fasciculata, nonnumquam etiam subopposita, impari-pinnata, pinnulis crassis, sessilibus, oppositis, 17 numero plus minusve, cuneato ovatis, inferne integris, versus apicem serratis, unam aut tres lineas longis, teneris villosis: petiolus basi nonnihil incrassatus, inferne nudus, ubi pinnulas sustinet alatus, articulis oblongo-ellipticis.

Flores racemosi, racemis solitariis, axillaribus: pedunculi partiales breves, bibracteati, ad bracteam axillares, uniflori.

Calix tubulosus, villosus, nonnihil purpureus, apice quinquentatus, dentibus acutis.

Corolla interne lutea, externe fulva, sesquipollicem et amplius longa: tubus calice longior, sensim versus faucem ampliatus, subtusque ventricosus: limbus quinquepartitus, laciniis ovatis apiculo brevi, sesquilineam longis.

Staminum filamenta quinque, fulva, basi tubi interne adfixa; quorum unum vix pollicem longum, castratum; reliqua didyma tubi fere longitudine, non exerta: antheræ oblongæ et veluti duplicatæ, loculis reflexis divergentibus, luteis.

Germen globoso-truncatum: stylus filiformis staminibus paulo longior: stigma viride, ovatum, incrassatum, ex duabus lamellis adpressis.

Fructum non vidi.

Habitat in siccis arenosis itineris *del Valle* portus Aricæ in confinio Regio Peruani, ibique *Mimosa Ingha*, *Cyperus mucronatus*, *Musa paradistica*, *Solanum peruvianum*, *Acrostichum trifoliatum*, et *Heliotropium curassavicum* vulgo *Yerba del Vidrio*. Florent Maio. Vidi siccas et memoratam Iconem apud D. Ludovicum Née.

*Explic.* tab. *a* Corolla longitudinaliter fissa ut appareant genitalia, ad cuius latus calix magnitudine naturali. *b* Germen, stylus, et stigma. *c* Folia pars aucta.

*Obs.* Fructus dicente Ludovico Née est siliqua bivalvis quinque aut sex pollices longa, fere ut in *Bignonia* stante; semina alata.

### BIGNONIA? LONGIFLORA. Tab. 581.

673. BIGNONIA? foliis binatis, lanceolatis, integerrimis: petiolo communi in cirrhum monophyllum desinente: floribus terminalibus.

Caulis longus, teres, scandens.

Petioli communes oppositi, vix semipollicares, terminati cirrho monophyllo tres pollices longo, apice in spiram convoluto: partiales breves bini, totidem folia sustententes lanceo-



lata, integerrima, uninervia, nitida, duos tresve pollices longa. Ex axillis alia prodeunt petiolis brevissimis non cirrhosis, suntque ovata, 2-4 lineas longa, in verticilli formam expansa.

Flores magni, terminales, pedunculis communibus bi-trifidis, pollicaribus.

Calix monophyllus, tubulosus, duas lineas longus, apice obscure quinquentatus.

Corolla infundibuliformis, tres pollices et amplius longa, coccinea: tubus versus basim calice angustior, postea ad faucem usque ampliatus, interna superficie croceus: limbus bilabiatus; labium superius erectum, profunde emarginatum, lobis obtusis; inferius usque ad faucem tripartitum, laciniis ovato-oblongis divergentibus.

Staminum filamenta quattuor, subulata, tubo longiora, huiusque parieti inserta, semipollicari a calice distantia; illorum duo longiora, omniaque sub labio superiore corollæ: antheræ oblongæ et veluti duplicatæ, loculis luteis divergentibus.

Germen ovatum: stylus subulatus, staminibus paulo longior: stigma luteum ovato-oblongum, ex duabus lamellis compositum.

Fructus. . . . .

Habitat in Guayaquil, ibique *Pectis multifida*, *Passiflora quadrangularis*, *Castilleja fissifolia*, et *Bignonia* vulgo *Roble de Guayaquil* quæ videtur *Bignonia robur* Lemarck dict. vol. 1. Florent Octobri. Vidi si~~ca~~as in memorato herbario.

*Explic.* tab. a Calix.

*Obs.* Hæc planta quam cum dubio ad Bignoniam retuli fructus defectu, variat petiolis muticis, præsertim quum foliis gaudet simplicibus, qualia depinxit Guio in tabula num. 8 quam vidi apud D. Née.

## DICHROMA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix profundissime quinquepartitus, laciniis lineari-acutis, persistentibus.

Corolla tubulosa, bilabiata: tubus cylindræus calice multoties longior: limbus patens cuius labium superius profunde emarginatum lobis obtusis; inferius trifidum laciniis divergentibus emarginatis.

Staminum filamenta quattuor, subulata, longitudine tubi, per faucem prominula, basi que tubi inserta, didyma: antheræ ovatæ.

Germen liberum, ovatum: stylus filiformis: stigma obtusum.

Capsula ovata, bilocularis, apice in duas valvulas dehiscens. Dissepimentum valvulis contrarium. Receptacula dissepimento hinc inde adnata, plana, foveolis excavata, ubi infixæ semenina, quæ sunt numerosissima, minuta, ovata, glabra.

*Obs.* Genus *Dodartia* affine a quo differt calice, stigmatæ, et dissepimento valvis contrario.

## DICHROMA COCCINEA. Tab. 582.

674. *DICHROMA* foliis radicalibus cordatis, ovatis, crenatis, subtus violaceo-rubris: floribus laxè paniculatis. *Anales de ciencias naturales* vol. 3. pag. 233.

Planta herbacea, villosa, cuius radices tenues fibrosæ quattuor pollices et amplius longæ.

Folia radicalia cordata, ovata, crenata, tres pollices longa, duos ampla, superiore pagina viridia, inferiore violaceo-rubra et villosa, sustentata petiolis crassis longioribus, inter quos caulis exurgit obscure tetragonus villosus, violaceo-purpureus, octo pollices sæpe altus, et nudus: ibi incipit panicula, ad cuius bifurcationes foliola duo opposita sessilia dentato-laciniata.

(a) Nomen desumptum a duplici foliorum colore.



Pedunculi partiales pollicares uniflori.

Calix virido-ruber, laciniis sesquilineam longis.

Corolla saturate coccinea, pulcherrima: tubus pollicem et amplius longior; labia trium linearum.

Staminum filamenta violaceo-rubra: antheræ luteæ.

Capsula duas tresve-lineas longa. Semina ferruginea nitida.

Habitat in humidis et umbrosis Sancti Caroli de Chiloe, floret et fructificat mense Februario. Ibi eam descripsit et accurate æque ac nitide vivis coloribus pingi curavit laudatus peregrinator. Vidi siccam et Iconem.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Tubi expansi pars cum staminibus. *c* Germen, stylus, stigma. *d* Capsula. *e* Eadem dehiscens. *f* Huius sectio. *g* Dissepimentum cum receptaculo et seminibus. *h* Semina multoties aucta.

## CASTELIA. (a)

### CHARACTER GENERICUS.

Calix liber, persistens, tubulosus, quinquesulcatus, quinquedentatus.

Corolla monopetala, bilabiata: tubus curvus, calice longior: faux pervia: limbus patens: labium superius bifidum; inferius longius, trifidum, laciniis omnibus obtusis; media longiore.

Staminum filamenta quattuor, brevia, tubo prope faucem inserta, quorum duo altiora: antheræ ovatæ.

Germen liberum, ovatum: stylus staminibus altioribus paulo brevior, filiformis, apice curvus: stigma transverse ovatum.

Fructus intra calicem ampliatus, estque ovato-acutus ex duabus nucibus compositus quæ sese tangunt superficie plana.

Nux quælibet bilocularis. Semina in loculamentis solitaria oblonga, teretia. Integumentum duplex, exterius ligneum durissimum; interius tenuissimum rufescens.

(a) Genus dicatum Ioanni de Deo Castél, delineatori peritissimo, Petri Loëflingii itineris in Orinocum socio.

*Obs.* In ITINERIS HISPANICI præfatione nonnulla irrepsere menda, non Linnæo tribuenda, sed aut depravatis codicibus, aut ignorantia illorum qui Loëflingii acta ipsi communicarunt. Nunc vero a Brunone Carmona edoctus, probatæ fidei viro, qui dicti itineris et socius et delineator exstitit, aliqua emmendabo, et primo quidem geographica nomina. Ægrotavit Loëflingius non *Merercuri* ut Linnæus scripsit, sed *Murucuri* oppido, quod iuxta Caroni fluvium iacet haud longe ab huius et Orinoci confluentem. Diem vero supremum obiit non *Curoni*, sed Caroni oppido, fluvii cognomine. Utrumque ad Cumanam præfecturam Guayræ provinciæ pertinet in Capuccinorum missionibus.

Secundo. Memorati Itineris delineatores fuerunt Ioannes de Deo Castél et Bruno Salvator Carmona, qui plantas, pisces, aliaque ad historiam naturalem spectantia dirigente Loëflingio pinxerunt in

America, quique in Hispaniam reducti anno 1761 iussi sunt, primo Castél, et post huius obitum Carmona, inde adportatam gazam, magna ibi charta depictam, ad commodam breviorisque formam redigere. Optimum equidem consilium: verumtamen in scientiæ detrimentum nescio quo fato infructuosum; non Carmonæ incuria qui novemdecim annorum spatio iussa exequi concupivit, sed Professoris cuiusdam negotiis. Quos vero Linnæus delineatores dixit Iosephum Santos, scilicet, et Franciscum Lagarza, eos tamquam geographos expeditioni designatos fuisse constat, qui aut maris pericula, horridosque Americæ tractus timentes; aut quod certius videtur præfecti de Iturriaga iussa nolentes exequi, clam e Gadibus in Matritum aufugerunt ubi defectionis pœnas dedere.

Hydropisi ægrotabat Carmona ultimo Decembri quum eum adivi die 7; tuncque coram Ludovico Née memorata mihi communicavit. Ingravescente vero in dies infirmitate animam tandem egit Matriti die 10 Ianuarii anni 1801.



## CASTELIA CUNEATO-OVATA. Tab. 583.

675. CASTELIA foliis cuneato-ovatis dentatis, crenatisque, oppositis, petiolatis: caule herbaceo: floribus racemosis terminalibus. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 134.*  
 Caulis sesquipedalis, herbaceus, tetragonus, glaber.  
 Folia opposita, petiolata, cuneato-ovata, superiora serrata aut dentata, inferiora crenata, sesquipollicem longa, pollicem lata, glabra, uninervia, nervo utrimque ramoso.  
 Flores racemosi, racemo terminali, verticillatim fere positi; sessiles ad bracteam brevem lanceolatam.  
 Calix duas lineas longus dentibus subulatis, fructifer ventricosus.  
 Corolla in sicco luteo-rubra: limbus 3-4 lineas amplus.  
 Filamenta capillaria: antheræ luteæ.  
 Fructus piperis grani magnitudine, apice acutus, bifariam sponte dehiscens in duas nucas ligneas extus convexas, intus planas.  
 Reliqua ut in caractere generico.  
 Habitat prope Mendozam urbem et in Buenos-Ayres planitie ibique Sida frutescens, Tetragonia herbacea, et fructicosa. Florent Maio ☉. Vidi siccas in memorato herbario.  
*Explic.* tab. *a* Calix expansus. *b* Idem clausus. *c* Corolla. *d* Eadem aucta et expansa ut appareant flamina. *e* Filamentum auctum. *f* Germen auctum. *g* Fructus intra calicem. *h* Idem calice denudatus. *i* Idem auctus. *k* Huius sectio. *l* Nucis sectio. *m* Nucis superficies plana.

## GESNERIA TUBIFLORA. Tab. 584.

676. GESNERIA foliis oppositis, ovatis, crenulatis, tomentosis: floribus coccineis tomentosis, axillaribus, geminis, ternisque.  
 Caulis herbaceus, tetragonus, sesquipedalis, tomentosus.  
 Folia opposita, petiolis multoties longiora, ovata cum acumine, crenulata, tomentosa pagina præsertim inferiore, et albicantia; superiore viridia, sesquipollicem sæpe longa.  
 Flores duo aut tres in unaquaque axilla, pedunculis inæqualibus, petiolo longioribus.  
 Calix tomentosus, adhærens, supra quinquepartitus, laciniis lanceolatis liberis persistentibus.  
 Corolla coccinea, tomentosa, pollicem et amplius longa, tubuloso-ventricosa, recta: faux coarctata, pervia: limbus minimus, quinquecrenatus, crenulis divergentibus.  
 Staminum filamenta quattuor, coccinea, subulato-capillaria, superne incurva, basi corollæ inserta, ibique ampliata; duo ceteris altiora, corollæ fere longitudine: antheræ ovatæ biloculares, luteæ.  
 Germen adhærens, ovatum, cinctum squamulis quinque obtusis minimis, quæ cum calicis laciniis alternant. Stylus filiformis staminum longitudine. Stigma ovatum, ex duabus lamellis constans, ovatis concavis, post fecundationem divergentibus.  
 Capsula ovata, calice sibi adnato corticata, eiusque dentibus infra apicem coronata, unilocularis, bivalvis, valvulis dorso sulcatis, apice dehiscentibus. Receptacula duo opposita, fungoso-lamellosa, parietibus capsulæ adnata, innumeris seminibus tecta. Semina sunt minutissima, fusca, linearia.  
 Habitat passim in Panamensi ditione, ubi Scoparia dulcis, Dorstenia palmata, Russelia sarmentosa, Capraria biflora, Hypomane manzanillo, Gleditzia triacanthos, Combretum laxum. Florent Novembri. Vidi siccas in memorato herbario.  
*Explic.* tab. *a* Corolla longitudinaliter secta et expansa ut conspiciantur stamina. *b* Germen. *c* Stamen auctum. *d* Stigma auctum. *e* Fructus. *f* Idem calice denudatus. *g* Capsulæ valvula cum seminibus et corticis sibi respondentis parte. *h* Capsulæ sectio transversalis ut appareant receptacula. *i* Semina. *k* Eadem aucta.



GESNERIA VERTICILLATA *Tab. 585. fig. 1.*

677. GESNERIA caule herbaceo: foliis ovatis, crenulatis, subsessilibus, supra hispidis: verticillis multifloris.

Caulis tetragonus, herbaceus, villosus, 8-10 pollices altus.

Folia opposita, subsessilia, ovata, crenulata, pollicem vix longa, supra hispida viridia, subtus tomentosa cinerea.

Flores numerosi in verticillis axillaribus: pedunculi uniflori, quattuor lineas longi, villosi. Corolla coccinea, villosa, tubuloso-urceolata, tres lineas longa: faux coarctata, pervia: limbus patens, brevis, quinque-crenatus, crenulis rotundatis.

Filamenta erecta, corolla paulo breviora.

Reliqua ut in præcedente, attamen triplo minora.

Habitat inter Guarandam et Chimborazo. Floret Octobri. Ex eodem herbario.

*Explic.* tab. *a* Corolla expansa cum staminibus. *b* Stamen auctum. *c* Germen, stylus, stigma aucta. *d* Fructus. *e* Idem calicinis laciniis orbatus, et dehiscens. *f* Capsula aucta. *g* Dimidiata capsula interne spectata. *h* Capsulae sectio transversalis. *i* Semina. *k* Eadem aucta.

*Obs.* Corollae figura variat in hoc genere, in Gesneria humili corolla est incurva recurvaque, in *G. acauli* urceolata, in aliis ventricosa plus minusve tubulosa.

RUELLIA DULCIS. *Tab. 585. fig. 2.*

678. RUELLIA foliis ovatis, integerrimis, petiolo sæpe brevioribus: pedunculis axillaribus solitariis, multifloris.

Canchelahua dulce, vulgo. *Née herbar.*

Radices filiformes sparsæ, ex quibus cauliculus vix trium linearum exurgit, sex aut octo foliis vestitus per paria oppositis, quæ sunt ovata, integerrima, sex aut octo lineas longa, sæpiusque breviora petiolis villosis.

Florum pedunculi axillares, solitarii, petiolis breviores, sustinentes apice spiculam 4-5 florum, qui sunt per paria oppositi, sessiles ad bracteam lanceolatam, ipsis fere æqualem.

Calix monophyllus, profunde partitus in quinque lacinias subulato-lineares erectas.

Corolla rubicunda, monopetala, infundibuliformis: tubus gracilis superne amplior, tres lineas longus: limbus patens quinquepartitus, laciniis rotundatis venosis.

Staminum filamenta capillaria, brevía, in dilatatione tubi posita, quorum duo altiora: antheræ ovatae.

Germen liberum turbinato-ovatum: stylus filiformis: stigma incrassatum.

Capsula ovato-oblonga, inferne angustior, duas lineas longa, bilocularis, bivalvis. Dissepimentum valvulis oppositum, longitudinaliter bipartibile, elastice dehiscens. Semina quattuor minuta, orbiculato-compressa.

Habitat prope Talcahuano urbem Chilensem, ibique Salpiglosis sinuata, Sauvagesia erecta. Florent Februario. Vidi siccas in dicto herbario.

*Explic.* tab. *l* Corolla. *m* Calix. *n* Capsula clausa. *o* Eadem dehiscens. *p* Semen.

RUELLIA AUSTRALIS. *Tab. 586. fig. 1.*

679. RUELLIA caule filiformi herbaceo: foliis ovato-oblongis, petiolatis: floribus axillaribus, solitariis, sessilibus.

Ruellia. *Née herbar.*

Caulis pedales, graciles, subvillosi.



Folia opposita, internodis breviora, ovato-oblonga, integerrima, petiolis longiora, fere pollicaria.

Flores axillares, solitarii, sessiles, bracteis duabus lanceolatis oppositis suffulti.

Calix profunde quinquepartitus, laciniis subulatis, conniventibus.

Corolla rubella (sic videtur in sicco) monopetala, infundibuliformis, semipollicem longa: tubus calice longior, basi angustus, prope limbum ampliatus: limbus patens profunde quinquepartitus laciniis rotundatis.

Staminum filamenta quattuor, in dilatatione tubi posita, quorum duo altiora: antheræ ovatæ.

Germen liberum, oblongum: stylus capillaris: stigma incrassatum oblongum, basi setula brevissima auctum.

Capsula tres lineas longa, semilineam lata: semina octo: reliqua ut in congeneribus.

Habitat in Sinu Botanico Novæ-Hollandiæ, hicque Mimosa botrycephala, et linifolia, Bossiæa heterophylla. Vidi siccas in memorato herbario. Florent Aprili.

*Explic.* tab. *a* Corolla nonnihil aucta et expansa ut appareant stamina. *b* Calix. *c* Germen. *d* Capsula dehiscens.

### RUELLIA MICROPHYLLA. Tab. 586. fig. 2.

680. RUELLIA caule prostrato: foliis ovatis minutis: floribus axillaribus solitariis ebracteatis.

Ruellia. *Née herbar.*

Radix fusciformis, fibrosa ex qua caules prodeunt tenues, sex plus minusve pollices longi, ramosi, ramulis tenuissimis oppositis.

Folia petiolis longiora, ovata, integerrima, duas lineas longa.

Flores solitarii, sessiles, axillares, bracteis orbatî, paulo breviores quam in præcedente et pallidiores.

Calicis lacinia minus profundæ et paulo ampliores quam in præcedente, quarum apices subulati, partesque inferiores barbatae sunt.

Capsula calice paulo brevior. Semina quattuor.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in oppidis Chalma, San Miguel, aliisque Novæ-Hispaniæ. Floret Augusto, ibique Castilleja integrifolia, Chelone campanulata, Bignonia radiata, Buttneria tereticaulis, Quercus microphylla, magnoliæfolia, lutea, diversifolia, circinata, macrophylla, rugosa, &c. Vidi siccas in eodem herbario.

*Explic.* tab. *e* Corolla longitudinaliter fissa et revoluta ut appareat situs et magnitudo staminum. *f* Calix. *g* Idem auctus. *h* Germen auctum. *i* Capsula intra calicem. *k* Eadem dehiscens.

### ASPHODELUS TENUIFOLIUS. Tab. 587. fig. 2.

681. ASPHODELUS foliis subulatis brevibus: caule nudo: floribus minutis. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 46.*

Radices ramosæ fibrosæ.

Caulis teres pedalis, basi nudus, postea uno alterove ramo ornatus, terminatus tandem spica longa florida.

Folia radicalia, subulata, teretia, graciliora quam in Stipa tenacissima, subvillosa, tres pollices longa.

Flores spicati: pedunculi partiales erecti, sesquilineares, ad bracteam axillares, pedunculo breviorum.

Petala sex candida, ovata, sesquilineam longa.



Staminum filamenta sex, subulata, basi ampliata in foveolas quibus germen tegitur.  
Capsula globosa, multoties minor quam in *Asphodelo fistuloso*, trilobularis, trivalvis, loculis 1-2 spermis.

Habitat iuxta Mogador in Africa; communicata a D. Broussonet.

*Explic.* tab. *d* Petalum. *e* Capsula. *f* Semen.

*Obs.* Planta affinis *Asphodelo fistuloso* in hoc opere descripto, diversa tamen ut ego quidem arbitror.

### MELANTHIUM GRAMINEUM. Tab. 587. fig. 1.

682. MELANTHIUM acaule, foliis imbricatis gramineis: floribus sessilibus. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 50.*

Melanthium. Broussonet herb.

In exemplari quod a laudato Broussonet accepi bulbus exsistit ovatus semipollicem longus, basi amplior, et inferne coronatus radicibus albis filiformibus, inter quas duo ulterius bulbi, præcedenti similes, nascuntur dependentes, divaricati. Omnes sunt vestiti tunicis quarum apices collum efformant, qua duo tresve caules prodeunt subterranei, pollicem longi, inferne graciles, sensimque ampliores propter foliorum vaginas.

Folia radicalia, gramineis similia, tres pollices longa, lineam lata, acutissima, canaliculata basi imbricata, patentia, in quarum centro flores sedent duo aut plures, luteo-albi (in sicco).

Petala sex, lanceolata, longitudinaliter venosa, pollicem et amplius longa, duas lineas lata, stamifera.

Staminum filamenta sex, inferiori tertiæ petali parti inter duo puncta inserta, petalis breviora: antheræ luteæ, ovatæ, sulco longitudinali veluti didymæ.

Germen in petalorum centro, ovato-acutum: styli tres, rubentes, divergentes.

Habitat in viciniis Mogador. Broussonet communicavit.

*Explic.* tab. *a* Petalum et stamen aucta. *b* Germen et styli magnitudine naturali.

### MELANTHIUM PUNCTATUM. Tab. 588. fig. 1.

683. MELANTHIUM acaule, foliis imbricatis, carinatis, lanceolato-acuminatis, floribus sessilibus; petalis punctatis. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 49.*

Melanthium. Broussonet herb.

Bulbus solitarius, ovatus, tunicatus, tunica externa fusca, superiore parte lacera, qua caulis prodit bipollicaris, subterraneus, terres, versus apicem et prope terræ superficiem in crassatus vaginis foliorum.

Radices oriuntur ex bulbi parte inferiore suntque fibrosæ, albicantes.

Folia radicalia, 6-8, tres quattuorve pollices longa, pollicem lata ubi ampliora prope basim scilicet, unde ad apicem acutissimum usque sensim angustiora, carinata, lineata, patentissima.

In foliorum centro flores sedent tres aut plures.

Petala sex, rubentia (in sicco), punctis vividioribus notata, lineisque longitudinalibus, suntque ovata, in unguem terminata, sesquipollicem longa, et latiora quam in præcedente.

Staminum filamenta sex, unguum apicibus inter duo puncta obscura inserta: antheræ ovatæ, sulcatæ.

Germen ovato-acutum: styli tres, rubentes, subulati, divergentes.

Fructus deerat his duabus speciebus.

Habitat cum præcedente. Broussonet communicavit.

*Explic.* tab. *a* Petalum cum stamine. *b* Germen et styli.



CYPERUS PYGMÆUS. *Tab. 588. fig. 2.*

684. CYPERUS culmo triquetro, folioso: capitulo globoso, glumis mucronatis: involucri 6-7 phyllo, foliolis tribus longissimis. *Anales de ciencias naturales vol. 3. pag. 7.*

Radices fibrosæ ex quibus culmi plures exsurgunt fere pollicares, triquetri, foliosi.

Folia lineari-acuta; radicalia breviora, cespitosa, basi ampliora, lineisque rubris variegata: caulina alterna, vaginis longiora, culmo ut plurimum breviora, subcarinata, glabra.

Flores capitati: capitulum vix ciceris magnitudine ex innumeris spiculis luteo-viridibus compositum: spiculæ constant duodecim fere floribus, quorum squamulæ carinatæ sunt, harumque apices acutissimi divergentes.

Involucrum ex sex foliolis, quorum tria striata et caulinis longiora; reliqua brevissima, longioribus alterna.

Semen glabrum, triquetrum, ovato-acutum. Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in Mauritania iuxta flumen Sebu, floretque Iulio. D. Broussonet communicavit.

*Explic.* tab. c Spicula aucta. d Semen auctum.

*Obs.* *Pygmæum* dixi hunc *Cyperum*, quia quem Rottbollius eodem nomine dedit ad *Cyperum squarrosum* reduxit Willdenow. Hic eiusque varietates a nostro valde differunt.

ARISTIDA ELATIOR. *Tab. 589. fig. 1.*

685. ARISTIDA caule ramoso altissimo: panicula elongata: calicibus violaceis: aristis æqualibus.

Culmus glaber, ramosus, quattuor pedes altus: nodi incrassati, pallide rubentes.

Folia vaginantia, vaginis folio brevioribus, apice solutis in folium lineare angustissimum, sæpe convolutum, acutissimum, 6-12 lineas longum.

Flores paniculati, panicula aliquando pedem longa, inferne interrupta: ramuli bini, ternive, inæquales, semipollicem aut sesquipollicem longi, erecti, in quibus flores alternant solitarii, pedicellati.

Calicis valvulæ violaceæ, acutæ, interiore longiore.

Corolla calice duplo longior, glabra, apice triaristata; aristis subæqualibus, corolla duplo fere longioribus.

Habitat in aridis et saxosis prope mare Malacitanum dittonis oppidi Benagalbón; tum etiam inter Albateram et Callosam oppida Orcellitana Regni Valentini. Augusto floridam invenit D. Marianus Lagasca.

*Explic.* tab. a Flos magnitudine naturali. b Idem auctus, calice orbatu.

BROMUS HUMILIS. *Tab. 589. fig. 2.*

686. BROMUS panicula fasciculata: spiculis subsessilibus glabris: aristis patulis: foliis superiore pagina pilosis.

¿An Verus *Bromus scoparius* Linnæi? *Vol. 1. pag. 215.*

Quando anno 1791 *Bromum* rubentem, eiusque varietatem in hoc opere descripsi, nondum offenderam hanc plantulam, vere ab ipso diversam. Huius characteres sat bene conveniunt *Bromo scopario*, cuius definitionem non vero descriptionem dedit Linnæus loco citato; cuiusque folia glabra dixit Lamarck pag. 468. Vol. 1. *Encyclopediæ*, inspecto specimine in nostra Hispania lecto a Martino Vahl. Quia vero hæc mea planta foliis gaudet superiore valde pilosis; aristisque initio erectis, postea vero, peracta scilicet fecundatione, patulis; *humili* nomine nunc prodeat, in verum mutando, quando cum Linnæi speciminibus comparata *Bromum scoparium* eam esse constet.



Eius radices capillares sunt, fibrillis aliquot ornatae, ex quibus culmi prodeunt 3-8, inæquales, graciles, basi articulati, angulati, postea erecti, quorum altitudo 3-8 pollicum est.

Folia lineari-acuta, striata, pagina superiore dense villosa, pollice paulo longiora; radicalia numerosa, cespitosa; caulina alterna, ut plurimum tria, vaginis subæqualia.

Flores paniculati, panicula fasciculata, pollicem aut sesquipollicem longa, subcylindrica, ex plurimis spiculis subsessilibus composita.

Spiculæ compressæ, 6-7 lineas longæ, lineam latæ, ex 8-9 floribus sessilibus compositæ.

Calix bivalvis, 8-9 florus, valvulis concavis acutis, inferiore brevior.

Corolla calice maior, bivalvis, valvula exterior viridi, glabra, striata, concava, apice bifida, ad laciniarum basim uniaristata: arista longitudine fere valvulæ, initio erecta, post fecundationem deflexa et ad valvulam perpendicularis. Valvula interior diaphana, alba, plana, oblonga, apice emarginata, limbo ciliato, ciliis lente vitrea conspicuis.

Staminum filamenta tria breviora: antheræ luteæ.

Germen oblongum: styli duo breves divergentes.

Semen oblongum altera parte convexum, opposita planum, duas lineas longum fusco-rubrum.

Habitat passim in Matriti suburbiis, præcipue in collibus S. Isidori. Floret Maio.

*Explic.* tab. *c* Spicula. *d* Calix. *e* Idem auctus. *f* Corolla aucta. *g* Semen magnitudine naturali.

### BROMUS VERTICILLATUS. *Tab.* 590.

687. BROMUS verticillorum radiis inæqualibus, simplicibus, aut partitis.

Culmus tripedalis et amplius, superne nudus, glaber, articulatus, articulis aut nodis incrassatis pallide rubris.

Folia culmi (quæ vidi) linearia, striata, lineam ampla, tres quattuorve pollices longa, vaginis breviora.

Flores verticillati, verticillis fere quattuor culmum terminantibus, duorum pollicum spatio dissitis. In unoquoque verticillo radii, aut si mavis, ramuli 5-8 inæquales, capillares; breviores pollicem aut sesquipollicem longi monostachyi; longiores 3-5 pollices longi versus apicem ramosi spiculis totidem terminati, infra spiculas incrassati.

Spiculæ pollicares, glabræ.

Calix 12 florus bivalvis, valvulis concavis, acutis, exterior brevior.

Corolla ut in præcedente, arista excepta quæ brevior est et erecta.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in agris oppidi Encinacorva Regni Aragonensis. Floridum ibi legit memoratus Lagasca mense Iulio.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla. *c* Eadem aucta.

### BROMUS PALLENS. *Tab.* 591. *fig.* 1.

688. BROMUS panicula erecta subcontracta: pedicellis inæqualibus: spiculis quinquefloris: aristis capillaribus, erectis, elongatis.

Culmus bi-tripedalis, gracilis, glaber, nodis fusco-violaceis.

Folia linearia, striata, glabra, tres quattuorve pollices longa, lineam lata, vaginis longiora.

Florum panicula pallens, quattuor pollices longa erecta: pedicelli 3-4 ex eodem puncto inæquales, breviores monostachyi, longiores ut plurimum distachyi.

Spiculæ compressæ semipollicem et amplius longæ.

Calix quinqueflorus, bivalvis: valvula exterior subulata brevior; interior concava, quinque lineas longa.



Corolla calice longior, bivalvis: valvula inferior maior, concava, apice acuta et bifida, laciniis scariosis infra quas arista prodit capillaris recta, pollicem et amplius longa: valvula superior plana.

Staminum filamenta tria, brevia: antheræ oblongæ.

Germen oblongum: styli duo reflexi, villosi.

Semen oblongum, altera superficie convexum, altera planum.

Habitat in Manilæ viciniis, ibique *Acanthus ilicifolius*. Nee legit.

*Explic.* tab. *a* Calix. *b* Corolla cum genitalibus. *c* Semen.

### BROMUS OVATUS. Tab. 591. fig. 2.

689. *Bromus* spica terminali, ovata, densa: spiculis compressis, 3-5 floris: foliis villosis brevibus.

Radices capillares, fibrillis ornatae.

Culmi plures ex eodem cespite, filiformes, 2-10 pollices alti, inferne angulati, nodosi nodis sæpe duobus violaceis, foliosi; superne nudi, glabri, obscure striati.

Folia mollia valde villosa et fere hirta pilis albis; radicalia lineari-acuta; sesquipollicem vix longa; caulina semipollicaria, vagina excepta, ipsis longiore striata villosa.

Flores dense spicati, spica ovata terminali, 4-10 lineas longa: spiculæ numerosæ, subsessiles, compressæ.

Calix tri-quinqueflorus, bivalvis, valvulis subæqualibus ovato-concavis, setula brevi terminatis, dorso villosis.

Corolla calice longior, glabra, bivalvis: valvula inferior maior, oblonga, concava, apice bisetosa, ad setularum basim externe aristata, arista corolla duplo brevior, ante fecundationem erecta, postea deflexa patula: valvula superior paulo brevior, alba, translucida, ovato oblonga, apice breviter bifida.

Staminum filamenta brevia: antheræ tres oblongæ, flavæ.

Germen minutum: styli divaricati.

Habitat in collibus *Valdigna* Regni Valentini floretque Iunio. Fructum non inveni.

*Explic.* tab. *d* Spicula magnitudine naturali. *e* Eadem aucta. *f* Flos auctus.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Corollæ valvula exterior non emarginata ut in congeneribus, sed vere est apice bisetosa ut in *Bromo bifido* Willdenow quem in Iaponia legit Thumbergius; valvula interior apice bifida quod in pluribus speciebus observatur contra Linnæi sententiam. Calicis demum glumæ in hoc genere variant sæpe longitudine mutua et acumine. Unum est quod in omnibus speciebus semper observatur, arista scilicet infra apicem valvulæ exterioris corollæ. Hac ergo de causa ad *Bromum* pertinet *Festuca Phleoides* Floræ Atlanticæ pag. 90. tab. 23. quia *arista* gaudet, *setiformi, brevissima paulo infra apicem*. Hanc plantulam sæpius offendi in suburbiis humidis Valentiaë mense maio, cuius spiculæ valde villosæ sunt.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Ex *Bromo Matritense* Linnæi *Festucam* fecit D. Desfontaines in memorato opere, qui postea *Bromum maximum* dixit quem nos *Matritensem* appellamus. Ut vero omnia in bono lumine collocentur sequentem adiungam descriptionem.

### BROMUS MATRITENSIS.

690. *Bromus* foliis villosis: panicula patulo-erecta: pedicellis inæqualibus apice incrassatis: rachide pedicellisque asperis.

*Bromus maximus* foliis villosis; panicula patulo-erecta; aristis longis rectis; rachi pubescente. *Flor. Atl. vol. 1. pag. 95. tab. 26.*

Culmi sesquipedales et amplius, erecti, superne nudi, sulcati, vix pubescentes, nodosi, nodis atris.



Folia et vaginæ striatæ pubescentes. Vaginæ 4-5 pollices longæ, postea solutæ in folia duas lineas lata, semipedem et amplius longa; faux vestita pellicula scariosa apice lacera, lineam fere alta.

Florum panicula fere pedalis patula nunc erecta, nunc secunda: pedicelli plures verticillatim dispositi, erecti inæquales, 2-15 lineas longi, scabriusculi, prope spiculam incrassati: breviores monostachyi, longiores distachyi, inferiore spicula sessili.

Spiculæ sesquipollicem ut plurimum longæ, fructu maturo compressæ, a base ad apicem latiores florum divergentia.

Calix sexflorus, bivalvis, valvis canaliculatis, apice acutis, limbo membranaceo, albo; exteriori brevior, 7 lineas longa, sulco unico dorsali viridi; interiore fere pollicari, tribusque sulcis notata.

Corolla calice paulo longior bivalvis: valvula inferior oblonga, concava, externe striata striis scabris, margine albicans membranacea; apice bifida, laciniis albicantibus scariosis lineam et amplius longis, infra quas arista prodit recta, scabra, sesquipollicaris: valvula interior minor, alba, translucida, ovato-oblonga, margine obscure ciliata.

Staminum filamenta tria, brevia: antheræ luteæ oblongæ.

Germen oblongum: styli divergentes, breves.

Semen fuscum, corollæ valvulis arcte tectum, quattuor lineas longum, externe convexum, interne plano-sulcatum.

Habitat passim in suburbiis Matriti, et in regno Valentino, floretque Iunio.

*Obs.* Spiculæ vetustate colorem induunt violaceo-rubrum. Variat hæc species altitudine 1-3 pedali: eius paniculæ partem atque fructificationis organa sat bene sistit memorata tabula 26. Floræ Atlanticiæ.

## OSMUNDA.

### CHARACTER GENERICUS.

Fructificatio capsularis, nuda (tegumento et annulo articulato orbata), folii dorso affixa.

Capsulæ sessiles, globosæ, uniloculares, bivalves, polyspermæ.

Semina numerosissima, subrotundo-compressa, basi acuta pilo terminata.

*Obs.* 1.<sup>a</sup> Folia fertilia sunt sæpe rachiformia (ut in Paspalo membranaceo); attamen adeo brevia et fructu corrugata, ut spicæ ramulum referant cum re ipsa folia sint. Capsulæ occupant semper eorum posticam superficiem; ideoque hoc genus ad Filices dorsiferas pertinet, quod iam pridem inuerat D. Savigny pagina 658 voluminis 4 Dictionarii Encyclopedici.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Pilus brevis, seminum parti acutæ adhærens; eritne funiculus, quo semina parieti internæ capsularum affixa sunt? Observare hæc in ipsa capsula nondum potui, quæ sunt nudis oculis invisibilia; sed ab illa seiuncta et super crystallum exposita potentissimo Dellebarre microscopio, in quo puncta, antea invisibilia, magnitudine seminis cannabini apparent.

*Obs.* 3.<sup>a</sup> Ab hoc genere removenda est *Osmunda regalis* Linnæi, 1.<sup>o</sup> absentia foliorum fertiliū. 2.<sup>o</sup> Capsulis pedicellatis. 3.<sup>o</sup> Seminibus ovatis utrimque acutis.

*Obs.* 4.<sup>a</sup> *Osmundæ* species fere omnes fructum præbent spicatum, spicis solitariis aut geminis; quæ aut radicales sunt, aut e petiolo prodeunt infra folium sterile: earum pediculum in primo casu *Scapum*, in secundo *Pedunculum* dicam. Caulis ergo nomen ut improprium respuo, quod iam innuit D. Savigny loco citato.



OSMUNDA TENELLA. *Tab. 592. fig. 1.*

691. OSMUNDA petiolis spiciferis, spicis geminis: folio sterili pinnato, pinnulis oblongis laciniato-dentatis.

Osmunda. *Née herbarium.*

Radix fibrosa: petioli graciles tres quattuorve pollices longi, basi incrassati, pilosi pilis ferrugineis, teretes, versus apicem unisulcati, ubi pedunculi duo exsurgunt capillo paulo crassiores, bipollicares, terminati spicis totidem, quattuor lineas longis.

Paulo supra pedunculorum ortum folium prodit unicum, sterile, villosum, duos pollices et amplius longum, pinnatum. Pinnulæ, numero sæpesæpius 18, sunt alternæ, oblongæ; superiores apice dentatæ, inferiores laciniato-pinnatifidæ: harum longitudo 3-4 linearum est; basis angustissima; margo ciliata, ciliis vix nudo oculo conspicuis.

Spica tenuis, primo aspectu cylindrica, re vero ramosa, ramulis rachiformibus, verticillatis, brevissimis, dorso fructificantibus.

Capsulæ rufescentes, minutissimæ, 5-7 in unaquaque rachide, longitudinaliter et alternatim positæ, dehiscentes in duo hemisphæria.

Semina ferrugineo-lutea, oculis nudis inconspicua, subrotundo-compressa, basi acuta pilo terminata.

Habitat parasitica in arborum truncis Regni Quitensis et præsertim in Monte Sancti Antonii, ubi frequens etiam Acrostichum fimbriatum, et linguæforme *Anales de hist. natur. vol. 1.* Vidi sic. in sæpius memorato herbario.

*Explic.* tab. a Rachis fructifera. b Capsula dehiscentis. c Semen; omnia mirum in modum aucta.

OSMUNDA OBLONGIFOLIA. *Tab. 592. fig. 2.*

692. OSMUNDA petiolis spiciferis, spicis geminis: folio sterili oblongo, impari-pinnato; pinnulis trapezio-ovatis.

Osmunda. *Née herbarium.*

Radices fibrosæ, sesquipollicares: petioli numerosi nunc erecti, nunc supra terram expansi, 6-20 lineas longi, subvillosi, quorum basis crassior, pilisque numerosis ferrugineis tecta.

Ex petioli fere apice pedunculi duo eriguntur graciles, quattuor pollices sæpe longi, glabri, spicis totidem terminati; et paulo post, folium unicum sterile, lineare, duos pollices longum, semipollicem amplum, impari-pinnatum: pinnulæ subviginti, trapezio ovatæ, sessiles, patentissimæ, duriusculæ, basi integræ, limbo subcrenato, ciliato et nonnihil revolutis; antice virides et lineatæ; postice ferrugineæ; inferiores oppositæ, reliquæ alternæ, ultima cuneata, crenata. Petiolus communis pilosus.

Spicæ pollicem et amplius longæ, ferrugineæ, ramosæ, ramulis rachiformibus, verticillatis, brevissimis, dorso fructificantibus.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in Panamá, ibique Fucus versicolor, Acrostichum aureum. Vidi siccam in eodem herbario.

OSMUNDA HUMILIS. *Tab. 592. fig. 3.*

693. OSMUNDA petiolis spiciferis, spicis geminis: folio sterili impari-pinnato, pinnulis ovatis crenulatis, terminali cuneata; inferioribus brevioribus.

Osmunda. *Née herbarium.*

Radices breves fibrosæ: petioli numerosi supra terram expansi, aut erecti, graciles, 3-7 li-



neas longi, sulco longitudinali excavati, versus apicem terminati duobus pedunculis tenuissimis, glabris, 3-4 pollicaribus, in spicas totidem desinentibus.

Spicæ interruptæ vix lineam amplæ, semipollicem longæ: verticilli breves, quorum ramuli rachiformes, dorso fructificantes.

Folium sterile solitarium, cuius perimetros ovata, longitudo sesquipollicaris, latitudo pollicaris: est illud molle, ferrugineum, villosum, et impari-pinnatum: pinnulæ lineatæ, crenulatæ, ovatæ, terminali excepta quæ est cuneiformis; inferiores breviores. Petiolus communis pilis ferrugineis tectus.

Reliqua ut in præcedentibus, attamen omnia breviora.

Habitat in insula Taboga, haud longe seiuncta a Panamaide, ubi eam invenit Novembre laudatus Née. Vidi siccam.

### OSMUNDA DELTOIDEA. Tab. 593. fig. 1.

694. OSMUNDA petiolis spiciferis: spicis geminis: folio sterili deltoideo, bipinnato.

Osmunda. Née herbar.

Petioli erecti, filiformes, 3-5 pollices longi, basi incurvi, incrassati, pilis ferrugineis copiose tecti; postea fere glabri et rubentes per sesquipollicis altitudinem; tandem virido-lutescentes et rursus pillosi, ubi prope folium sterile pedunculi duo exsurgunt 18-26 lineas longi, fere capillares, inferiore parte nudi, postea spicati.

Folium sterile solitarium, cuius perimetros deltoidea, longitudo bipollicaris latitudine vix maior: estque glaucum, subtus subvillosum, imparibipinnatum: pinnulæ primariæ oppositæ aut alternæ, inferioribus longioribus; secundariæ ovatæ, crenatæ. Petioli communes pilosi pilis rufis.

Spicæ pollicem et amplius longæ, ex foliolis alternis pinnatis compositæ, dorso fructificantibus, corrugatis, rachiformibus.

Capsulæ globosæ, ferrugineæ, numerosæ.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in Peña-blanca (Saxum-album) quod iacet in planitie vulgo Pampas de Buenos-Ayres. Vidi siccam.

Explic. tab. a Spicæ folium unum auctum. b Capsula valde aucta.

Obs. Valde affinis Osmundæ tomentosæ Dict. Enc. vol. 4. pag. 652. cuius fortasse mera varietas folio deltoideo, non vero oblongo et tomentoso. Illam novi dumtaxat descriptione, quæ cum mea in multis convenit.

### OSMUNDA FULVA. Tab. 593. fig. 2.

695. OSMUNDA petiolis spiciferis: spicis geminis compositis: folio sterili bipinnato tomentoso.

Eadem folio sterili fere glabro, fructiferis villosis.

Osmunda. Née herbarium.

Ex eadem radice fibrosa, fasciculata, petioli eriguntur pedales et amplius, altera parte obtusi, opposita, quæ antica est, sulco amplo excavati, rufescentes, valde pilosi præsertim basi quæ amplior est et lana fulva tecta. Prope folium sterile duos profert pedunculos tomentosos et fulvos quemadmodum tota planta, teretes, quinque pollices longos, folioque subæquales, inferne nudos, postea spicatos, spica composita, foliolis ornata oppositis, pinnatis, dorso fructificantibus.

Folium sterile bipinnatum, cuius perimetros triangulari-oblonga; pinnulæ lanceolatæ alternæ, quarum inferiores bipollicares, ceteris versus apicem brevioribus: foliola nunc decurrentia, nunc libera, plus minusve ovata sæpiusque obtuse incissa et quodam modo pinnatifida.



Capsulæ globosæ, paulo maiores quam in præcedentibus.

Semina lutescentia.

Habitat in monte vulgo *Pan de Azucar*, 32 lapidibus a Montevideo dissito: eius vero varietas in *Peña-blanca*. Vidi siccas.

*Explic.* tab. c Capsula dehiscens. d Semen. Omnia mirum in modum aucta.

### OSMUNDA LUNARIA. *Linnæi.*

696. OSMUNDA petiolo solitario spicifero basi squamato: spica solitaria: folio sterili pinnato.

Osmunda scapo caulino solitario; fronde pinnata solitaria. *Lin. sp. plant. vol. 4. pag. 379. Lamarck Dict. vol. 4. pag. 649. Illust. gen. tab. 865. num. 1. Barrel. tab. 252. Flora Dan. tab. 18. fig. 3.*

Radix fasciculata ex fibris ramosis pollice paulo longioribus, ex qua squamæ prodeunt sæpe duæ lanceolatæ, ferrugineæ, membranaceæ pollicares, et inter eas petiolus duplo ipsius longior; tum folium unicum sterile et pedunculus duos pollices longus, terminatus spica pollicari.

Folium sterile est carnosum, pinnatum, pinnulis 8-12 fere oppositis, lunatis basi angustis: illius perimetros fere linearis; longitudo bipollicaris; latitudo 4-8 linearum.

Spica pinnata, pinnulis (quæ vera sunt foliola fertilia) linearibus, rachiformibus dorso fructificantibus.

Capsulæ subseptem longitudinaliter digestæ, globosæ, initio virides, maturæ ferrugineæ.

Habitat in montibus *Lievanæ* et *Peña-sacra* haud longe a Sancto *Thuribio*; in *Guadalupensibus*; in *Sierra de Truxillo*, quinque lapidibus a *Puebla de Sanabria* &c. floretque *Iunio* et *Iulio*.

*Obs.* Osmunda spicant *Linnæi* est verum *Blechnum* ut iam dixit *Smith*, quia tegumento gaudet superficiali continuo introrsum dehiscente. Quare *Lamarck* et *Savigny*, qui eam ad *Acrostichum* retulerunt, a vero recessere. Neque probari potest memorati *Savigny* sententia, qui *Osmundæ* crispæ fructificationem eandem esse dixit (pagina 677. vol. 4. *Dictionarii Enciclopedici*) cum illa *Spicant*. Nullum enim in *Crispa* tegumentum, sed nudæ capsulæ globosæ, bivalves, sessiles, quarum semina subrotundo-compressa, basi que acuta pilo terminata.

### DE OPHIOGLOSSO ET UGENA.

Duo diversa genera in unum *Ophioglossum* coniungere Botanici, quoadusque oculatissimus *Iussieus* ea separavit nedum ex foliorum natura spicarumque situ, sed ex varia ipsorum fructificatione. *Ophioglossis veris* dixit ille pagina 15. *Gener. plant.* „folium est radiale, non convolutum, sæpius simplex et enerve, emitens spicam simplicem, pedunculatam, oblongam, linguæformem, compressam, utrique ad margines unica serie multilocularem, oculis transversim dehiscens polline foetis, post emissum pollen quasi utrimque crenatam, et plurimum veruculosam: Spuriis vero frondes ramosæ, pluries pinnatæ, recentiores convolutæ filicino more; vetustiores in ambitu foliorum radiatim spiciferæ spicis sessilibus imbricatim et distiche subsquamulosis.” *Miror* equidem *Dict. Encicl. auctorem*, parviducta *Iussieui* doctrina, priscorum falsam opinionem amplexari, plantasque fructificatione diversas, tamquam congenere describere. Qua propter et errorem hunc scientiæ perniciosum corrigam, et genuinos utrique generi characteres dabo. Ecce illos.



## CHARACTER GENERICUS OPHIOGLOSSI.

Fructificatio capsularis nuda: non dorso affixa.

Spica oblonga, compressa, utrimque ad margines unica serie multi-capsularis.

Capsulæ subglobosæ, connexæ, apice ad rachidem perpendiculariter dehiscentes in duas valvulas.

Semina numerosissima subrotundo-compressa.

OPHIOGLOSSUM VULGATUM. *Linnæi.*

697. OPHIOGLOSSUM folio ovato-oblongo, simplici, brevioris quam spica.

Ophioglossum fronde ovata. *Lin. sp. pl. vol. 4. pag. 377. Lamarck Dict. vol. 4. p. 561.*

*Flora Danica tab. 147.*

Radix fibrosa, fasciculata, ex qua petiolus erigitur teres viridis, 3-6 pollices altus, folium unicum sustinens ovato-oblongum, 2-4 pollices longum, reticulato-venosum, glabrum basi convolutum, ad cuius ortum spica prodit sesquipollicaris, lineam plerumque amplam, sustentata pedunculo folio sæpius longiore.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in pratis humidis *Santander*, et in nemoribus *del Espinal* prope *Roncesvalles*.

Fructificat Iulio. Vidi siccum.

OPHIOGLOSSUM LUSITANICUM. *Linnæi.*

698. OPHIOGLOSSUM angustifolium minimum. *Barrel. tab. 252.*

Ophioglossum fronde lanceolata. *Lin. sp. pl. et Lamarck ubi supra.*

Radix fusca, fibrosa, fasciculata, ex qua petioli duo prodeunt 2-4 lineas longi, folium solitarium sustentans lanceolatum pollicem longum, lineam amplam, apice acutum, basi nonnihil convolutum, ubi pedunculus exurgit folio subæqualis, terminatus spica linguæformi, 3-4 lineas longa, rufescente.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat *Hispani* prope *Puebla de Coria*, et in siccis et arenosis *Algezira* præsertim in tractu *Azebuchál*. Vidi siccum.

OPHIOGLOSSUM RETICULATUM. *Linnæi.*

699. OPHIOGLOSSUM folio cordato reticulato. *Lamarck Dict. vol. 4. pag. 562. Linn. ubi supra. Plum. filic. tab. 164.*

Plantæ, quam præ oculis habeo, petiolus est filiformis, gracilis, vix tripollicaris. Folium cordatum, ovatum, pollicem longum, octo lineas amplum, margine subcrenatum, superficie afabre reticulatum. Spicæ pedunculus petiolo tenuior et longior, basi nonnihil tectus infimo folii limbo: spica linearis angustissima, acuta, octo lineas longa.

Reliqua ut in præcedentibus.

Habitat in *Jamaica*. Vidi siccum communicatum a *D. Smith*.



OPHIOGLOSSUM PENDULUM. *Linnæi.*

700. OPHIOGLOSSUM foliis linearibus, sessilibus, longissimis. *Lamarck loco citato.*

Ophioglossum frondibus linearibus longissimis indivisis. *Linn. loco citato.*

Scolopendra maior. *Rumph. Amb. 6. tab. 37. fig. 3.*

Radices filiformes, fibrillis ornatae, fuscae, per arborum corticem muscosam repentes; ex quarum summitate folia prodeunt 5-7, dependentia, linearia, integerrima, lete virentia, striis protuberantibus longitudinaliter notata, 6-8 pedes longa, duos pollices ampla, apice obtusa, versus basim angustiora.

Ex centrali stria, quae crassior est, pedunculus prodit longe a radice distans, linearis, angustissimus, duos tresve pollices longus, spicam sustinens saepe pedem longam, duas lineas amplam, utrimque ad margines unica serie multicapsularem. Capsularum numerus 280 (talem vidi in una spica, in aliis minorem): capsulae ovatae, lineam longae, exasperatae.

Semina lutea ovata numerosissima.

Habitat in utraque India. Rumphius in Orientali vidit; Ludovicus Née in Regno Quiten- si mense Octobri. Vidi siccum.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Observanti mihi capsulas et semina videre visus fui pelliculas lanceolatas concavas inter capsularum valvulas et semina. Perspicue etiam conspexi inter semina, super cristalum memorato Microscopio exposita, corpuscula ipsis paulo maiora, fusca, rotunda, compressa, in centro perforata, annulum referentia, non articulatam ut in pluribus veris filicibus, sed aequalem et minime interruptam. Horum ego munus ignoro.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Reliquas ophioglossi species silentio pratermitto, quia neque vivas neque siccas vidi.

## UGENA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

Fructificatio capsularis, nuda, dorso radiorum folii adhærens.

Spicae sessiles.

Capsulae globosae, duplici serie distiche imbricatae, foramine dehiscentes verticali amplo.

Semina numerosissima, orbiculato-subreniformia, parieti capsulae affixa.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Quemadmodum tegumentorum in pluribus filicibus dehiscentia *externa*, *interna*, aut *verticalis* dicitur ab aperturae situ, quae marginem, primarium nervum, aut verticem folii respicit; ita etiam capsularum dehiscentiam, *verticalem* nomino, quando apertura folii verticem respicit; *perpendiculararem* quando perpendicularis est ad folii superficiem.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Capsulae in quibusdam glaberrimae sunt, in aliis subtomentosae.

*Obs. 3.<sup>a</sup>* Species omnes fruticosae sunt et scandentes, caulibus nunc flexuosis nunc contortis. Ab omnibus mihi notis distinguntur petiolorum forma: qui sunt ut plurimum brevissimi, teretes, apice truncati et excavati, foveola plus minusque tomentosa, ibique originem praebent duobus aliis foliosis, recta divergentibus, quorum alter dexteram tenet, sinistram alter.

(a) In honorem D. Emmanuelis Mugnozii de Ugena regii Pictoris peritissimi, qui iussu Regio Horti Matritensis plusquam centum plantas accurate de-

lineavit et pinxit, quarum aliquas vidimus in Florae Hispaniae delectu. Consulatur Coleccion de papeles pag. 268.



UGENA SEMIHASTATA. *Tab. 594. fig. 1.*

701. UGENA caule flexuoso tereti: foliis sterilibus palmatis; fructiferis coniugatis, lanceolatis, subhastatis, radiatis; radiis fructiferis.

Ophioglossum flexuosum. *Linn. sp. pl. vol. 4. p. 378. Lamarck Diction. vol. 4. p. 563.*

Adiantum volubile maius? *Rumph. Amboi. vol. 6. pag. 77. tab. 33.*

Ophioglossum, vulgo Nito. *Née herbar.*

Radices filiformes, teretes, flexuosæ, fusco-nigricantes ex alia crassiore horizontali prodeuntes.

Caules glaberrimi, ut et tota planta, fistulosi, medulla mollissima farcti, filiformes, teretes, scandentes, flexuosi, decem et amplius pedes longi.

Petioli primarii alterni, distantes, brevissimi (vix lineam longi) solitarii, ex quibus duo prodeunt, folia sustinentes, sesquipollicares aut breviores, divaricati, in quorum centro umbilicus observatur villosus.

Folia sterilia palmata ad basim usque bifida, lobo altero solitario, altero profundissime tripartito laciniis lanceolatis, semipedem et amplius longis, pollicem vix amplis, uninerviis; e nervo innumeræ lineæ oblicue versus margines prodeunt.

Folia fertilia fere semper coniugata, lanceolata, basi semihastata, lobo interno orbata, quattuor pollices longa semipollicem ampla, limbo denticulato-crenato, unde radii prodeunt numerosi, lineares angustissimi sesquilineam aut duas lineas longi, dorso fructiferi.

Capsulæ glabræ, ferrugineæ, numero 12-18, duplici serie distiche imbricatæ: foramen amplum capsulæ fere diametri.

Semina lutea.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat passim in insulis Marianis et Philippicis, ibi lecta a Ludovico Née mense Februario.

*Explic.* tabulæ, quæ folium fertile sistit. *a* Radius auctus postice spectatus. *b* Capsula dehiscens. *c* Semina.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Folia sterilia aliquando sunt simpliciter palmata, 4-5 digitationibus ut in Rumphii tabula. Fertilia in unico dumtaxat exemplari, in Oaz oppido lecto, vidi Rumphianis consimilia.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* In Luzoniensis insulæ provincia Camarines, quæ Nova Cazeris etiam dicitur, oppidum existit Nabúa nomine, cuius incolæ diversa perficiunt texta ex huius plantæ caulibus, et præsertim galeros, nunc proprio siccorum caulium colore, nunc aliis variegatos. Mundant primo caules, quos longitudinaliter in laminas sectos adeo lente textoriæ arti parant, ut mensem fere integrum unusquisque textor galero unico conficiendo consumat. *Ludovicus Née.*

UGENA DICHOTOMA. *Tab. 594. fig. 2.*

702. UGENA caule flexuoso: foliis sterilibus profunde bilobis linearibus: fructiferis dichotomis, longissimis, omnium angustissimis.

Ophioglossum. *Née herbar.*

Radices, caules et petioli ut in præcedente.

Folia sterilia cuneata, in duas lacinias profundissime fissa: laciniæ lineares, glaberrimæ, 3-5 pollices longæ, duas lineas amplæ, nervo unico postice protuberante notatæ, ex quo numerosæ venulæ versus margines divergunt.

Fertilium petioli primarii brevissimi, ex quibus duo divergentes prodeunt sæpius bipollicares caulique conformes, qui multoties et alternatim bifurcantur, totidem partiales petiolos emitentes, duas tresve lineas longos, e quorum singulis apicibus duo prodeunt folia pedem et amplius longa, semilineam ampla, crenata, crenulis radiatis.



Radii numerosi, lineam longi, angustissimi, dorso fructiferi.

Capsulæ glabræ, ferrugineæ, numero 10-14, duplici serie distiche imbricatæ.

Reliqua omnino ut in præcedente.

Habitat passim in Marianis et Philippicis insulis, tum etiam in Samboangan. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tabulæ, quæ folium fertile sistit. *b* Capsula. *c* Semina.

### UGENA MACROSTACHYA. *Tab. 594. fig. 3.*

703. UGENA caule flexuoso scandente: foliis sterilibus profunde trilobis linearibus: fertilibus duplicato bifidis, longissimis.

Ophioglossum. *Née herbar.*

Radices caules et petioli ut in præcedentibus.

Folia sterilia, radicalia præsertim et inferiora quæ vidi, trifida, laciniis profundissimis, linearibus, glaberrimis, integris: laciniarum longitudo 6-8 pollicum; latitudo vix quattuor linearum: nervus solitarius postice protuberans, ex quo numerosæ venulæ versus margines divergunt.

Fertiliū unusquisque petiolus bis dichotomus, apicibus sustentibus totidem folia, pedem sæpe longa, duas lineas vix ampla, crenata, crenulis radiatis.

Radii numerosi, angustissimi, breviores quam in præcedentibus, dorso fructiferi.

Capsulæ glabræ, ferrugineæ, 6-8, duplici serie imbricatæ.

Reliqua ut in præcedentibus, cum quibus habitat.

*Explic.* tabulæ, quæ folium fructiferum sistit. *d* Radius auctus postice spectatus.

### UGENA POLYMORPHA. *Tab. 595. fig. 1.*

704. UGENA foliis pinnatis; pinnulis oblongis, sublobatis, lacinia terminali longiore.

Tsieru valli-panna. *Rheed. Mal. vol. 12. tab. 33.*

Ophioglossum scandens caule flexuoso tereti, frondibus coniugatis, pinnatis; foliolis utrimque spiciferis. *Linn. sp. pl. vol. 4 pag. 378. Lamarck Dict. vol. 4. pag. 562.*

Ophioglossum. *Née herbar.*

*a* Ugena foliis sterilibus profundius sectis, lobisque inferioribus longioribus.

Radices et caules ut in præcedentibus.

Petioli primarii alterni, caulis crassitie, teretes, duas lineas longi, e quorum apice duo divergentes prodeunt villosi, folia sustententes.

Folia sunt omnia pinnata, sex aut octo pollices longa: foliola (aut pinnulæ) alterna cordata, inferiora petiolata, superiora sessilia. Horum sterilia sunt lobata, lobo medio longiori, crenulato, duos pollices longo, duas, tresve lineas amplo, lineari-lanceolato; inferioribus utrimque tribus, ovato-lanceolatis inæqualibus, infimis vix duas lineas, longiori proximis quattuor aut quinque lineas longis.

Foliola fertilia sunt aliquando impari-pinnata, sæpius vero lobata, sterilibus quodammodo similia, hisque villosiora, crenulata, crenulis radiatis.

Radii lanceolati, angustissimi, sesquilineares, dorso fructiferi et tomentosi.

Capsulæ villosæ, ferrugineæ sub 14, duplici serie imbricatæ.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat cum præcedentibus præsertim in oppido Nabúa.

*Explic.* tabulæ, quæ folium fructiferum sistit. *a* Pinnula aut foliolum sterile. *b* Radius fructifer auctus. *c* Capsula.

*Obs.* Varietas *a* foliolis sterilibus gaudet nunc polymorphæ similibus, nunc trilobatis, lobis linearibus elongatis, medio productiore; nunc demum quinquelobatis, lobis inferioribus brevibus inæqualibus.



UGENA MICROPHYLLA. *Tab. 595. fig. 2.*

705. UGENA caule volubili, tereti: foliis coniugatis pinnatis, pinnulis alternis, petiolatis; sterilibus ovato-lanceolatis.

Tsjeria Valli-pánna. *Rheed. Mal. vol. 12. tab. 34.* quæ sterilia folia sistit.

Adiantum volubile minus. *Rumph. vol. 6. tab. 32. fig. 3.*

Ophioglossum. *Née herbar.*

Caulis gracilior quam in præcedentibus, teres, glaber, scandens, nunc flexuosus, nunc contortus.

Petioli primarii, aut veri si mavis, cauli conformes, duas lineas longi, fovea terminali tomento rufo tecta.

Folia pinnata, 3-4 pollices longa: foliola alterna petiolata glabra. Horum sterilia ut plurimum ovato-lanceolata, nonnulla vero versus basim ampliata, lobo obtuso utrimque solitario, pollicem plus minusve longa, duas tresve lineas ampla.

Fertilia ovata, rotundata, aut oblongiuscula, nunc integra (radiis exceptis) nunc subtrilobata, 2-4 lineas lata, longitudine paulo maiore.

Radii lineares, angustissimi, lineam longi, dorso fructiferi et glabri.

Capsulæ 10-14, globosæ, duplici serie imbricatæ.

Semina lutea.

Habitat passim in insulis Marianis, Philippicis et Samboangan, præsertim in memorato oppido Nabúa.

*Explic. tab. d* Folium sterile. *e* Petiolus auctus.

*Obs.* Polymorpha est etiam hæc species, longe a præcedentibus diversa. Eam credo designasse Rheedium in memorata tabula, ubi folia sterilia delineavit; quæque Rumphius etiam sistit figura 2 Tabulæ 32 vol. 6. Huius fig. 3 ut dixi fructifera repræsentat quamquam maiora quam in ramis desiccatis video.

## FRANCOA. (a)

## CHARACTER GENERICUS.

Calix liber, persistens, profunde partitus in quattuor lacinias lanceolatas.

Corolla tetrapetala, petalis ovato-oblongis, basi angustis.

Staminum filamenta octo, subulata, corolla breviora, receptaculo iuxta germen inserta.

Antheræ ovatæ, erectæ, biloculares. Cum staminibus alternant corpuscula octo, filamentis breviora et crassiora.

Germen liberum, ovatum, quadrisulcatum. Styli nulli. Stigmata quattuor brevia, plana, patentia, ovata.

Fructus capsularis tetragonus sulcis quattuor profundis, ex quattuor capsulis compositus interne coalitis. Capsulæ sunt naviculari-compressæ dorso obtusæ et liberæ, carinis acutæ et coherentes, uniloculares, apice et carina in duas valvulas dehiscentes.

Semina numerosa, oblonga, rugosa, minutissima suturis carinarum affixa.

*Obs.* Hoc genus reperit atque descripsit Ludovicus Née; qui ad idem reducendam putat Feuillée plantam *Llaupanke* nomine evulgatam vol. 2. tab. 31.

(a) In honorem Francisci Franco medici Valentini, qui lucem vidit Sætabi ineunte sæculo XVI. Medicinam docuit Compluti, Conimbricæ atque His-

pali. Rem herbariam studiose coluit atque promovit. Opera Hispali evulgavit de Morbis contagiosis, de Nive deque eius usu.



FRANCOA APPENDICULATA. *Tab. 596.*

706. FRANCOA acaulis foliis cordatis ovatis, obtuse angulatis: petiolis appendiculate foliosis. *Anales de ciencias naturales tomo 4. pag. 237.*

Genus novum. LLAUPANKE vulgo. *Née herb. cum Icone.*

Radix fere perpendicularis, flexuosa, lignosa, digitum fere crassa, teres fibris ornata ramosis, extus fusca, superne scabra e foliorum cicatricibus.

Folia viridia, supra terram in orbem expansa aut parum erecta, cordata, ovata, obtuse lobata lobis denticulatis, mollia, dense villosa, quattuor fere pollices longa, tresque ampla. Petioli carnosi, 3-6 pollices longi, nonnihil alati, infra folium appendiculati duobus aut tribus foliorum paribus. Hæc foliola sunt opposita, ovata, denticulata, sessilia; superiora fere pollicaria, inferiora versus basim multoties minora, ut in *Cacalia appendiculata* Linnæi.

Scapus teres, pedalis et amplius, duriusculus, villosus, rubescens, versus apicem florifer, ramoque sæpe auctus.

Flores racemosi: pedicelli proprii filiformes, duas lineas longi, villosi ad bracteam ipsis brevioribus axillares.

Calix villosus profunde partitus in quattuor lacinias acutas duas lineas longas.

Corollæ petala calice triplo longiora, dilute rosea, macula saturatiore prope unguem notata, quæ sursum excurrit.

Filamenta dilute rubra: antheræ luteæ. Corpuscula filamentis colore similia, hisque triplo breviora et crassiora.

Germen atque stigmata viridia.

Fructus ovatus, stigmatibus coronatus, tres lineas altus, sesquilineam amplus.

Semina fusca.

Reliqua ut in caractere generico.

Habitat in feracissima insula San Carlos de Chiloe nuncupata, in Talcahuano, Coquimbo &c. Floret Febuario. Vidi siccam et nitidissimam Iconem apud Lud. Née.

*Explic. tab. a* Flos integer. *b* Stamina et Corpuscula aucta. *c* Germen auctum. *d* Fructus magnitudine naturali. *e* Idem auctus. *f* Huius sectio transversalis ut appareant capsulæ. *g* Capsula unica dehiscens. *h* Semen.

*Obs.* Flos aliquando offenditur monstruosus. Vidit unum laudatus Née cui calix erat bilaciniatus; petala novem inæqualia; stamina 18, totidemque corpuscula filamentis alterna; et capsulæ quattuor, quarum altera libera, tresque coalitæ. Attamen numquam observavit florem pentapetalum qualem Feuilleus Llaupanke concessit. Si ambæ plantæ genere conveniunt ut Née suspicatur, diversas species efformabunt, tuncque illa Feuillei FRANCOA SONCHIFOLIA poterit nominari, quamquam incolæ eodem vernaculo nomine eas indigent, Llaupanke scilicet.

FRANKENIA MICROPHYLLA. *Tab. 597. fig. 1.*

707. FRANKENIA fruticosa, levis; foliis oppositis quadrifariam imbricatis, subteretibus: floribus solitariis terminalibus.

Caules fruticosi ramosissimi, decumbentes, vix semipedem longis.

Folia opposita, connata, quadrifariam imbricata, glabra quemadmodum tota planta, ovato-subteretia, vix lineam longa, limbo versus apicem revoluto, unde postice excavata apparent.

Flores solitarii, terminales, erecti, sessiles.

Calix cylindrico-pentagonus, duas lineas longus; semiquinquepartitus, laciniis linearibus, carinatis, apice acutis.



Corolla calice longior, albicans, pentapetala, ultra calicem patens: petala unguiculato-lineararia, apice ampliora et crenata; inferne aucta squamula, ungui adhaerente, virescente. Stamina filamenta sex capillaria, corolla paulo breviora: antheræ croceæ ovato-acutæ, didymæ.

Germen liberum, viride, ovato-acutum. Stylus simplex staminum longitudine; apice tripartitus: stigmata obtusa.

Capsula ovato-acuta, trivalvis, unilocularis, polysperma.

Semina minuta, cinerea, receptaculo centrali affixa.

Habitat in Americæ meridionalis portu vulgo *Deseado*, floretque Decembri, ibi observata et delineata a D. Ludovico Née. Vidi siccam et Iconem.

*Explic.* tab. *a* Ramuli pars aucta. *b* Calix longitudinaliter sectus et expansus. *c* Petalum. *d* Germen. *e* Stamina. *f* Capsula. *g* Eadem aucta dehiscens. *h* Semina.

### SIDA MURICATA. Tab. 597. fig. 2.

708. SIDA foliis lanceolatis, serratis, floribus subcapitatis: capsulis muricatis.

Caules pedales ramis alternis, villosis.

Folia lanceolata, lineam lata, quattuor aut quinque longa, acuta, versus apicem serrata; superiore pagina viridia et glabra, inferiore pilis albis obsita: petioli foliis subæquales: stipulæ setosæ villosæ, petiolis paulo breviores.

Calix globoso-pentagonus, semiquinquepartitus; laciniis lanceolatis villosis.

Corolla calice duplo maior, saturate lutea, patens, profundissime quinque partita, laciniis ovato-oblongis obtusis, unguibus angustis staminum tubo adnatis.

Staminum tubus basi ventricosus et germen cingens, corolla brevior, versus apicem antheriferus; antheræ croceæ subsessiles.

Germen globosum: stylus simplex, septempartitus: stigmata crassiuscula.

Fructus globosus muricatus, piperis grano minor, ex septem capsulis compositus: Capsulæ sunt undique muricatæ foveolis interiectis, apice breviter bicornes; monosperma. Semina ovato-compressa, fusca, apiculo laterali acuminata.

Habitat prope Chalma in Nova-Hispania: floret Augusto. Vidi siccam in memorato herbario.

*Explic.* tab. *i* Calix. *k* Idem expansus, germen sustinens. *l* Fructus. *m* Idem auctus. *n* Capsula. *o* Eadem dehiscens. *p* Semen.

### TRICYCLA. (a)

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix liber triphyllus, foliis circularibus venosis diaphanis, corolla maioribus, persistentibus.

Corolla monopetala, infundibuliformis, persistens, limbo quinquepartito, laciniis tricrenatis.

Staminum filamenta quinque, capillaria, tubo longiora receptaculo infra germen inserta: antheræ ovatæ didymæ.

Germen ovatum: stylus lateralis subulatus: stigma amplex.

Fructus tubo corollæ ampliato cinctus, estque samara ovata, monosperma.

Semina ovata, solitaria, sacculo evalvi chartaceo tecta. Albumen farinaceo-carnosum longitudinaliter excavatum, ubi Embryo iacet externe conspicuus, dilute cinnamomeus.

(a) A calicis foliorum forma et numero.



*Obs.* 1.<sup>a</sup> Stamina aliquando septem.

*Obs.* 2.<sup>a</sup> Stylus iterum in vivis observandus; in sicco unicum reperi, non terminalem sed lateralem prope apicem.

### TRICYCLA SPINOSA. *Tab.* 598.

709. TRICYCLA caule arboreo: ramis alternis spinosis: foliis fasciculatis, sublinearibus, basi angustioribus.

Arbor decem pedes alta, cuius lignum albicans, et cortex cinereus. Rami teretes alterni, rubentes, teneri præsertim, spinosi spinis solitariis, sparsis, ad ipsos perpendicularibus. Spinæ sunt subulatæ, semipollicem longæ, apice ut plurimum bifidæ, laciniis brevissimis divergentibus.

Folia fasciculata e tuberculo sub spina existente prodeuntia, suntque glauca, subvillosa, tres quattuorve lineas longa, vix lineam ampla, sessilia, basi acuta, apice obtusa.

Ex eisdem tuberculis flores prodeunt dictis foliis stipati, pedunculis brevibus.

Tria calicis folia orbiculata, basi emarginata, semipollicem ampla et longa, diaphana, luteo-alba, tenuissima, uninervia, nervo ramoso, venulisque innumeris exarata.

Corolla calice brevior, in sicco saturate lutea: tubus duas lineas et amplius longus, qui dum fructum fovet, ampliatur et induratur, striis protuberantibus: limbus patens, laciniis quinque sesquilineam longis, tricrenatis, crenulis obtusis, media maiore.

Staminum filamenta lutea, capillaria, tubo longiora; antheræ rubentes, didymæ, compressæ.

Fructus tritici grano dimidio brevior, cuius albumem album.

Habitat in *Pampas de Buenos-Ayres* præsertim iuxta *Punta de San Luis*. Floret Aprili et Maio. Vidi siccam.

*Explic.* tab. *a* Flos integer calice expanso. *b* Corolla aucta. *c* Eadem fructum fovens. *d* Eadem longitudinaliter secta et expansa ut appareant genitalia. *e* Fructus. *f* Sectio transversalis. *g* Semen sacculo denudatum. *h* Embrio.

### CEPHALOPHORA. (a)

#### CHARACTER GENERICUS.

Calix communis duplici squamarum ordine; squamis lineari-acutis, explicato flore reflexis.

Corolla composita, tubulosa, calice longior: partiales hermaphroditæ monopetalæ tubulosæ, in spheram dispositæ: tubus apice quinquedentatus, dentibus conniventibus.

Staminum filamenta quinque capillaria: anthera cylindræa.

Germen turbinatum, villosum: stylus corolla longior: stigmata duo revoluta.

Semina solitaria, turbinata, striata, truncata. Pappus paleaceus, paleis 6-7 diaphanis capillaribus inferne ampliatis.

Receptaculum hemisphericum, nudum foveolare.

*Obs.* Genus *Chrysocomæ* affine, a quo differt foveis receptaculi minime denticulatis; pappo paleaceo, non piloso, neque creberrime denticulato; semine turbinato-hexagono, non compresso. Consulatur *Gartner* vol. 2. pag. 403. tab. 166. fig. 11.; et eiusdem voluminis præfatio pagina XXXIV et seq.

(a) Cephalophoram dixi a florum compositorum forma.



CEPHALOPHORA GLAUCA. *Tab. 599.*

710. CEPHALOPHORA foliis sparsis, sessilibus, linearibus, glaucis: floribus corymbosis.  
 Caulis herbaceus durus, teres, striatus, erectus, sesquipedalis, ramis alternis.  
 Folia radicalia oblongo-ovata in petiolum gracilem sesquipollicarem terminata, reliqua sessilia, sparsa, linearia, glauca, scabriuscula.  
 Flores terminales, et versus summitates ramorum axillares, pedunculis parte inferiore foliosis, superiore nudis, striatis, et prope calicem incrassatis.  
 Calicis communis squamulæ lanceolatæ, vix lineam longæ.  
 Corollæ luteæ.  
 Semina villosa, villis albis adpressis. Reliqua ut in caractere generico.  
 Habitat in Regno Chilense prope Cucha-cucha, ibi lecta a laudato Née. Colitur in Regio horto Matritense ab anno 1796, floretque Iulio et Augusto.  
*Explic.* tab. *a* Receptaculum cinctum calice. *b* Idem auctum, ut foveæ conspiciantur.  
*c* Flosculus. *d* Idem auctus. *e* Corolla cum genitalibus longitudinaliter secta et expansa.  
*f* Semen valde auctum. *g* Pappi palea.

CASSIA DIPHYLLA. *Linnaei Tab. 600. fig. 1.*

711. CASSIA foliis coniugatis: stipulis cordato-lanceolatis. *Linnaei sp. pl. vol. 2. pag. 249.*  
*Lamarck dict. vol. 1. pag. 642.*  
 Caulis teres bipedalis superne ramosus ramis alternis.  
 Folia alterna, coniugata, duo scilicet in petiolo brevi, suntque semiorbiculata, plus minusve oblonga, nervis plerumque quinque versus apicem ramosis. Stipulæ cordatæ, lanceolatæ semipollicem longæ, totos ramos plerumque obtegentes.  
 Flores axillares, solitarii, pedunculis folio longioribus, erectis, prope calicem bisquamatis, squamis alternis brevibus.  
 Calix glumaceus, quinque sexve lineas longus, profundissime partitus in quinque laciniis lanceolatas acutissimas.  
 Corolla saturate lutea, calice paulo longior, petalis quinque orbiculatis, inferiore paulo maiore.  
 Staminum filamenta decem brevia, omnia antherifera: antheræ oblongæ; duabus inferioribus paulo longioribus.  
 Germen oblongum: stylus incurvus: stigma obtusum.  
 Legumen compressum, sesquipollicem et amplius longum, duas lineas amplum, polyspermum. Semina ovato-compressa, suturæ superiori affixa, dissepimentis seiuncta.  
 Habitat in Acapulcis collibus, floretque Febuario. Vidi siccam in dicto herbario.  
*Explic.* tab. *a* Flos antice spectatus. *b* Calix et germen. *c* Genitalia. *d* Legumen dehiscens.  
*Obs.* Laudatus peregrinator exemplaria adportavit integra cum radicibus, quorum nullum sesquipedem longius, et plerumque caulibus simplicibus; folia sunt etiam ipsis octo lineas longa. In *Puerto-Rico* vero hæc Cassia apparet fruticosa foliis amplioribus, pollicaribus scilicet, ramisque virgatis alternis pedem et amplius longis: talem accepi a D. Venenat.

CONVOLVULUS PALUSTRIS. *Tab. 600. fig. 2.*

712. CONVOLVULUS caule erecto ramoso: foliis lanceolatis pilosis: floribus axillaribus solitariis, minutis subtomentosis.  
 Caulis gracilis, teres, pedalis, ramis alternis pilosis.



Folia alterna, sessilia, lineari-lanceolata, pilosa, uti tota planta: caulina lineam ampla, pollicemque longa; reliqua multo breviora et angustiora.

Flores axillares, solitarii, pedunculis bistipulatis.

Calicis foliola ovato-lanceolata, quorum duo interiora sunt, omniaque vix semilineam longa.

Corolla extus subtomentosa, lutea (in sicco), calice triplo longior, monopetala, campanulata, limbo quinque crenato, crenulis obtusis.

Staminum filamenta quinque brevia, corollæ parieti adfixa: antheræ filamentis longiores.

Germen globosum, minimum: stylus filiformis staminum longitudine, in duas lacinias capillares superne partitus: stigmata incrassata.

Capsula globosa, glabra, quadrivalvis. Semina quattuor minuta, glabra, interne angulata dorso obtusa.

Habitat prope paludem vulgo Lagunita in Acapulco viciniis: floret et fructificat Februario et Martio. Vidi siccam in dicto herbario.

*Explic.* tab. *e* Calix auctus, et expansus. *f* Corolla item aucta cum staminibus. *g* Capsula.

*h* Eadem aucta, dehiscens. *i* Semen auctum.



# NOTANDA ET ADDENDA.

## I.

- Num. 16. *Lopezia racemosa* est eadem cum *Lopezia mexicana* *Jacquin Icon. stirp. rarior. vol. 2. tab. 203.*
- Num. 30. *Antirrhinum sparteum* est *Linaria iuncea* *Desfontaines Flor. Atlant. vol. 2. pag. 43.*
- Num. 58. *Phleum schoenoides* est *Crypsis schoenoides* *Lamarck Ill. gen. pag. 116.*
- Num. 67. *Encelia canescens* est *Coreopsis limensis* *Jacq. Icon. vol. 3. tab. 594.*
- Num. 82. *Tradescantia erecta* est *Tradescantia erecta* *Jacquin Icon. stirp. rar. vol. 2. tab. 354.*
- Num. 89. *Zinnia violacea* est *Zinnia elegans* *Jacq. Icon. vol. 3. tab. 589.*
- Num. 116. *Ipomoea sagittata* addendum: *Convolvulus sagittariæfolio* flore purpureo *Pluk. Alm. tab. 85 fig. 3.*
- Num. 121. *Boerhaavia plumbaginea* definienda est hoc modo: *foliis subcordatis, orbiculato-acutis, subtus subvillosis: floribus umbellatis.* Deinde legendum: *corolla infera: stamina iuxta germinis basim corollæ inserta.* Corolla enim in hoc genere ut apposite notarunt *Jussieus* et *Lamarck* est infera, supra germen coarctata, cuius basi persistente semen tegitur.
- Num. 200. *Rhamnus lycioides* addendum: *Lycium angustifolium hispanicum* *Barrel. tab. 996.*
- Num. 274. *Zinnia revoluta* est *Zinnia tenuiflora* *Jacq. Icon. vol. 3. tab. 590.*
- Num. 275. *Rudbeckia perfoliata* videtur *Rudbeckia amplexifolia* *Jacq. Icon. stirp. rar. vol. 3. tab. 592.*
- Num. 298. *Milium latifolium* est *Paspalum racemosum* *Jacq. Icon. vol. 2. tab. 203.* et *Paspalum purpureum* *Fl. Per. et Chil. vol. 1. pag. 47.*
- Num. 315. *Salsola flavescens* addendum: an *Kali vermiculatum fruticans* minori folio hispanicum? *Barrel. tab. 216.*
- Num. 319. *Saccharum sisca* est *Saccharum cylindricum* *Lamarck Ill. gen. pag. 154. tab. 40. fig. 2.*
- Num. 423. *Embothrium herbaceum* est *Embothrium silaifolium* *Smith. New. Hol. tab. 8.*
- Num. 425. *Embothrium linearefolium* est varietas *Emboth. seric.* *Smith. New. Hol. tab. 9.*
- Num. 426. *Embothrium cytisoides* est *Embothrium sericeum* *laudati auctoris Tab. 8.*
- Num. 427. *Embothrium genianthum* est *Embothrium buxifolium* *Smith. New. Hol. tab. 10.*
- Num. 428. *Embothrium spathulatum* est *Embothrium speciosissimum* *Smith. New. Hol. tab. 7.*
- Nota b. pag. 1. vol. V *In memoriam Domini Pomar*, legatur: *In memoriam Domini Honorati Pomar.* Hunc in re herbaria præceptorem habuit celeberrimus *Melchior de Villena*, *Valentinus Hipocrates* atque *Medicinæ Princeps civium suorum* decreto nuncupatus. Consulatur *Vincent. Ximeno de Regni Valentini scriptoribus* Vol. 2. pag. 7.
- Num. 447. *Bauhinia latifolia* videtur *Bauhinia porrecta* *Jacq. Hort. Schoenbrunnensis vol. 1. tab. 100.*
- Num. 599. *Solanum betaceum* (a) est *Solanum crassifolium* *Reg. horti Matritit. decad. pag. 117.*

(a) Solani huius atque *Condaliæ* descriptiones publici iuris feci anno 1799. pag. 39 et 44. vol. 1. *Annalium hist. et scient. nat.*



Num. 600. *Condalia microphylla* est *Ziziphus mirtoides* præcedentis operis pag. 119.

Num. 660. *Æginetia longiflora*. Vidi nuperrime apud D. Ludovicum Née huius plantæ Iconem, et in eius floribus stigma bifidum, laciniis capillaribus, divergentibus nonnihil exsertis. Capsulæ sunt ibidem ampliores quam in mea tabula, umbilicis violaceo-rubris.

## II.

In quarto huius operis volumine ea transcripsi quæ Ventenatius de tribus præcedentibus dixerat; nunc addam quæ ipse de quarto et quinto pronunciavit <sup>(a)</sup>; quia et scientiæ utilissima ea esse reputo et meorum operum illustrationes atque additamenta.

Nous avons fait connoître, dans ce journal <sup>(b)</sup>, les trois premiers volumes de l'ouvrage important de M. Cavanilles; nous nous proposons aujourd'hui de présenter l'analyse des deux volumes suivans. Les botanistes et les amateurs qui n'ont pu encore se les procurer, nous sauront gré, sans doute, d'avoir hâté leur jouissance; mais nous ne craignons pas de leur annoncer qu'elle sera plus complète, lorsqu'ils pourront contempler et apprécier eux-mêmes les travaux utiles du célèbre Naturaliste Espagnol.

On trouve, dans ces deux volumes, la description et la figure d'un grand nombre de plantes nouvelles, dont les unes appartiennent à des genres connus, et augmentent beaucoup le nombre des espèces que ces genres renfermoient, telles que plusieurs *Sida*, *Salvia*, *Leptospermum*, *Metrosideros*, *Eucalyptus*, *Epacris*, *Hoitzia*, *Embothrium*, *Œnothera*, *Bauhinia*, *Calceolaria*, *Stipa*, *Aristida*, *Ipomoea*, *Convolvulus*, *Mutisia*, etc., et les autres constituent des genres nouveaux presque tous parfaitement distincts et solidement établis. C'est au zèle et à l'infatigable activité d'un digne émule des Commerson, des Michaux, etc., D. Luis Née, que nous devons la découverte de ces trésors botaniques. Cet ardent naturaliste, après avoir voyagé durant l'espace de cinq années, dans le Pérou, dans le Chili, dans la Nouvelle Espagne, dans les Indes Orientales, dans les Iles de la Mer du Sud, etc., a rapporté dans sa patrie une vaste et précieuse collection de minéraux, d'insectes, et surtout de végétaux, dont le nombre s'élève, selon le témoignage de M. Cavanilles, à plus de 10000, et dont plus d'un tiers est absolument inconnu aux botanistes.

Jaloux de contribuer promptement aux progrès de la science, M. Née n'a point hésité à communiquer à l'auteur des dissertations sur les plantes monadelphes, dont il connoissoit tout le mérite, une partie de ses richesses botaniques. Le travail intéressant de M. Cavanilles est la réponse la plus péremptoire que l'on puisse faire à ceux qui prétendent qu'on ne devoit jamais décrire les végétaux que sur le vivant, et que les herbiers ne doivent servir qu'à constater l'existence des plantes. Les succès qu'ont obtenus les Linnæus, les Jussieu, les Lamarck, les Smith, les Vahl, et plusieurs autres qui ont trouvé dans leurs collections tant de ressources, soit pour établir de nouveaux genres, soit pour réformer les caractères de ceux qui étoient établis, soit pour décrire de nouvelles espèces, ou pour distinguer celles qui avoient été confondues, sont une preuve frappante de l'utilité des herbiers. L'ouvrage dont nous présentons l'analyse en fournit plusieurs exemples, parmi lesquels nous nous contenterons d'en citer un seul.

Ruiz et Pavon ont établi dans la Flore du Pérou un nouveau genre consacré à la mémoire du célèbre et infortuné Malesherbes, *Malesherbia*. M. Cavanilles ayant trouvé dans l'herbier de D. Luis Née la plante qui avoit fourni les caractères de ce nouveau genre, l'observa avec la plus grande attention, la décrivit avec cette sagacité qui lui est propre, et, n'y trouvant pas les caractères assignés dans le genre *Malesherbia*, il n'hésita pas à en former un genre nouveau. Les auteurs de la Flore du Pérou sont convenus depuis dans leur *Syst. veget. fl. peruuv. et chil.* p. 79, que leur genre étoit le même que celui de M. Cavanilles, mais que leur description étoit incomplète, et même erronée dans la désignation de quelques caractères.

(a) Magasin encyclopedique, ou journal des sciences num. 23. Floreal an. 8. tom. VI. (5. me an.) pag. 307.

(b) Année III, t. V, p. 291.



Les espèces nouvelles qui sont mentionnées dans les deux volumes que nous annonçons, s'élèvent au nombre de 240; elles sont décrites avec cette clarté et cette précision qui permettent au botaniste de saisir, à la simple lecture, les caractères les plus importants de chaque organe. Le pays où elles croissent, le temps où elles fleurissent, sont indiqués avec une scrupuleuse exactitude, et M. Cavanilles a placé souvent à la fin de chaque description, des observations importantes sur les usages auxquels elles sont employées, ainsi que sur les caractères qui les rapprochent ou qui les distinguent de quelques autres espèces du même genre. Il en est plusieurs, surtout dans les *Metrosyderos*, *Eucalyptus*, *Epacris*, *Hoitzia*, *Cantua*, *Embothrium*, *Bauhinia*, *Caryocar* <sup>(a)</sup>, *Calceolaria*, *Mutisia*, etc. que nous regrettons de ne pouvoir faire connaître à nos lecteurs; mais, craignant de franchir les bornes dans lesquelles nous devons nous renfermer, nous n'hésitons pas à sacrifier l'intérêt que les descriptions de ces superbes végétaux pourroient répandre sur notre analyse, pour nous livrer, comme dans notre premier extrait, à des discussions purement botaniques.

**COLLADOA.** Ce genre, qui appartient à la famille des Graminées, a beaucoup de rapport avec l'*ANTHISTIRIA*; mais il en diffère par sa glume coriace, 1-phylle, profondément 2-fide, et renfermant trois fleurs dont une simplement mâle et les autres hermaphrodites.

L'espèce que M. Cavanilles décrit sous le nom de *Colladoa disticha* (tab. 460), croît près de Samboangan dans les Philippines. Elle s'élève à 15 décimètres de hauteur, et ses fleurs sont disposées en épi.

**ARJONA.** En changeant les noms donnés par M. Cavanilles à quelques organes de la fructification, par exemple en nommant bractées ce qu'il appelle calyce, en nommant calyce ce qu'il appelle corolle, etc., on reconnoit aisément que ce genre doit être rapporté à la famille des Daphnoïdes, et qu'il se rapproche même beaucoup par son port du *Passerina*, dont il diffère néanmoins par ses étamines au nombre de cinq, par les écailles qui couronnent l'ovaire, et par ses deux stigmates.

L'espèce qui constitue ce genre est originaire de l'Amérique méridionale. M. Cavanilles lui a donné le nom de *tuberosa* (tab. 383), parce que les fibres de sa racine sont tuberculifères comme dans le *Cyperus esculentus*; ses fleurs sont terminales et presque disposées en corymbe.

**LINKIA.** Il suffit de voir la fleur du *Linkia* pour reconnoître que ce genre appartient à la famille des *Protéoides*, distinguée de toutes les Dicotylédones apétales à étamines périgynes, par les fleurs dont les Anthères sont insérées au sommet des divisions du calyce.

Le *Linkia* a beaucoup d'affinité avec l'*Embothrium*, dont il ne diffère que par ses anthères linéaires, droites, insérées presque sur le milieu des divisions du calyce, et par ses fleurs solitaires. Il se rapproche aussi beaucoup du *Roupala*, mais il s'en distingue aisément par son inflorescence et surtout par son fruit polysperme.

L'espèce décrite sous le nom de *Levis*, croît près la ville de Jackson, dans la Nouvelle Hollande. Sa tige frutescente et rameuse s'élève à deux ou trois mètres de hauteur. Ses feuilles sont nombreuses, éparses, ovales, lancéolées et très entières.

**CARMONA.** Nous rapportons ce genre à notre famille des Sebesteniens. Il se rapproche beaucoup de l'*Ehretia*; mais il en est distingué par ses deux styles, et par son fruit qui est un drupe renfermant une noix 6 loculaire et 6 sperme.

M. Cavanilles a donné à l'espèce qu'il décrit et qui croît à l'île Luzon, l'une des Marianes, le nom d'*heterophylla* (tab. 438): mais ce nom spécifique doit être changé, parce que l'*Ehretia Buxifolia* ROSB. tab. 57 (même plante que l'*Ehretia mycrophylla* LAM. et que le *Cordia retusa* VHAL, Symb. bot. pars secunda, pag. 42), qui est évidemment congénère du *Carmona* CAV. porte aussi des feuilles d'une forme différente.

**CORTESIA.** Les tubercules pilifères dont les feuilles sont hérissées dans l'espèce décri-

(a) En lisant la description que M. Cavanilles donne du *Caryocar Amygdaliferum* MUTIS, on seroit tenté de croire, ou que cette espèce est congénère du

*Pekea* AUBL., ou que le *Caryocar* et le *Pekea* doivent être réunis et ne former qu'un seul et même genre.



te par M. Cavanilles, font déjà soupçonner que ce genre, dédié au conquérant du Mexique, doit se rapporter à la même famille que le *Carmona*. Les caractères de la fructification viennent à l'appui de cette conjecture. En effet, le calyce est libre, monophylle; la corolle est hypogyne, 1-pétale, régulière et staminifère; le style est 2-fide, et le fruit est oligosperme.

Le *C. Cuneifolia* (tab. 377) croît à Buenos-Ayres. C'est un arbrisseau très-rameux, qui s'élève environ à un mètre et demi de hauteur. Ses feuilles alternes, sessiles, cunéiformes et trifides à leur sommet, sont hérissées de tubercules sur leurs deux surfaces. Les fleurs d'un jaune blanchâtre sont solitaires, sessiles et ordinairement terminales.

CALBOA. Il suffit de considérer la structure du fruit de ce genre, pour déterminer avec exactitude l'ordre au quel on doit le rapporter. Les Convolvulacées sont les seules monopétales hypogynes dont le fruit présente dans le centre un placenta à plusieurs angles septiformes et correspondans aux sutures des valves qui sont libres. Le *Calboa* se rapproche beaucoup de l'*Ipomœa*; mais il en diffère, comme l'a observé M. Cavanilles, par son calyce à cinq découpures, par son stigmate simple, par ses étamines dont les filamens sont entièrement glabres et d'une grandeur égale, et par sa capsule 4-loculaire. Il a aussi beaucoup de rapport avec le *Convolvulus*; mais il s'en distingue par son stigmate simple et par sa corolle 5-fide.

L'espèce que M. Cavanilles décrit sous le nom de *Vitifolia* (tab. 476), croît aux environs de Saint-Blaise, dans l'Amérique septentrionale. La tige de cette plante est grimpante, et s'élève à près de trois mètres de hauteur. Ses feuilles, portées sur des pétioles qui se contournent, ressemblent à celles de la vigne. Ses fleurs, portées sur un pédoncule axillaire et presque disposées en corymbe, sont jaunes en dehors, rouges en dedans, et longues environ de trois centimètres.

Ne pourroit on pas rapporter au genre *Calboa* de M. Cavanilles, les *Convolvulus*, *Pentapetaloides* L. et *Parviflorus* LAM.?

POIRETIA, VENTENATIA, PEROJOA. Ces trois genres, qui ont beaucoup de rapport avec l'*Epacris* L. dont M. Cavanilles a reformé le caractère générique, doivent constituer une nouvelle section dans la famille des Bruyères.

Le *Poiretia* (tab. 343) diffère de l'*Epacris* par sa corolle à 5 pétales et par son ovaire dépourvu d'écailles. Ce genre est, à ce que nous a appris M. Vhal, le même que le *Sprengelia* Smith, act. Holm.—Gmelin avoit déjà donné le nom de *Poiretia* à une plante de l'Amérique septentrionale, qui, de même que le *Demidofia* du même auteur, paroît être congénère du *Dichondra* FORST.

Le *Ventenatia* se distingue surtout de l'*Epacris* par son fruit qui est une noix globuleuse à 5 loges 1-spermes. Les deux espèces décrites par M. Cavanilles (tab. 348 et 349, fig. 1) sont des sous-arbrisseaux qui croissent près de Jackson dans la Nouvelle Hollande.

On seroit tenté d'éloigner le *Perojoa* de la famille des Bruyères, lorsque l'on considère que son fruit est 1-sperme; mais l'on est convaincu que c'est l'ordre auquel il faut le rapporter, en réfléchissant sur l'affinité de ce genre avec celui de l'*Epacris* dont il se rapproche, soit par le port, soit par la conformité dans la plupart des organes de la fructification. D'ailleurs l'*Arbutus uva-ursi*, dont le fruit est également 1 sperme, appartient certainement à la famille des Bruyères. L'espèce que décrit M. Cavanilles, sous le nom de *Perojoa Mycrophylla* (tab. 349, fig. 2), est un sous-arbrisseau très-rameux qui croit dans le même pays que le *Ventenatia*. Ses feuilles sont nombreuses, petites, ovales, appliquées contre la tige et les rameaux, et comme imbriquées. Ses fleurs sont terminales, rapprochées en tête et rougeâtres.

SELLIERA. M. Cavanilles a présenté dans le second numéro des *Annales de Historia Natural*, une dissertation très intéressante sur le *Goodenia* SMITH (a), dans laquelle il ob-

(a) Nous avons décrit et fait figurer une espèce de l'Institut, sciences physiques et mathématiques. de ce genre dans le second volume des Mémoires



serve que ce genre, ainsi que le *Selliera* et le *Scaevola* L. sont conformes par les caractères de la fleur, mais qu'ils diffèrent essentiellement par ceux du fruit. En effet, le fruit du *Goodenia* est une capsule 2-valve et polysperme; celui du *Scaevola* est une noix à une ou deux loges 1-spermes, et celui du *Selliera* est une baie uniloculaire contenant plusieurs semences disposées sur quatre rangées autour d'un placenta central.

Nous avons fait connoître l'espèce qui constitue ce genre dans le N.º 33 du Bull. de la Soc. phil. an 8.

**CALYCERA.** Ce genre doit être placé dans la troisième section des Cinarocéphales Juss. après l'*Echinops*. Les caractères qui le constituent sont fortement tranchés. Calyce commun polyphylle; calyce propre 1-phylle, 5-denté, 1-flore; stigmaté simple; semences pentagones renfermées chacune dans leur calyce, dont les dents se sont allongées; réceptacle hérissé de paillettes.

L'espèce décrite par M. Cavanilles sous le nom d'*Herbacea* (tab. 358), est originaire du Chili. La racine de cette plante pousse plusieurs tiges hautes environ de trois à quatre décimètres; les feuilles presque toutes radicales sont pinnatifides, et les fleurs sont réunies en une tête sphérique, solitaire et terminale.

**ARGYROCHÆTA.** Linnæus avoit rapporté au *Parthenium* l'espèce qui constitue ce genre (*Parthenium Hysterophorus*). Les observations de M. Cavanilles ont prouvé qu'elle devoit en être séparée, et qu'elle constituoit un genre nouveau qui a beaucoup d'affinité avec le *Chrysogonum*, mais qui en diffère par les fleurons du disque 4-fides et 4-andres, par les demi-fleurons orbiculaires et 2-dentés, par les semences surmontées chacune de deux ailes, et par les paillettes du réceptacle, cunéiformes dans le disque et orbiculaires à la circonférence.

**STEVIA.** Le *Stevia* a beaucoup de rapports avec l'*Eupatorium* et l'*Ageratum*; mais il diffère surtout du premier par son calyce simple polyphylle, et par les arêtes qui surmontent ses semences: on le distingue du second par la structure du calyce et par ses fleurons 4-fides.

M. Cavanilles, après avoir observé que l'*Ageratum Lineare*, décrit dans le vol. III, p. 3, tab. 205, est congenre du *Stevia*, décrit trois nouvelles espèces, savoir *S. Salicifolia* (tab. 354), *S. Serrata* (tab. 355), et *S. Pedata* (tab. 356). Nous pensons qu'on doit encore rapporter à ce nouveau genre toutes les espèces d'Eupatoire dont le calyce est simple, et dont l'aigrette qui surmonte les semences est formée de filets roides.

**STYLOCORYNA.** Ce genre dont la corolle est monopétale, dont l'ovaire est adhérent, et dont les feuilles sont opposées et munies de stipules, appartient évidemment à la famille des Rubiacées. Il doit être placé dans la quatrième section de Juss. après le *Genipa* dont il diffère par son calyce urcéolé et 5-denté, par ses antheres saillantes et presque sessiles, par son style en forme de massue, et par la forme de son fruit.

L'espèce décrite par M. Cavanilles sous le nom de *S. racemosa* (tab. 368), croît aux îles Philippines. C'est un arbre de moyenne grandeur, dont les feuilles sont ovales-lancéolées, dont les fleurs, d'un blanc jaunâtre, sont disposées en grappes rameuses et axillaires, et dont les fruits sont pisiformes.

**GUIOA.** Il existe une grande affinité entre ce genre et le *Cupania* de Sw., dans lequel on trouve également des feuilles ailées sans impaire, des fleurs disposées en grappe, un calyce à cinq feuilles, une corolle à cinq pétales insérées sur le disque charnu qui entoure la base de l'ovaire, huit étamines, un ovaire stipité, et des semences semiarillées; mais il en diffère par le stigmaté simple et par le fruit tricapsulaire.

L'espèce qui constitue ce genre, et que M. Cavanilles nomme *Lentiscifolia* (tab. 373), est un arbrisseau originaire de l'île des Amis, qui s'élève à plus de deux mètres de hauteur, et dont les fleurs rougeâtres sont disposées en panicules axillaires et terminales.

**GALPHIMIA.** M. Cavanilles, en adoptant le nom de *Galphimia* (a), a indiqué l'affinité

(a) *Galphimia* est l'anagramme de *Malpighia*.



de ce genre avec celui du *Malpighia*, dont il ne diffère que par les divisions du calyce qui sont nues, et par les filamens des étamines qui sont libres dans toute leur étendue (a).

L'espèce décrite sous le nom de *G. Glauca* (tab. 489), est originaire du Mexique. C'est un arbrisseau rameux s'élevant à plus de deux mètres de hauteur, dont les feuilles sont ovales, dentées à leur base, d'un vert gai en dessus et glauques en dessous. Les fleurs, de couleur jaune et rougeâtres à leur sommet, sont disposées en grappes simples et terminales.

**MAGALLANA.** Ce genre, consacré à la mémoire d'un célèbre navigateur, se rapproche infiniment du *Tropaeolum*; mais il en diffère par son calyce à trois divisions, dont deux supérieures entières, et une inférieure 3-fide; par sa corolle dont les trois pétales supérieurs sont portés sur un onglet filiforme, tandis que les deux inférieurs sont sessiles; par son stigmate 2-fide; et surtout par son fruit, formé d'une ou de deux samares, munies chacune de trois ailes, et 1-spermes.

Le *Magallana porifolia* (tab. 374), qui est la seule espèce connue du genre, est originaire de l'Amérique méridionale. C'est une plante herbacée dont la tige filiforme et grimpante a environ un mètre de longueur. Ses feuilles sont alternes, trifides et ponctuées. Ses fleurs sont solitaires, axillaires et de couleur jaune.

**CRISTARIA.** Le nom de *Cristaria* ayant été donné par Sonnerat à une plante que Jussieu a reconnu être congénère du *Combretum*, M. Cavanilles a cru devoir employer ce nom pour désigner un genre nouveau de la famille des Malvacées, qui a de grands rapports avec le *Sida*, mais qui en diffère surtout par le disque qui entoure l'ovaire à sa base, et par la structure de l'arille des semences.

M. Cavanilles rapporte trois espèces à ce nouveau genre; savoir, *Cristaria glaucophylla* (tab. 418), plante herbacée, originaire du Chili, dont la tige est couchée, rameuse, tomenteuse et longue environ d'un mètre, dont les feuilles, portées sur de longs pétioles, sont trilobées et incisées, et dont les fleurs, couleur de chair, sont disposées en panicule terminale; *Cristaria multifida*, même plante que les *Sida multifida* CAV. Monad. pag. 25, N.º 53, tab. 4, fig. 2 *Sida pterosperma* L'HER. stirp. tab. 57; et le *Cristaria betonicaefolia* FEUILL. (Voy. pag. 40, tab. 27).

**BROTERA.** Le *Brotera* doit être placé dans la sixième section des Malvacées, Juss., après le *Dombeya*, dont il diffère principalement par son fruit, qui est une capsule à cinq loges.

Ce genre renferme deux espèces. L'une *B. ovata* (tab. 433), est originaire de la Nouvelle Espagne. Sa tige est herbacée; les feuilles sont ovales, dentées en scie; les pédoncules axillaires portent deux ou trois fleurs; et les étamines sont au nombre de dix, dont cinq alternes stériles. L'autre *B. Phoenicea*, ou *Pentapetes phoenicea* L., ou *Dombeya phoenicea* CAV. Monad. p. 129, tab. 43, fig. 1, est originaire des Indes orientales. Sa tige est herbacée; ses feuilles sont presque hastées, tres-longues, étroites, crénelées; les pédoncules axillaires sont 1-flores; et les étamines sont au nombre de vingt, dont quinze fertiles, séparées de trois en trois par un filament stérile et plus long. J'avois déjà observé dans le *Tabl. du Regn. végét.* vol. 3, p. 198, que cette espèce n'appartenait point au genre *Dombeya*, et je lui avois conservé le nom de *Pentapetes* que Gaertner avoit adopté, en insistant sur le caractère du calyce extérieur, dont le célèbre auteur de la *Carpologie* n'avoit fait aucune mention.

**COLONA** (b). Il appartenait à M. Cavanilles, dont Christophe Colomb a illustré la patrie, de consacrer la reconnaissance des naturalistes, en donnant à celui dont le génie et le courage ont agrandi le domaine de la science qu'ils cultivent, une marque signalée de leur estime et de leur reconnaissance.

Le genre *Colona* a beaucoup de rapport avec le *Grewia*; mais il en diffère surtout

(a) Ce dernier caractère est bien surprenant dans la famille des Malpighiacées.

*lumbi, sive potius COLON, ut ipse suosque posteros in Hispania cognominari voluit.* CAV. vol. IV,

(b) *In memoriam clarissimi Christophori Co-* p. 47.



par son stigmate simple et par son fruit relevé de quatre ailes doubles.

L'espèce qui constitue ce genre, *C. serratifolia* (tab. 370), est originaire des Philippines. C'est un arbre qui s'élève à sept à huit mètres de hauteur. Ses feuilles, portées sur de courts pétioles, sont ovales, acuminées, dentées en scie, tronquées obliquement à leur base sur un de leurs côtés. Ses fleurs, disposées en grappes axillaires, sont d'une belle couleur rouge.

ANGOPHORA. Parmi les plantes récoltées dans la Nouvelle Hollande, les botanistes ont déjà trouvé plusieurs nouveaux genres, tels que *Leptospermum*, *Melaleuca*, etc. qui doivent être placés dans les Myrtoïdes. L'*Angophora* appartient aussi à cette famille. Il a beaucoup de rapport avec le *Metrosideros*; mais il en diffère par son calyce relevé de cinq côtes saillantes, par les loges du fruit qui sont 1-spermes, et par la forme des semences.

L'*Angophora* comprend deux espèces. L'une, *A. Cordifolia* (tab. 338), a les feuilles sessiles, ovales et cordiformes à leur base; ses fleurs sont disposées en corymbe. L'autre, *A. Lancoolata* (tab. 339), ou *Metrosideros costata* GÆRTN., a les feuilles pétiolées, lancéolées, acuminées, et ses fleurs sont disposées en ombelle.

ZUCCAGNIA, HOFFMANSEGGIA, POMARIA, PAULETIA. Ces quatre genres appartiennent à la famille des Légumineuses.

Le premier a une grande affinité avec l'*Hæmatoxylum*; mais il en diffère par le pétale supérieur concave et plus grand que les autres, par le stigmate infundibuliforme, et par le fruit 1-sperme dont la semence est suspendue au sommet des valves par un filament. L'espèce qui constitue ce genre, *Z. punctata* (tab. 403), se trouve sur les montagnes du Chili. C'est un arbrisseau très-rameux qui s'élève à 1-2 mètres de hauteur. Ses feuilles sont ailées avec impaire; les folioles, au nombre de sept à huit sur chaque rangée, sont alternes, elliptiques, ponctuées et visqueuses. Ses fleurs, disposées en grappes terminales, sont d'une belle couleur de saffran. Le légume est court, comprimé et hérissé de filamens roussâtres.

Le second ne diffère du *Poinciana* ou du *Cæsalpinia*, comme l'observe M. Cavanilles, que par son calyce persistant. Ce genre comprend deux espèces originaires de l'Amérique méridionale. L'une, *H. falcaria* (tab. 392), a une tige suffrutiqueuse et tombante; ses feuilles sont bipinnées, et ses légumes sont arqués. L'autre, *H. trifoliata* (tab. 393, fig. 1), est presque dépourvue de tige. Les pétioles qui s'élèvent de la racine sont trifoliés. Les feuilles sont ailées, et les légumes sont droits.

Le troisième se rapproche infiniment du *Cæsalpinia*, dont il ne diffère que par les divisions du limbe du calyce qui sont égales, et par son pétale supérieur qui est concave et plus court que les autres. Ce genre ne contient qu'une seule espèce originaire de la Nouvelle Espagne. M. Cavanilles a nommé cette espèce *glandulosa* (tab. 402), parce que les rameaux, les feuilles, les calyces, les fleurs et les fruits sont hérissés de glandes.

Le quatrième se rapproche aussi beaucoup, par son port, et surtout par ses feuilles bilobées, du *Bauhinia*; mais il en diffère par quelques caractères de la fructification; savoir, le calyce dont les divisions du limbe sont très-profondes et dont le tube persiste, et les étamines qui sont monadelphes. M. Cavanilles décrit deux espèces de ce genre. L'une, *P. inermis* (tab. 409), croît aux environs d'Acapulco. C'est un arbre de moyenne grandeur, dont les feuilles pétiolées sont divisées en deux lobes aigus et divergens, dont les fleurs jaunâtres et teintes de rouge sont disposées en grappes terminales, et dont les légumes, à peine larges de neuf millimètres, ont souvent plus de deux décimètres de longueur. L'autre, *P. aculeata* (tab. 410), se trouve dans les environs de Panama. C'est un arbrisseau à stipules en forme d'aiguillons, dont les feuilles sont partagées en deux lobes obtus, et dont les fleurs latérales et géminées forment, vers le sommet des rameaux, une grappe feuillée.

LOUREIRA. Nous avons fait connoître, dans le N.º 25 du Bulletin de la Société philomathique, an 7, ce nouveau genre de M. Cavanilles, qui, dans l'ordre des rapports,



doit être placé dans la famille des Tithymaloïdes, après l'*Aleurites*.

GYNOPLÉVRA. Ce genre, dont nous avons fait mention au commencement de cet extrait, et auquel doit se rapporter le *Malesherbia* de la Flore du Pérou, doit être réuni aux *Passiflora* L., *Murucua* Juss. (Voy. CAV. Monad. pl. 287) et *Tacsonia* Juss. (*Ibid.* pl. 275, 276 et 277, et SMITH *icon.* tab. 25), pour former une nouvelle famille. Il se distingue du *Passiflora* par l'absence de la couronne frangée, du *Murucua* par l'absence du tube conique, du *Tacsonia* par l'absence de l'involucre trifide urcéolé et situé à la base du calyce; et il diffère de tous ces genres par le caractère que fournissent les styles insérés au dessous du sommet de l'ovaire. M. Cavanilles décrit deux espèces de ce genre; l'une originaire du Pérou, *G. tubulosa* (tab. 375), se distingue par ses feuilles éparses, sessiles, lancéolées, inégalement dentées et tomenteuses, par ses fleurs disposées en épi serré au sommet de la tige et des rameaux, par son calyce tubuleux ventru, dont les divisions du limbe sont lancéolées, et par la capsule qui est plus longue que le calyce. L'autre, qui se trouve sur les montagnes du Chili, *G. linearifolia* (tab. 376), a les feuilles alternes, linéaires et ciliées; ses fleurs sont solitaires et axillaires; le calyce infundibuliforme est partagé à son limbe en divisions ovales; et la capsule est plus courte que le calyce.

Quoique M. Cavanilles, dans la description des plantes nouvelles qu'il nous fait connoître, ne se soit point asservi aux formes systématiques, quoiqu'il n'ait négligé aucun de leurs caractères essentiels, il est néanmoins quelques genres qu'il ne nous a pas été possible de rapporter à des familles connues. Ces genres sont le *Bursaria*, vol. IV, p. 30, tab. 350; l'*Eucriphia*, vol. IV, p. 48, tab. 372; et le *Cervantesia*, vol. V, p. 50, tab. 475. Nous présumons cependant que l'*Eucriphia* a quelques rapports avec les Hypéricoides, et que le *Cervantesia* pourroit appartenir à la seconde section des Rhamnoides.

M. Cavanilles a donné à la fin de chaque volume la liste de plusieurs plantes qu'il avoit déjà publiées, et qui ont été néanmoins insérées depuis, sous un autre nom, dans un ouvrage intitulé, *Regii horti matritensis plantarum decades*. Cette énumération, faite sur deux colonnes dans lesquelles correspondent les noms différens donnés aux mêmes plantes, sera d'une grande utilité aux botanistes dont elle abrégera le travail dans la discussion des synonymes.

Terminons cet extrait, peut-être déjà trop étendu, en observant que les descriptions de M. Cavanilles sont claires et précises, que les synonymes, lorsqu'il a eu occasion d'en citer, sont très-exacts, et que les figures, dans lesquelles on trouve détaillés tous les organes de la fructification, sont aussi nettes et correctes que celles des volumes précédens. On s'apercevra aussi que M. Cavanilles a quelquefois déposé les crayons de Flore, pour saisir le pinceau de l'histoire. Depuis longtemps l'Europe savante a placé l'auteur des plantes monadelphes au rang des botanistes les plus distingués. Ses travaux honorent la nation espagnole, et méritent d'être accueillis avec un véritable intérêt par tous les amis de la science.

E. P. Ventenat, membre de l'Institut national.







# PLANTARUM

## QUÆ IN SEX VOLUMINIBUS CONTINENTUR

### TABULA SYSTEMATICA.

*Obs. Stella mea nova genera notant.*

#### CLASSIS I. MONANDRIA.

	<i>Vol.</i>	<i>Num.</i>	<i>Tab. Fig.</i>
* LOPEZIA racemosa.....	1...	16...	18...
BOERHAAVIA plumbaginea.....	2...	121...	112...

#### CLASSIS 2. DIANDRIA.

IUSTICIA peruviana.....	1...	26...	28...
ligulata.....	1...	79...	71...
coccinea.....	2...	218...	199...
sexangularis.....	3...	222...	203...
CAICEOLARIA polyrhiza.....	5...	487...	441...
Fothergilli.....	5...	488...	442... I.
pinifolia.....	5...	489...	442... 2.
lobata.....	5...	490...	443... I.
cana.....	5...	491...	443... 2.
montana.....	5...	492...	444... I.
lanceolata.....	5...	493...	444... 2.
ferruginea.....	5...	494...	445... I.
alternifolia.....	5...	495...	445... 2.
crenatiflora.....	5...	496...	446...
paralia.....	5...	497...	447...
racemosa.....	5...	498...	448...
multiflora.....	5...	499...	449...
gemelliflora.....	5...	500...	450... I.
terniflora.....	5...	501...	450... 2.
petioalaris.....	5...	502...	451...
violacea.....	5...	503...	452...
IOVELLANA triandra.....	5...	504...	453...
UTRICULARIA tenuis.....	5...	486...	440... 2.
SALVIA fulgens.....	1...	21...	23...
leucantha.....	1...	22...	24...
tubifera.....	1...	23...	25...
mexicana.....	1...	24...	26...
polystachya.....	1...	25...	27...
involucrata.....	2...	114...	105...
purpurea.....	2...	182...	166...
chamædryoides.....	2...	216...	198...
angustifolia.....	4...	346...	317...
circinata.....	4...	347...	318...
papilionacea.....	4...	348...	319...
phlomoïdes.....	4...	349...	320...
patens.....	5...	505...	454...
regla.....	5...	506...	455...
exasperata.....	6...	639...	558...
OPHYKIS lutea.....	2...	177...	161...
scolopax.....	2...	178...	162...

#### CLASSIS 3. TRIANDRIA.

##### *Monogynia.*

VALERIANA angustifolia.....	4...	390...	353...
sanguisorbæfolia.....	5...	507...	456...
ORTEGIA hispanica.....	1...	53...	47...
LOEFLINGIA hispanica.....	1...	103...	94...
pentandra.....	2...	162...	148... 2.
IRIS sisyrrinchium.....	2...	212...	193...
CYPERUS iuncifolius.....	3...	223...	204... I.
pygmaeus.....	6...	684...	588... 2.
NARDUS stricta.....	3...	224...	204... 2.
SCLERIA bracteata.....	5...	508...	457...

SCLERIA margaritifera.....	5...	509...	...
foveolata.....	5...	510...	...
CENCRUS spinifex.....	5...	514...	461...
echinatus.....	5...	515...	462...
caliculatus.....	5...	516...	463...
CAREX phleoides.....	5...	517...	464... I.
erinacea.....	5...	518...	464... 2.
trifida.....	5...	519...	465...

##### *Digynia.*

SACCHARUM sisca.....	3...	319...	292...
PHALARIS bulbosa.....	1...	70...	64...
PANICUM repens.....	2...	119...	110...
PHLEUM schœnoides.....	1...	58...	52...
MILIUM latifolium.....	3...	298...	273...
tenellum.....	3...	299...	274... I.
AGROSTIS pungens.....	2...	120...	111...
AIRA involucrata.....	1...	48...	44... I.
MELICA nutans.....	2...	192...	175... 2.
aurantiaca.....	5...	533...	472... I.
violacea.....	5...	534...	472... 2.
rigida.....	5...	535...	473... I.
laxiflora.....	5...	536...	473... 2.
POA eragrostis.....	1...	101...	92...
verticillata.....	1...	102...	93...
maritima.....	2...	138...	126...
CYNOSURUS lima.....	1...	100...	91...
FESTUCA calicina.....	1...	49...	44... 2.
BROMUS rubens.....	1...	51...	45... 2.
humilis.....	6...	686...	589... 2.
verticillatus.....	6...	687...	590...
pallens.....	6...	688...	591... I.
ovatus.....	6...	689...	591... 2.
matritensis.....	6...	690...	...
STIPA humilis.....	5...	520...	466... I.
bicolor.....	5...	521...	466... 2.
eminens.....	5...	522...	467... I.
micrantha.....	5...	523...	467... 2.
AVENA Lœfflingiana.....	1...	50...	45... I.
ARISTIDA capillacea.....	5...	524...	468... I.
pallens.....	5...	525...	468... 2.
murina.....	5...	526...	469... I.
rigida.....	5...	527...	469... 2.
laxa.....	5...	528...	470... I.
luzoniensis.....	5...	529...	470... 2.
vagans.....	5...	530...	471... I.
interrupta.....	5...	531...	471... 2.
ternipes.....	5...	532...	...
elatior.....	6...	685...	589... I.
ROTTBOLLIA monandra.....	1...	41...	39... I.
incurvata.....	3...	235...	213...
ÆGILOPS squarrosa.....	1...	99...	90... 2.
* COLLADOA distachya.....	5...	513...	460...
ANTHISTIRIA gigantea.....	5...	511...	458...
ciliata.....	5...	512...	459...

##### *Trigynia.*

POLYCARPON diphyllum.....	2...	165...	151... I.
TRAGIA nepetæfolia.....	6...	636...	557... I.



CLASSIS 4. TETRANDRIA.

*Monogynia.*

BANKSIA spinulosa.....	6..	615..	537..
ericæfolia.....	6..	616..	538..
serrata.....	6..	617..	539..
microstachya.....	6..	618..	540..
oblongifolia.....	6..	619..	542..
robur.....	6..	620..	543..
marginata.....	6..	621..	544..
oleæfolia.....	6..	622..	545..
integrifolia.....	6..	623..	546..
glauca.....	6..	624..	...
salicifolia.....	6..	625..	...
HAKEA pugioniformis.....	6..	611..	533..
gibbosa.....	6..	612..	534..
dactyloides.....	6..	613..	535..
piriformis.....	6..	614..	536..
EMBOTHRIUM coccineum.....	1..	71..	65..
herbaceum.....	4..	423..	384..
ferrugineum.....	4..	424..	385..
linearefolium.....	4..	425..	386.. I.
cytisoides.....	4..	426..	386.. 2.
genianthum.....	4..	427..	387..
spathulatum.....	4..	428..	388..
* LINKIA levis.....	4..	429..	389..
LAMBERTIA formosa.....	6..	626..	547..
PROTEA tridactylides.....	6..	627..	548..
acufera.....	6..	628..	549..
pulchella.....	6..	629..	550..
dichotoma.....	6..	630..	551..
SCABIOSA tomentosa.....	2..	201..	183..
saxatilis.....	2..	202..	184..
HEDYOTIS ovatifolia.....	6..	662..	573.. I.
dichotoma.....	6..	663..	573.. 2.
media.....	6..	664..	574.. I.
multiflora.....	6..	665..	574.. 2.
laricifolia.....	6..	666..	575.. I.
hyssoifolia.....	6..	667..	575.. 2.
IXORA ternifolia.....	4..	333..	305..
ÆGINETIA longiflora.....	6..	660..	572.. I.
multiflora.....	6..	661..	572.. 2.
* BUENA panamensis.....	6..	659..	571..
HOUSTONIA rubra.....	5..	537..	474.. I.
GALIUM capillare.....	2..	209..	191.. 2.
fruticescens.....	3..	226..	206.. 2.
RUBIA acalculata.....	2..	214..	195..
PLANTAGO albicans.....	2..	136..	124..
amplexicaulis.....	2..	137..	125..
pilosa.....	3..	271..	249.. I.
philippica.....	4..	397..	359.. 2.
COUTOUBEA ternifolia.....	4..	357..	328..
KRAMERIA cytisoides.....	4..	430..	390..

CLASSIS 5. PENTANDRIA.

*Monogynia.*

ANCHUSA lutea.....	1..	75..	69.. I.
ANDROSACE spathulata.....	5..	551..	484.. I.
ANAGALIS tenella.....	2..	135..	123.. 2.
alternifolia.....	6..	578..	505.. 2.
CONVOLVULUS pentapetaloides.....	2..	134..	123.. I.
valentinus.....	2..	198..	180.. 2.
capitatus.....	2..	207..	189..
undulatus.....	3..	303..	277.. I.
lasianthus.....	5..	544..	479.. I.
laciniatus.....	5..	545..	479.. 2.
dissectus.....	5..	546..	480.. I.
bonariensis.....	5..	547..	480.. 2.
sphaerostigma.....	5..	548..	481..
platicarpus.....	5..	549..	482..
palustris.....	6..	712..	600.. 2.
IPOMŒA sagittata.....	2..	116..	107..

IPOMŒA tricolor.....	3..	230..	208..
stans.....	3..	273..	250..
pentaphylla.....	3..	279..	256..
bona nox.....	3..	328..	300..
pilosa.....	4..	352..	323..
bracteata.....	5..	541..	477..
ternifolia.....	5..	542..	478.. I.
muricata.....	5..	543..	478.. 2.
* CALBOA vitifolia.....	5..	540..	476..
MIRABILIS viscosa.....	1..	17..	19..
corymbosa.....	4..	417..	379..
aggregata.....	5..	481..	437..
* COBŒA scandens.....	1..	15..	16.. I.
CANTUA ovata.....	4..	401..	363..
tomentosa.....	4..	402..	364..
HOITZIA coccinea.....	4..	403..	365..
cœrulea.....	4..	404..	366..
glandulosa.....	4..	405..	367..
PHIOLX linearis.....	6..	602..	527..
pinnata.....	6..	603..	528.. I.
* BONPLANDIA geminiflora.....	6..	610..	532..
* POIRETIA cucullata.....	4..	378..	343..
EPACRIS longiflora.....	4..	379..	344..
pulchella.....	4..	380..	345..
pungens.....	4..	381..	346..
spurea.....	4..	382..	347.. I.
villosa.....	4..	383..	347.. 2.
* VENTENATIA humifusa.....	4..	384..	348..
procumbens.....	4..	385..	349.. I.
* PEROJOA microphylla.....	4..	386..	349.. 2.
* BURSARIA spinosa.....	4..	387..	350..
ATROPA procumbens.....	1..	80..	72..
SOLANUM parviflorum.....	3..	258..	236..
eleagnifolium.....	3..	265..	243..
lanceolatum.....	3..	267..	245..
triquetrum.....	3..	282..	259..
lentum.....	4..	336..	308..
fructu-tecto.....	4..	337..	309..
phyllanthum.....	4..	396..	359.. I.
pinnatum.....	5..	483..	439.. I.
pygmaeum.....	5..	484..	439.. 2.
betaceum.....	6..	599..	524..
PHYSALIS suberosa.....	2..	111..	102..
somnifera.....	2..	112..	103..
IACQUINIA macrocarpa.....	5..	550..	483..
CERVANTESIA bicolor.....	5..	539..	475..
* ARJONA tuberosa.....	4..	422..	383..
SCÆVOLA microcarpa.....	6..	582..	509..
hispida.....	6..	583..	510..
GOODENIA ovata.....	6..	579..	506..
paniculata.....	6..	580..	507..
heterophylla.....	6..	581..	508..
* SELIERIA radicans.....	5..	538..	474.. 2.
IASIONE foliosa.....	2..	161..	148.. I.
MUSSËNDA tetracantha.....	5..	479..	435..
CANTHIUM pedunculare.....	5..	480..	436..
RHAMNUS pumilus.....	2..	199..	181..
lycioides.....	2..	200..	182..
iguaneus.....	3..	321..	294..
umbellatus.....	6..	576..	504..
trinervis.....	6..	577..	505.. I.
CEANOTHUS microcarpus.....	3..	302..	276..
asiaticus.....	5..	485..	440.. I.
* CONDALIA microphylla.....	6..	600..	525..
* STYLOCORYNA racemosa.....	4..	406..	368..
* CORTESIA cuneifolia.....	4..	415..	377..
GUAZUMA polybotra.....	3..	327..	299..
ANGUILLARIA pyramidalis.....	6..	574..	502..
serrata.....	6..	575..	503..
CINCHONA philippica.....	4..	358..	329..
CERBERA ovata.....	3..	295..	270..
RAUWOLFIA glabra.....	3..	325..	297..
spinosa.....	6..	601..	526..
* TRICYCLA spinosa.....	6..	709..	598..
ANABASIS tamariscifolia.....	3..	310..	283..



SALSOLA articulata.....	3...	311...	284...
fruticosa.....	3...	312...	285...
rosacea.....	3...	313...	286...
microphylla.....	3...	314...	287...
flavescens.....	3...	315...	288...
altissima.....	3...	316...	289...
salsa.....	3...	317...	290...
sativa.....	3...	318...	291...
VIOLA philippica.....	6...	606...	529... 2.
maculata.....	6...	607...	530...
rubella.....	6...	608...	531... 1.
stipularis.....	6...	609...	531... 2.
* LUFFA foetida.....	1...	9...	9... 10.
CERATONIA siliqua.....	2...	122...	113...
* FRANSERIA ambrosioides.....	2...	219...	200...

*Digynia.*

GENTIANA maritima.....	3...	323...	296... 1.
* CARMONA heterophylla.....	5...	482...	438...
HYDROLEA trigyna.....	6...	605...	529... 1.
HERNIARIA polygonoides.....	2...	143...	131...
ERYNGIUM rostratum.....	6...	631...	552...
monocephalum.....	6...	632...	553...
serratum.....	6...	633...	554...
longifolium.....	6...	634...	555...
humile.....	6...	635...	556... 1.
subcaule.....	6...	636...	556... 2.
HYDROCOTILE bonariensis.....	5...	558...	488... 1.
saniculæfolia.....	5...	559...	488... 2.
AZORELLA cespitosa.....	5...	552...	484... 2.
linearifolia.....	5...	553...	485...
BUPLEURUM frutescens.....	2...	115...	106...
ECHINOPHORA spinosa.....	2...	139...	127...
CAUCALIS maritima.....	2...	110...	101...
CUMINUM cyminum.....	4...	399...	360... 2.
* HUANACA acaulis.....	6...	604...	528... 2.
LASERPITIUM scabium.....	2...	208...	190...
SELINUM proliferum.....	5...	554...	486... 1.
microphyllum.....	5...	555...	486... 2.
spinosum.....	5...	556...	487... 1.
acaule.....	5...	557...	487... 2.

*Trigynia.*

RHUS lucidum.....	2...	144...	132...
* GYNOPEURA tubulosa.....	4...	413...	375...
linearifolia.....	4...	414...	376...

*Pentagynia.*

ARALIA humilis.....	4...	342...	313...
CRASSULA cespitosa.....	1...	76...	69... 2.
STATICE dichotoma.....	1...	56...	50...
alliacea.....	2...	118...	109...
LINUM suffruticosum.....	2...	117...	108...

CLASSIS 6. HEXANDRIA.

*Monogynia.*

TRADESCANTIA erecta.....	1...	82...	74...
crassifolia.....	1...	83...	75...
PANCRATIUM maritimum.....	1...	62...	56...
humile.....	3...	229...	207... 2.
* EUSTEPHIA coccinea.....	3...	260...	238...
ALLIUM capillare.....	3...	227...	206... 1.
chamæmoly.....	3...	228...	207... 1.
SCILLA autumnalis.....	3...	300...	274... 2.
ASPHODELUS fistulosus.....	3...	221...	202...
tenuifolius.....	6...	681...	587... 2.
ANTHERICUM reflexum.....	3...	263...	241...
ASPARAGUS horridus.....	2...	148...	136...
HYACINTHUS serotinus.....	1...	28...	30...

ALSTROEMERIA ovata.....	1...	84...	76...
* MILLA biflora.....	2...	215...	196...
* SALMIA spicata.....	3...	268...	246...
IUNCUS mutabilis.....	3...	324...	296... 2.
BRADLEIA philippica.....	4...	409...	371...
FRANKENIA microphylla.....	6...	707...	597... 1.

*Trigynia.*

RUMEX polygamus.....	1...	20...	22...
bucephalophorus.....	1...	44...	41... 1.
MELANTHIUM gramineum.....	6...	682...	587... 1.
punctatum.....	6...	683...	588... 1.

*Polygynia.*

ALISMA repens.....	1...	61...	55...
--------------------	------	-------	-------

CLASSIS 8. OCTANDRIA.

*Monogynia.*

TROPÆOLUM polyphyllum.....	4...	436...	395...
ŒNOTHERA tetraptera.....	3...	281...	258...
tenella.....	4...	438...	396... 2.
tenuifolia.....	4...	439...	397...
dentata.....	4...	440...	398...
acaulis.....	4...	441...	399...
rubra.....	4...	442...	400...
GAURA mutabilis.....	3...	281...	258...
tripetala.....	4...	437...	396... 1.
DODONÆA viscosa.....	4...	356...	327...
* GUIOA lentiscifolia.....	4...	411...	373...
AMYRIS polygama.....	3...	261...	239...

*Digynia.*

WEINMANNIA paniculata.....	6...	649...	565...
ovata.....	6...	650...	566...
trichosperma.....	6...	651...	567...

*Tetragynia.*

* FRANCOA appendiculata.....	6...	706...	596...
------------------------------	------	--------	--------

CLASSIS 9. ENNEANDRIA.

QUERCUS valentina.....	2...	141...	129...
------------------------	------	--------	--------

CLASSIS 10. DECANDRIA.

*Monogynia.*

VIRGILIA secundiflora.....	5...	443...	401...
* POMARIA glandulosa.....	5...	444...	402...
* ZUCCAGNIA punctata.....	5...	445...	403...
* HOFFMANSBEGGIA falcaria.....	4...	432...	392...
trifoliata.....	4...	433...	393... 1.
BAUHINIA pes-capræ.....	5...	446...	404...
latifolia.....	5...	447...	405...
subrotundifolia.....	5...	448...	406...
lunaria.....	5...	449...	407...
latisiliqua.....	5...	450...	408...
CASSIA aphylla.....	6...	643...	561...
diphylla.....	6...	711...	600... 1.
* LARREA nitida.....	6...	640...	559...
divaricata.....	6...	641...	560... 1.
cuneifolia.....	6...	642...	560... 2.
ANDROMEDA bracteata.....	6...	644...	562... 1.
glomerata.....	6...	645...	...
prostrata.....	6...	646...	562... 2.



*Digynia.*

SAXIFRAGA cuneifolia.....	3...	270...	248...
SAPONARIA ocymoides.....	2...	146...	134...
CYNANCHUM prostratum.....	1...	7...	7...
grandiflorum.....	1...	19...	21...
monspeliacum.....	1...	66...	60...
nigrum.....	2...	175...	159...
ASCLEPIAS linaria.....	1...	63...	57...
mexicana.....	1...	64...	58...
foetida.....	2...	174...	158...
alba.....	4...	338...	310...
PERILOCA puniceifolia.....	3...	239...	217...

*Trigynia.*

SILENE laciniata.....	6...	648...	564...
ARENARIA trillora.....	3...	272...	249... 2.
* GALPHIMIA glauca.....	5...	560...	489...
hirsuta.....	5...	561...	...
glandulosa.....	6...	647...	563...

*Pentagynia.*

COTYLEDON coccinea.....	2...	186...	170...
OXALIS tetraphylla.....	3...	259...	237...
mallobolba.....	4...	434...	393... 2.
enneaphylla.....	5...	453...	411...
laciniata.....	5...	454...	412...

CLASSIS 11. DODECANDRIA.

*Monogynia.*

TALINUM reflexum.....	1...	1...	1...
CUPHEA procumbens.....	4...	418...	380...
spicata.....	4...	419...	381...
virgata.....	4...	420...	382... 1.
æquipetala.....	4...	421...	382... 2.

*Trigynia.*

EUPHORBIA rubra.....	1...	34...	34... 1.
retusa.....	1...	35...	34... 3.
canescens.....	1...	69...	63...

CLASSIS 12. ICOSANDRIA.

*Monogynia.*

LEPTOSPERMUM stellatum.....	4...	359...	330... 1.
porophyllum.....	4...	360...	330... 2.
multiflorum.....	4...	361...	331... 1.
juniperifolium.....	4...	362...	331... 2.
METROSIDEROS marginata.....	4...	363...	332...
quinquenervia.....	4...	364...	333...
nodosa.....	4...	365...	334...
armillaris.....	4...	366...	335...
hyssopifolia.....	4...	367...	336... 1.
calicina.....	4...	368...	336... 2.
umbellata.....	4...	369...	337...
* ANGOPHORA cordifolia.....	4...	370...	338...
lanceolata.....	4...	371...	339...
EUCALYPTUS corymbosus.....	4...	372...	340...
platipodos.....	4...	373...	341...
rostratus.....	4...	374...	342...
obliquus.....	4...	375...	...
salicifolius.....	4...	376...	...
racemosus.....	4...	377...	...

*Polygynia.*

RUBUS radicans.....	5...	455...	413...
---------------------	------	--------	--------

*Monogynia.*

ELÆOCARPUS monocera.....	6...	573...	501...
MENTZELIA aspera.....	1...	78...	70...
CISTUS tuberaria.....	1...	86...	78...
sampsucifolius.....	1...	105...	96...
salviaefolius.....	2...	149...	137...
halimifolius.....	2...	150...	138...
squamatus.....	2...	151...	139...
racemosus.....	2...	152...	140...
cinereus.....	2...	153...	141...
numularius.....	2...	154...	142...
marifolius.....	2...	155...	143...
salicifolius.....	2...	156...	144...
laevis.....	2...	157...	145... 1.
glutinosus.....	2...	158...	145... 2.
hirtus.....	2...	159...	146...
violaceus.....	2...	160...	147...
ericoides.....	2...	188...	172...
laevispes.....	2...	189...	173...
crispus.....	2...	190...	174...
serratus.....	2...	191...	175... 1.
populifolius.....	3...	237...	215...
linearis.....	3...	238...	216...
glaucus.....	3...	284...	261...
origanifolius.....	3...	285...	262... 1.
mollis.....	3...	286...	262... 2.
dichotomus.....	3...	287...	263... 1.
strictus.....	3...	288...	263... 2.
MIMOSA filicioides.....	1...	86...	78...
distachya.....	3...	322...	295...
GREWIA mallocoeca.....	4...	407...	369...
* COLONA serratifolia.....	4...	408...	370...

*Polygynia.*

* EUCRYPHIA cordifolia.....	4...	410...	372...
CALTHA sagittata.....	5...	456...	414...

CLASSIS 14. DIDYNAMIA.

*Gymnospermia.*

* SCORDIUM spinosum.....	1...	29...	31...
TEUCRIUM aureum.....	2...	127...	117...
libanitis.....	2...	128...	118...
capitatum.....	2...	129...	119...
iva.....	2...	130...	120...
saxatile.....	2...	131...	121... 1.
verticillatum.....	2...	217...	196...
heterophyllum.....	2...	609...	577...
NEPETA bipinnata.....	1...	55...	49...
marifolia.....	6...	668...	576...
SIDERITIS ovata.....	1...	54...	48...
glauca.....	2...	203...	185...
incana.....	2...	204...	186...
romana.....	2...	205...	187...
subspinoso.....	3...	231...	209...
chamædryfolia.....	4...	329...	301...
hirsuta.....	4...	330...	302...
scordioides.....	4...	331...	303...
leucantha.....	4...	332...	304...
MENTHA ovata.....	4...	398...	360... 1.
PHLOMIS crinita.....	3...	269...	247...
* RIZOA ovatifolia.....	6...	670...	578...

*Angiospermia.*

EUPHRASIA longiflora.....	1...	68...	62...
CHELONE campanulata.....	1...	27...	29...
barbata.....	3...	264...	242...
GESNERIA tubiflora.....	6...	676...	584...



GESNERIA verticillata.....	6...	677...	585...	I.
ANTIRRHINUM sparteum.....	1...	30...	32...	
bipunctatum.....	1...	31...	33...	I.
glaucum.....	1...	32...	33...	2.
micranthum.....	1...	77...	69...	3.
crassifolium.....	2...	123...	114...	
triphylum.....	2...	196...	179...	
tenellum.....	2...	197...	180...	I.
BIGNONIA linearis.....	3...	294...	269...	
fulva.....	6...	672...	580...	
longiflora.....	6...	673...	581...	
* MITRARIA coccinea.....	6...	671...	579...	
* DICHROMA coccinea.....	6...	674...	582...	
RUSSELLIA rotundifolia.....	5...	457...	415...	
* USTERIA scandens.....	2...	126...	116...	
LIPPIA umbellata.....	2...	213...	194...	
RUELLIA ovata.....	3...	277...	254...	
lactea.....	3...	278...	255...	
ocymoides.....	5...	458...	416...	
rubicaulis.....	5...	459...	417...	
dulcis.....	6...	678...	585...	2.
australis.....	6...	679...	586...	I.
microphylla.....	6...	680...	586...	2.
COLUMNEA ovata.....	4...	431...	391...	
* CASTELIA cuneato-ovata.....	6...	675...	583...	

CLASSIS 15. TETRADYNAMIA.

*Siliculosa.*

MYAGRUM sativum.....	1...	72...	66...	
VELLA pseudo-cytisus.....	1...	46...	42...	
LEPIDIUM graminifolium.....	2...	166...	151...	2.
CLIPEOLA ionthlaspi.....	1...	36...	34...	2.
BISCUTELLA montana.....	2...	194...	177...	

*Siliquosa.*

CLEOME uniglandulosa.....	4...	334...	306...	
---------------------------	------	--------	--------	--

CLASSIS 16. MONADELPHIA.

*Triandria.*

SISYRINCHIUM spicatum.....	2...	113...	104...	
MINUARTIA dichotoma.....	3...	304...	277...	2.
montana.....	6...	652...	568...	I.

*Pentandria.*

LOBELIA filiformis.....	6...	584...	511...	I.
gruina.....	6...	585...	511...	2.
fenestralis.....	6...	586...	512...	I.
comosa.....	6...	587...	512...	2.
gigantea.....	6...	588...	513...	
biserrata.....	6...	589...	514...	
andropogon.....	6...	590...	515...	
mucronata.....	6...	591...	516...	
campanulata.....	6...	592...	517...	
persicifolia.....	6...	593...	518...	
barbata.....	6...	594...	519...	
hirta.....	6...	595...	520...	
decurrens.....	6...	596...	521...	
dentata.....	6...	597...	522...	
cordigera.....	6...	598...	523...	
ABRONIA umbellata.....	5...	355...	326...	
XANTHIUM orientale.....	4...	243...	221...	
PASSIFLORA viridiflora.....	5...	469...	424...	
reflexiflora.....	5...	470...	425...	
peduncularis.....	5...	471...	426...	
trifoliata.....	5...	472...	427...	
pinnatistipula.....	5...	473...	428...	

*Hexandria.*

PHENIX humilis.....	2...	124...	115...	
excelsior.....	2...	125...		

*Octandria.*

SAMIDA multiflora.....	1...	73...	67...	
* MAGALLANA porifolia.....	4...	412...	374...	

*Decandria.*

GERANIUM citriodorum.....	1...	8...	8...	
* PAULETIA inermis.....	5...	451...	409...	
aculeata.....	5...	452...	410...	
* LOUREIRA cuneifolia.....	5...	474...	429...	
glandulosa.....	5...	475...	430...	
* BROTERA ovata.....	5...	477...	438...	

*Dodecandria.*

CROTON dioicum.....	1...	6...	6...	
lanceolatum.....	6...	638...	557...	2.
ACALYPHA pilosa.....	6...	653...	568...	I.
monostachya.....	6...	654...	568...	2.
vagans.....	6...	655...	569...	I.
phleoides.....	6...	656...	569...	2.
hirta.....	6...	657...	569...	3.
glandulosa.....	6...	658...	570...	

*Icosandria.*

CYTINUS hypocistis.....	2...	187...	171...	
-------------------------	------	--------	--------	--

*Polyandria.*

SIDA glauca.....	1...	10...	11...	
virgata.....	1...	81...	73...	
bicolor.....	4...	339...	311...	
linearis.....	4...	340...	312...	I.
tridentata.....	4...	341...	312...	2.
crispifolia.....	5...	461...	419...	
vitifolia.....	5...	462...	420...	
heterophylla.....	5...	463...	421...	
disticha.....	5...	464...	432...	
pinnata.....	5...	465...	422...	I.
acaulis.....	5...	466...	422...	2.
muricata.....	6...	708...	597...	2.
* Cristaria glaucophylla.....	5...	460...	418...	
* ANODA parviflora.....	5...	476...	451...	
CARYOCAR amygdaliferum.....	4...	400...	361.362.	
ALTHEA ludwigii.....	5...	468...	423...	
MALVA vitifolia.....	1...	18...	20...	
angustifolia.....	1...	74...	68...	
umbellata.....	1...	104...	95...	
althæoides.....	2...	147...	135...	
miniata.....	3...	305...	278...	
tenella.....	5...	467...	422...	3.
HIBISCUS clandestinus.....	1...	2...	2...	
spiralis.....	2...	178...	162...	
* PAVONIA spiralis.....	5...	478...	434...	

CLASSIS 17. DIADELPHIA.

*Decandria.*

PISCIDIA punicea.....	4...	345...	316...	
SPARTIUM patens.....	2...	193...	176...	
GENISTA hispanica.....	3...	233...	211...	
CROTALARIA angulosa.....	4...	350...	321...	
incana.....	4...	351...	322...	
ONONIS tridentata.....	2...	167...	152...	
barbata.....	2...	168...	153...	
parviflora.....	2...	169...	154...	I.



ONONIS capitata.....	2..	170..	154..	2.
ornithopodioides.....	2..	211..	192..	
ANTHYLLIS cornicina.....	1..	42..	39..	2.
lotoides.....	1..	43..	40..	
onobrychioides.....	2..	164..	150..	
LUPINUS trifoliatus.....	1..	65..	59..	
LATHYRUS fruticosus.....	1..	92..	84..	
COLUTEA orientalis.....	4..	335..	307..	
CORONILLA squamosa.....	2..	171..	155..	
ORNITHOPUS scorpioides.....	1..	39..	37..	
durus.....	1..	45..	41..	2.
ÆSCHYNOMENE virgata.....	3..	320..	293..	
picta.....	4..	343..	314..	
longifolia.....	4..	344..	315..	
ASTRAGALUS garbancillo.....	1..	93..	85..	
macrorrhizus.....	2..	145..	133..	
pentaglottis.....	2..	206..	188..	
PSORALEA lagopus.....	1..	94..	86..	
declinata.....	1..	95..	87..	
nutans.....	3..	220..	201..	
tomentosa.....	3..	262..	240..	
citriodora.....	3..	296..	271..	
lutea.....	4..	354..	325..	
mutabilis.....	4..	435..	394..	
LOTUS creticus.....	2..	172..	156..	
edulis.....	2..	173..	157..	
ornithopodioides.....	2..	179..	163..	
pedunculatus.....	2..	180..	164..	
TRIGONELLA pinnatifida.....	1..	40..	39..	
MEDICAGO marina.....	2..	142..	130..	

CLASSIS 18. POLYADELPHIA.

*Polyandria.*

HYPERICUM ericoides.....	2..	133..	122..	
--------------------------	-----	-------	-------	--

CLASSIS 19. SYNGENESIA.

*Polygamia equalis.*

SCORZONERA pumila.....	2..	132..	121..	2.
SONCHUS maritimus.....	1..	57..	51..	
LEONTODON hispidum.....	2..	163..	149..	
HIERACIUM laniferum.....	3..	256..	234..	
HYOSERIS cretica.....	1..	47..	43..	
SERRATULA mollis.....	1..	98..	90..	1.
CARDUS flavescens.....	1..	52..	46..	
pinnatifidus.....	1..	91..	83..	
leucanthos.....	2..	181..	165..	
glaucus.....	3..	248..	226..	
GNICUS acarna.....	1..	59..	53..	
ONOPORDUM uniflorum.....	1..	96..	88..	
ATRACTYLIS humilis.....	1..	60..	54..	
gumifera.....	3..	250..	228..	
CARTHAMUS tingitanus.....	2..	140..	128..	
BIDENS odorata.....	1..	12..	13..	
crocata.....	1..	108..	99..	
sambucifolia.....	3..	251..	229..	
CACALIA porophyllum.....	3..	244..	222..	
linaria.....	3..	280..	257..	
EUPATORIUM squarrosum.....	1..	107..	98..	
AGERATUM lineare.....	3..	225..	205..	
latifolium.....	4..	394..	357..	
* STEVIA salicifolia.....	4..	391..	354..	
serrata.....	4..	392..	355..	
pedata.....	4..	393..	356..	
PTERONIA porophyllum.....	3..	247..	225..	
CEPHALOPHORA glauca.....	6..	610..	599..	
ATHANASIA lanuginosa.....	1..	12..	13..	
* Piqueria trinervia.....	3..	257..	235..	

*Polygamia superflua.*

CONYZA spicata.....	1..	11..	12..	
ASTER glutinosus.....	2..	184..	168..	
pinnatus.....	3..	234..	212..	
hyssopifolius.....	3..	254..	232..	
acris.....	3..	255..	233..	
CINERARIA minuta.....	1..	33..	33..	3.
præcox.....	3..	266..	244..	
* DAHLIA pinnata.....	1..	88..	80..	
rosea.....	3..	290..	265..	
coccinea.....	3..	291..	266..	
MUTISIA viciæfolia.....	5..	562..	490..	
peduncularis.....	5..	563..	491..	
clematis.....	5..	564..	492..	
ilicifolia.....	5..	565..	493..	
hastata.....	5..	566..	494..	
subspinosa.....	5..	567..	495..	
inflexa.....	5..	568..	496..	
decurrens.....	5..	569..	497..	
retrorsa.....	5..	570..	498..	
sinuata.....	5..	571..	499..	
linearifolia.....	5..	572..	500..	
* WILDENOWA glandulosa.....	1..	97..	89..	
TAGETIS tenuifolia.....	2..	185..	169..	
lucida.....	3..	289..	264..	
micrantha.....	4..	353..	324..	
ZINNIA violacea.....	1..	89..	81..	
revoluta.....	3..	274..	251..	
PECTIS prostrata.....	4..	389..	352..	
* HETEROSPERMA pinnata.....	3..	292..	267..	
SIEGESBECKIA triangularis.....	3..	276..	253..	
GALINSOGA parviflora.....	3..	308..	281..	
trilobata.....	3..	309..	282..	
SANVITALIA villosa.....	4..	398..	351..	
MADIA viscosa.....	3..	326..	298..	
BUPHTHALMUM scabrum.....	2..	183..	167..	
* XIMENESIA encelioides.....	2..	195..	178..	
VERBESINA pinnatifida.....	1..	109..	100..	
serrata.....	3..	236..	214..	
virgata.....	3..	301..	275..	

*Polygamia frustranea.*

HELIANTHUS linearis.....	3..	240..	218..	
giganteus.....	3..	241..	219..	
dentatus.....	3..	242..	220..	
quinqueradiatus.....	3..	297..	272..	
RUDEBECKIA perfoliata.....	3..	275..	252..	
CORBOPSIS fetida.....	1..	85..	77..	
alata.....	3..	283..	260..	
heterophylla.....	3..	293..	268..	
ovata.....	3..	307..	280..	
ENCELIA canescens.....	1..	67..	61..	
halimifolia.....	3..	232..	210..	
* COSMOS bipinnatus.....	1..	13..	14..	
sulphureus.....	1..	87..	79..	
CENTAURBA virgata.....	3..	252..	230..	
galactites.....	3..	253..	231..	

*Polygamia necessaria.*

MILLERIA contrayerba.....	1..	4..	4..	
dichotoma.....	1..	90..	82..	
angustifolia.....	3..	245..	223..	
POLYMNIA maculata.....	3..	249..	227..	
* ALCINA perfoliata.....	1..	14..	15..	
CALENDULA stellata.....	1..	5..	5..	
FILAGO pygmaea.....	1..	38..	36..	
MICROPUS supintis.....	1..	37..	35..	
* ARGYROCHÆTA bipinnatifida.....	4..	416..	378..	



*Polygamia segregata.*

\* NOCCA rigida..... 3... 246... 224...

*Monogamia.*

\* CALICERA herbacea..... 4... 395... 358...

CLASSIS 20. CRYPTOGRAMIA.

*Filices.*

OSMUNDA tenella..... 6... 691... 592... 1.  
 oblongifolia..... 6... 692... 592... 2.  
 humilis..... 6... 693... 592... 3.  
 deltoidea..... 6... 694... 593... 1.

OSMUNDA fulva..... 6... 695... 593... 2.  
 lunaria..... 6... 696...  
 OPHIOGLOSSUM vulgatum..... 6... 697...  
 lusitanicum ..... 6... 698...  
 reticulatum..... 6... 699...  
 pendulum..... 6... 700...  
 \* UGENA semihastata..... 6... 701... 594... 1.  
 dichotoma..... 6... 702... 594... 2.  
 macrostachya..... 6... 703... 594... 3.  
 polymorpha..... 6... 704... 595... 1.  
 microphylla..... 6... 705... 595... 2.

*Algæ.*

ULVA pavonia..... 2... 210... 191... 2.

FINIS SEXTI VOLUMINIS.





Table of Contents

Introduction ..... 1

Chapter I ..... 10

Chapter II ..... 20

Chapter III ..... 30

Chapter IV ..... 40

Chapter V ..... 50

Chapter VI ..... 60

Chapter VII ..... 70

Chapter VIII ..... 80

Chapter IX ..... 90

Chapter X ..... 100

Appendix ..... 110

Index ..... 120

TABLE OF CONTENTS















